BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
36 F
10
8.—1.C.28

XVIII·7·9
B.s.

RERVM GALLICARVM HISTORIA LIB. II.

Periochis viginti duabus comprehenſi.

Prior ad anthropologiam Gallici principatus
Poſterior ad ſoli chorographiam pertinet.

AVTHORE R. COENALIS, D. CLEMENTIA, Epiſcopi Arboricenſis, Doctoris Theologi ordine & origine Pariſienſis.

AD HENRICVM VALESIVM,
Franciæ Regem Chriſtianiſſimum.

Acceſſit Appendix commodiſſima inſignorum Galliæ locorum necnon & fluminum, quin & Italicarum complurium ciuitatum nomenclatura vetus, appellatione recentiori illuſtrata:

Cum rerum & verborum maximè illuſtrium Index alphabetum longè copioſiſſimus.

Materiam hoc Volumine contentorum, poſt tabula reperies.

PARISIIS

APVD JOANNEM
Parant via Iacobea.

M. D. LXXXI.

TOTO ORBE CHRISTIANO REGNANTIVM CHRISTIANISSIMO REGI HENRICO

fœliciter ſecundo, ſuæ maieſtati addictiſsimus Robertus, Arboretanæ eccleſiæ miniſter indignus, Chriſtianam ſalutem vehementer exoptat.

EN TVAM tibi, Rex Triſmegiſte Galliam, Chriſtianiſſime inquam, potentiſſime,& in quo alios teque ipſum ſuperas Reges, clementiſsime, Henrice ſecunde: cuius Superi ſemper bene cœpta ſecundent. Tuam dico Galliam,quæ coſmographico ductu,à cardine ſcilicet Occiduo, hinc Pyrenæis iugis, inde verò mari vtroque, ſupero inquam, & infero, Oceano ſcilicet & mediterraneo clauditur & Alpibus: imò verò & vltra Alpes aduſque Rubiconem fluuium vetuſta deſcriptione porrigitur: inque duas portiones, Ciſalpinam videlicet & Tranſalpinam amphibiè diſtribuitur. Nam quæ nobis Ciſalpina eſt, Itali Tranſalpinam vocant. Et ea ipſa nobis Ciſalpina quadrinomia eſt Cæſaris Auguſti deſcriptione, Celtica ſcilicet, Belgica, Narbonenſis,& Aquitanica. Tuam dixi Galliam,vtpote maieſtati tuæ ampliſsima ditione partim ſubiectam, partim verò indiuulſo fœdere iunctam, Regalibus ſceptris aduſque heptarchiã olim adornatam. Suo illa complexu continebat Lutetianam,Aurelianam, Sueſsionicam, Arelatenſem, Aquitanicam, Auſtraſianã ſeu Lotaringenſem, Britonicamque monarchias. Quibus ad ogdoadẽ accedit regnum hodie appellatum Iuetotianum: vt interim de Gallia ſileam olim Lombardica,quam Ciſmontanam Tranſalpini noſtri vocant. Eam in tuo ære magna ex parte contineri, iure, & eo quidem iuſtiſsimo, Subalpina, Inalpina regio, Inſubriaque vniuerſa(niſi ius ponatur in armis) apertiſsimè teſtantur. Hanc itaque noſtram, Rex eminentiſsime, de Gallia tua fœturam, ea qua poſſumus animi deuotione ſupplices ac demiſsi tuæ offerimus maieſtati: vt hoc ſaltem vno xeniolo,innumeris tuis tuorúmque præceſſorum in nos collatis beneficiis quadantenus reſponderemus, tametſi referendis illis impares nos ingenuè profiteamur. Id autem agimus obæratorum more: qui cùm ſciant ſe non eſſe ſoluendo,xeniolis quibuſdam & apophoretis creditorum expectationem aut lenire,aut fallere tentant. Quod vt faceremus audentius, perſuaſit tuæ,hoc eſt verè regiæ, pacatæ & ſereniſsimæ clementia mentis, quam à maternis ſuxiſti vberibus. Sed & ea ipſa cæteros, quos Sol iſte circunſpicit, Reges, imò & teipſum in dies ſuperas:& ea te victoria diuina clemẽtia aduerſus omnes hoſtiles impetus reddidit inuictum:docuitque vinci poſſe & terga vertere eos,qui ſe falsò gloriabãtur inuictos. Cui etiã fœlicitati Hen-

rici, aliàs verò Hemrici, & vnica vocali aucto nomine Emerici (qui apotheoſi olim donatus eſt)alludit appellatio. Ea autem nomenclatura, paucis luxatis elemẽtis, ab Ariminici triũphatoris ſcaturigine defluxit. Eius ſcilicet Arimini,qui tam acrem ſui nominis terrorem Romanis incuſsit, vt audita eius victoria, capite ad parietem illiſo Cæſar Auguſtus ſtupẽs in hæc verba erũperet: Quintili Vare redde legiones. cùm ſcilicet Ariminus aquilaria ſigna in ſuam redegiſſet poteſtatem. Inde enim (ſi Cuſpiniano creditur) bicipitem aquilam ſibi Germania tribuit. A quo fœlicitatis euẽtu, Ariminice Henrice, tua bellica virtus non admodum diſtat: quæ criſta tua Gallica ferociẽtem leonem non paucis his antè diebus ex clinico celerem præter ſpem reddidit. A natura enim comparatum eſt gallo criſtato,vt terreat & abſterreat ſæuum quantũcunque leonem, ex Pliniano teſtimonio: vt ſcilicet præda leo fieret, qui gallum toto oris hiatu ſpe deuorabat.Promptè hinc elicitur,quòd quemadmodum aquilinum eſt è ſublimi proſpectæ inhiare prædæ,leoninum verò ex itinere occurrenti incumbere rapinæ:ita & è regione gallicum eſt ſeſe illi opponentem abſterrere leonem, atque Ariminicum prædatricem ſub pedibus conterere aquilam,& ex monarcha anarcham reddere.

Henricianum itaque eſt, lingua ſe præſtare pauciloquum, minimeq; loquacem: opere verò magnificũ, & manu nihil minus quàm ocioſum,pace ſerenum,bello feruentem ac magnanimum, ſynceræ religioni ex animo deditiſsimum, ſuperſtitionis vltorem vehementiſsimum,æqui ac boni propugnatorẽ,conſpectæ autem iniuriæ propulſatorem indefeſſum: priuatis inſuper affectibus ſemotis,publicis inuigilare commodis:à recta,vti nec Sol ab ecliptica,nunquã diuertere:ſibi ſemper conſtare:nec, more erratici planetæ,modò dici aut eſſe præuolantem,aliquando verò retrogradum,aut certe plus iuſto ſtationarium. Denique Henricianum eſt, paciq; imponere morẽ, quinetiam parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos:nunquã tamen à tergo reiecta clemẽtia: quæ cæteras in te virtutes longo (quod ſummopere optauerim) ſuperet interuallo, vt ſcilicet eò ſemper euadas clementior, quò potentior. Neque enim conturbare debet iuſtum, quicquid illi acciderit. Id quoque Hẽricianum eſt, omnes ſibi cognomines Henricos, ſeu Reges illi fuerint, ſeu Imperatores, rerum bene geſtarũ gloria vnum ex eis quẽlibet non tam velle cõſequi aut aſſequi,quàm in hoc incũbere,vt multis eum (ſi fieri poterit) præeat paraſangis,celeriq; ſtudeat præuertere curſu. Fuere autem plerique tam in Gallia q̃ in Imperio, in Britannia verò aliquanto pauciores, pietate inſignes & armis Hẽrici.Inter quos primus occurrit is,à quo ſecundus appellaris, Henricus, ætate quidem,nulli tamẽ pietate ſecundus: cùm aliàs multis (ſi Paulo creditur Æmylio)nominibus inſignis ille fuerit, plus q̃ atauus ille tuus Frãcorum Rex, nempe pauciloquus,veridicus, profundi cogitatus,operum gloria magnificus à ſuis ſemper habitus,lingua penè ocioſus, manu verò ſupra communem cæterorum aleam operoſus.

Fuere præterea inter Imperatores ſeptẽ, nonnulli fama celeberrimi Henrici. Primus omniũ,qui Auceps cognominatus,cùm nihil minus aucuparetur q̃ Imperium, vltro oblatũ peneq; inuitus ac nolens recepit.tantũ valuit apud ſuos vehemẽter excellens de ſua probitate opinio. Imperio ſtatim ille oblato potius q̃ deſiderato,cenſoris perſonã induit aduerſus ea quæ paſsim per vniuerſum nobilitatis gregẽ graſſabãtur flagitia:cuiuſmodi ſunt adulteria, blaſphemiæ, ac deprædationes. Quæ omnia acerrima ſua cenſura expũgenda ac

ſuppriméda curauit,inſtitutis in eam rem torneamentorũ comitiis.

Cui mox ſucceſsit Henricus Bauarus, templorum poſitor, & per incurſionem hoſtilem euerſorum reſtitutor, ac pietatis cultor eximius, vnà cum Giſela ſorore: cuius caſtitas tanti æſtimata fuit, vt Hungarum Regem ſacro baptiſmatis lauacro inaugurari curauerit, Stephani nomine illi indito.

Tertius verò eiuſdem nomenclaturæ Henricus, humanus princeps,hilariſque ac facetus,largitatis nomine ab omnibus magnificè celebrabatur. Eius verò quartus à primo filius Henricus,facũdus iuxtà ac magnificus,acer ingenio, ſtrenuus ac bellicoſus: & hac potiſsimum in parte commendabilis poſteritati fuit, quòd bis ac ſexagies collatis ſignis iuſta acie pugnauerit.

A cuius ſtrenuitatis gloria parum aberat quintus Henricus, vtpote bellicoſiſsimus & audax, niſi famã in eo obſcuraſſet dira ac dura in patrem perſecutio.

Nubilum hoc ſextus Henricus à ſuo nomine depulit prudentia ſua non vulgari,& animi conſtantia ad omnia imperterriti. Vnde & maſcula ſua virtute, Romani pontificis authoritate fultus,vi armorum Apuliam,Calabriam,Siciliamque imperata facere coegit. Neo ita multò pòſt tuendæ aduerſus Turcam Ieroſolymæ magno comparato exercitu præſtò adfuit. His verò ſucceſsit ea appellatione ſeptimus, nouiſsimus quidem ordine, rerum verò geſtarum gloria, iuſtitiæ ac prudentiæ titulis nemini ceſſurus: qui animi trãquillitate ingenui vniuerſam Imperio ſubiecit Italiam: quod needum vlli ex auito ſuo genere eatenus cõceſſum fuerat. Præcipua eius virtus magno conſenſu ſcriptorum circunfertur, quòd iam didiciſſet nec aduerſis frangi, nec efferri ſecundis:quæ ſummorum in toto orbe principum non infima laus eſt.

In tota verò Britannicæ inſulæ Henricorũ Regum ogdoade vix aſſerere digitóve oſtendere aut auſim aut poſsim, quem deligas vt imiteris,præter vnum aut alterum.Primus ſiquidem ita ſuis odioſus ad finem vſque permanſit, vt ab incerto authore ſagitta transfixus, nullum poſt ſe ſui deſideriũ reliquerit. Fuit alius Thomicida, eo nomine cœlo terræque peroſus.

Poſtremò Henricianum eſſe mihi perſuadeo, vt ita regni tui florentiſsimi & premere & laxas permittere noris habenas,vt concentum hunc in deliciis ſemper habeas, ne maieſtati deſit humanitas, ſeueritati clementia, grauitati ſimplicitas. Sit tibi cognata grauitas ſine ſupercilio,authoritas ſine conuicio:ſolers prudentia, nunquam tamen ſine conſilio: amplitudo honoris ſine cuiuſquam etiam abiectiſsimi faſtidio. Nihil enim maieſtati deperit hilaritate,nihil grauitati ſimplicitate: nihil ſeueritati detrahitur humanitate. Eſto bello leone audacior, pace agno manſuetior: amabilis tuis, formidabilis hoſti, vt de te audiatur & dicatur: Splendor in medio ignis, ſed de igne fulgur egrediens. Sic fiet,vt agnoſcaris in rebelles audacior,in ſimplices manſuetior, natus ad clementiam, imbutus ad magnanimitatem, rectè inſtitutus ad animi dexteritatem.

Demum hoc ipſum vnicè Henricianum eſt, à primæua ſui origine tradita ſigna tueri Creſcẽtis in æthere Phœbes, & ita Creſcentis, vt imperium Oceano, famam quoque terminet aſtris: quò omnium conſenſu probetur, & in te vno compleatur hoc elogium ex Geneſeωs volumine, nono ſupra quadrageſimum capite: Filius accreſcens Ioſeph,filius accreſcens,& decorus aſpectu:& ita decorus,

vt filiæ diſcurrant ſuper murum: ſubaudi, ſpeciem eius contemplaturæ. Et continuò ſequitur: Sed exaſperauerũt eum, & iurgati ſunt, inuiderúntque illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & corroborata ſunt brachia manuum illius per manus potẽtis Iacob: inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſsi iacentis deorſum, benedictionibus vberũ & vuluæ. Benedictiones patris tui fortiores fuerunt benedictionibus parentũ meorum, dum durabit terminus collium mundi: fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. Iam quid mihi ſupereſt optãdum, quàm quòd ea quæ dicta ſunt, aut magna ex parte tuæ ſuppetant celſitudini, aut quantum fieri poſsit redundent? Vt autem ad meipſum redeam, cum norim quàm ſit mihi curta ſupellex: mirabitur ſat ſcio vehementer (ô Rex mihi nunquam non ſuſpiciẽde) vnus aliquis ex proceribus tuis aulicis, vnde mihi tantum aut ſupercilii aut animi, quòd auſim ego obſtrepere velut anſer inter olores, inter ſimias aſinus, Pygmæus inter Gigantes, inter elephantes muſculus vnus: quodque ad tuæ maieſtatis radios cæcutiens oculorum acies non ſtatim hebeſcat. Cui ego quantumuis critico cenſori, ita reſponderim: Incomparabilis tuæ maieſtatis ſublime faſtigium (quo nullum in orbe Chriſtiano ſublimius aut videtur, aut auditur) me propellit & auocat: contrà verò ſuauiter inuitat præter Reges cæteros tibi congenita clemẽtia. Nec mihi in eam rem deeſt exemplum eius, qui apud Cæſarem Auguſtũ verba facturus, argutè admodum ita orando perorauit: Qui intrepidè quidpiã apud te enarraturi ſeſe vltrò offerunt, Cæſar Auguſte, tuam illi maieſtatem non ſatis attendunt: at qui contrà hæſitabundi accedunt, tuæ energiam clementiæ ſuauitatemque prorſus ignorant. Sed neque mihi deeſt aliud, quo meam cauſam tueri poſsim, vix expugnabile propugnaculum. Non enim ſum qui loquor, verùm ipſiſsima tua Gallia: quæ regnorum incedit regina, tibique & ſoror & coniũx. Ea inquam Gallia, quæ corriualium ſuorum nõ vna cum gente tot annos bella gerit. Qui cùm inſuperabilem vincere nequeant: quod vnum poſſunt, arrodere tentant: quoque magis id irrito conatu moliuntur, ſua ipſorum attenuantur penituſq; vruntur inuidia. Qua re iuſtius in terris nihil eſt, quàm quòd authores abſumat conficiatq; ſuos. Eius ego tuendæ prouinciam cliẽtulus minimus ac beneficiarius, ex animo obſequẽtiſsimus, onus viribus impar in me recipiẽs, quo ſaltem potui (ſi non quo oportuit) conatu euſque progreſſus ſum, vt ſartamtectam Galliæ cauſam ſub tui tutela nominis cuiuis audire volenti rederem. Quiſquis igitur hac in re moleſtum ſe cenſorem obiecerit: reddita à nobis ratione, æquior tandem animo factus, opellam hãc noſtram non prorſus faſtidiet. Damnet, quantũcunque volet, nos aut temeritatis aut inſcitiæ: modò ne ſuæ, in qua nat᷒ eſt & alitus, Galliæ cauſam aſpernetur. Sinat pro ea qua ad natale ſolũ dulcedine allicitur (niſi naturam ducem prorſus abiecerit) patronæ ſuæ Galliæ clientulum, eiuſque glebæ addictum, beneuolẽtiæ erga educatricem ſuam leuia quædã pignora oſtẽdere, vſque dum veniat qui meliora dabit. Ego (quod ad me attinet) cum conuiuales quoſdã, ſympotas, eiſque ſupparaſitantes pediſſequos, Nuenarios, Guiberos, in hoc ſolum intentos (cum tamen bonas horas potuiſſent melius collocaſſe) vt ſeu punctim ſeu cæſim Galliam noſtram improbè lacerarent, mente reuoluerem: tum hæc ego apud me:

Sempér ne auditor tantum? nunquàm ne reponam
Vexatus toties linguæ liuore loquacis?

Quis ergo tam ferreus, vt teneat ſe quò minus aſſumptam iuſto moderamine cauſam (furor enim eſt læſa ſæpe patientia) cùm ad manũ ſit quo quis eam tueri poſsit, in publicum prodire faciat? His rationibus adductus, nõ potui hîc, non dicam ſatyram, verùm potius neceſſariam quandam apologiam non ſcribere. Quæ omnia (niſi vehementer fallor) iudex non aſpernabitur æquus, ſcriptáque cum venia qualiacunque leget. In hoc ergo exiguo codice, veluti in quodã ſpeculo, tuam membratim Galliam diſtinctè cognoſces, nullo fuco nubilóve obumbratã, quòd ſit origine Ianigena, Gomerites, Troiana, Sicãbrica, Gallofrãcica, & Germanogallica: ditione verò non Trãſalpina tantùm, imò (vt dici ſolet) Ciſalpina, nempe Senogallica ac Cænomanica, Lombardica & Subalpina, Tranſpadana & Ciſpadana, magna ſaltem ex parte aut iure, aut fœdere. Sed & liquidò tua ſerenitas perſpiciet florentiſsimum tuũ regnum egregiis titulis triũphalibus adornatum, nempe Celticum, Belgicum, Narbonenſe, duplicíque nomine Aquitanicum. Eſt enim aquis cincta Aquitania, ſcilicet Ligeri & Garũna fluuiis, Oceanóque ferè circundata: diſſecta tamẽ in maiorem & minorem, contractam ſcilicet, quam ſpeciatim vocant Guienne. Tu igitur, ô princeps, his titulis honoraberis, Francus, Germanicus, Pedemontanus, Allobrox, omni ex parte Lugdunenſis, Gallus, Neuſtrius, Britannicus, vnico ſceptro regnorum olim ogdoadem tuo nutu ac renutu clementiſsimè temperans. Regia inſuper priſca progenitura Hectorides, Troianus, Scythigena, Sicamber, Gallofrancus: & inter ſceptrigeros omnes, numero vndecẽteſimus. Sed quid tentare nocebit egregios Imperatorum titulos ob oculos conſtituere: vt ſibi deligat tua ſacra maieſtas, cuius potiſsimũ energiam lubentius velit & aſſequi & conſequi? Fuit Iulius Cæſar in omnem euentũ pugil indefeſſus, primus monarchiæ aſſertor, ſuo tamen (id quod res ipſa docuit) præſentiſsimo malo. Octauianus Cæſar fortunatior fuit, quàm vera fœlicitate fœlicior. Tyberius, quanuis ignarus, Chriſto illatæ iniuriæ vltor. Inclytus Veſpaſianus.

Titus ſuis amabilis. Traianus iuris & æqui tenax acclamatus eſt, & optimus. Adrianus Heliæ Solymæ reſtaurator. Pius fuit Antoninus, ea quã ſecula illa pietate ferebãt. Marcus Antoninus verus.

Alexander Mammeæ, ſeuerus iuris cultor, & æqui obſeruantiſsimus. Philippus protochriſtianus, & ab vrbe cõdita chiliaſtes. Tu verò vndecẽteſimus ab inauguratis Gallorum Regibus. Victor fuit Probus. Galerius ſeditionum propulſator. Conſtantinus templorum reſerator, crucis ſignifer, omnia magnus. Iouinianus catholicus. Valẽtinianus ſerenus. Theodoſius cœleſti victoria clarus, vti apud nos Philippus Auguſtus. Arcadius pacificus. Clemens Honorius. Leo & Iuſtinus catholici ambo, & cantare pares, & reſpondere parati. Michaël orthodoxus. Carolus magnus, omnium gẽma imperatorum, Francorum Regum iubar ſplendidiſsimum. Ludouicus, re pius & cognomine. Ottones plerique Eccleſiæ propugnatores. Henrici cenſores & bellicoſi, ad ardua quæque obeunda parati. Lotarius clerophilus. Hẽricus alius bello inuictus. Alphonſus Imperator deſignatus, multiſcius. Ex his omnibus aut vnum, aut plures quẽ quóſve imitari malit, deligat tua ſacra maieſtas. Sed nec me labor iſte grauabit, ex florentiſsimis ac ſuaue odorãtibus Helleniſmi agris gratiſsimos ex toto Imperantium grege decer-

pere flores,quorum egregia facinora recenſuiſſe minimè pigeat:po-
tiſsimúmque area tota decurſa à Conſtantino ad Carolum Magni
cognomine vtrinque illuſtres. Habet itaque tua maieſtas Conſtan-
tinum multis nominibus inſignem,ſalutiferæ crucis anteſignanum:
quo ſigno hieroglyphicè ſignatur vita vētura.Cui ſic addictus erat,vt
ad pectus ſemper geſtauerit aureum crucis ſimulacrum. Qui & ipſe
pater patrię,imò orbis totius Chriſtiani aſylum appellatus eſt,ita re-
ferente Prudentio:

Chriſtus purpureum gemmati textus in auro,
Signabat Labarum: clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat,ardebat ſummis crux addita criſtis.
Ipſe Senatorum meminit clariſsimus ordo,
Qui tunc concreto proceſsit crine,catenis
Squallens carcereis,aut nexus compede vaſta,
Complexúſque pedes victoris ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens.tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum,Chriſtíque verendum
Nomen adorauit,quod collucebat in armis.

Tunc cœpit crux veneranda pro teſſera bellica haberi,qui mos pro-
cetibus Galliæ eſt perpetuus . Præfert enim acies Gallica crucē non
tam colore,quàm ſyderea luce radiantem . Sed & hoc illi laudi datū
eſt,quòd eſſet liberator vrbis,templorum poſitor,fundatórque quie-
tis,reſtitutor generis humani,ditionis Romanę propagator. Cauen-
da interim eſt, qua eum Aurelius Victor inuſtum prodidit, macula:
quòd ſcilicet ad annos decem præſtantiſsimus fuerit, ſuccedentibus
annis duodecim,latro:idq; ob eam cauſam,quòd ex totius orbis prę-
da ſuam locupletauerit Conſtantinopolim : nouiſsima autem deca-
de pupillus iudicatus ſit ob profuſiones immodicas. Porrò cauen-
dus cane peius & angue (maximè à Chriſtianorum Regum illuſtriſ-
ſimo grege)Iulian' ille īpietatis cultor , & orthodoxæ religionis de-
ſertor,meliùs natus quàm educatus,hoſtis crucis ex ꝓfeſſo,tota à re-
ligione Conſtantini diametro diſcrepans. Meminiſſe interim iu-
uabit Gratiani, ob ingentem humaniorum literarū ab Auſonio Gal-
lo eius præceptore acceptam ſupellectilem.Fuit enim rhetorices e-
gregia dote ſublimis,liberalium ſtudioſus artium,poëta & orator mi
nimè vulgaris:quæ in Principibus gratia rara eſt.Quódq; magis mi-
reris,homo frugi,pudicus,verecundus,in præſtandis officiis ſedulus:
liberalis adeò & comis , vt quos ſæpe inuiſeret ægros,medicamine
cōſolatos foueret,& ſumptib' aleret. Theodoſii Adeodonati inimi-
tabilem in omni virtutum genere excellentiam quis nō admiretur?
Qui dilaniatum Imperium veluti noua pelle circuntectum iuuene-
ſcere fecit,ac viribus penè defectos mouere lacertos.Cuius epiniciū
Claudianus his verbis depinxit:

O nimium dilecte Deo,cui militat ęther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.

Hic vnus toga potens & armis,ſed religione illuſtriſsimus,tibi ſit in-
ſtar omnium. Placere interim poterit Arcadij trāquillitas,& Ho-
norii nō prorſus illaudata dexteritas. Multis demum à tergo reli-
ctis,minimè aſpernādum eſt Anaſtaſii exemplum:cuius nomen illu-
ſtrauit tributorum ſuppreſsio, ſub quorum onere populus antea ilia
penè ducebat.Abſtulit ille è medio tributum Chryſargyrum appel-
latum , quo ſcilicet vehementer grauabantur omnes ordines vſque
ad mendicos,pauperes, ſcorta, ſeruos,& libertinos : qui pro ſingulis

equis,mulis,bobus,aſinis,cæteriſq; leuibus quiſquiliis, argētei nūmi ſemiſſem: pro ſe autem quiſque integrum argenteum,ſeu ſtaterem, aut tetradrachmū noſtro ære penſantem aſsium teſſaradecadē,præſtare cogebatur.Qua vectigalium remiſsione,atque etiam officiorū, quæ prius ſubhaſtabantur, gratuita largitione, gloriam ſibi peperit immortalem.

Iuſtinus natu obſcurus,ſola,quam ſibi familiarem adſciuerat, claruit induſtria.

Iuſtinianus legiſlator,ac iuriſprudentię epitomatarius factus,Triboniani opera fretus(viri alioqui peſtilentiſsimi)nomen ſibi comparauit apud poſteritatem commendabile. Sed & æternum illi encomium accreuit hagiæ Sophiæ omnibus poſt ſua tēpora ſeculis admirabilis architectura. Fuit etiam hoſtis omnium hæreſum indefeſſus:quæ res eſt Principe Chriſtiano dignisſima.

Salutiferæ crucis veneratio, & larga in pauperes magnificentia, Tyberii fortunā mirum in modum euexit. Vetabat ille crucis ſimulacrū pedibus conculcari. Inuenit tandem puteo defoſſum Narſetis theſaurum incredibili redundantia turgidum:quo illi anſa data eſt ſolitas largitiones nedum non intermittendi, imò verò magno cum fœnore augendi. Inde ſequutum eſt, vt aureos nummos librales cuderet,excuſoſque ad Chilpericum Francorum Regem quinquaginta,cæteris muneribus adiectis, per legationem mitteret. Facies vna imaginem Principis præferebat,Tyberii ſcilicet Conſtantini perpetui Auguſti:facies altera Romanæ gloriæ inſcriptionem.

Mauriciū ſumma modeſtia ac profunda pœnitētia memorabilem fama reddidit, vel ob id maximè,quòd cum ſciret ſe multis oneratū flagitiis, & oraculum accepiſſet,vbi pœnam commiſſorum ab eo ſcelerum ſubire præoptaret,in præſens,an in futurum: ſumma ille modeſtia vſus,reſpōdit, Malle ſe in hoc ſeculo purgari,quàm expectare in feram poſt multa piacula mortem. Quo verbo iram Dei pacauit.

Heraclii memoriam, nec vllo tempore interituram gloriam, mirum in modum celebrem reddidit toto orbe Chriſtiano crucis Dominicæ celebrata ſolēnitas: dum ſcilicet ex impii Coſdroë manibus venerandæ crucis trophæum victor eripuit,ſub annum Chriſtianę ſalutis 624. Pro laurea,teſſeram victoriæ, crucis non dico imaginem, verùm ipſiſsimum crucis lignum adorandum exhibuit, cum hac inſcriptione:Gloria in excelſis Deo, qui liberauit ſanctū regnum Heraclij.Cui gloriæ acceſsit profunda eius humilitas,dum angelico ſuſcepto oraculo,nudus & excalceatus crucem venerabūdus manu geſtās,procul abiectis aulicæ gloriæ inſignibus,pronus & accliuis Ieroſolymā venerabile crucis trophæū,vnde vi ereptum fuerat, ſolenniter reſtituit, decimoquarto poſteaquam per ſummam impietatem ablata fuerat,anno.In cuius memoriam die ſingulis annis reuertente, Crucis exaltatæ feſtiuitas ſolenniter celebratur.

Hellenicæ Imperialis gloriæ extremam coronidem Irene Imperatrix,Attico ſata ſanguine,fœliciter compleuit, vel ob id maximè, quòd orthodoxæ religioni tota penè Græcia extinctæ ſuum reſtituerit nitorem, cultúmque imaginum penè iam obſoletum rediuiuum reſtituerit, comitiis apud Romam celebratis ſub Adriani pontificis ductu & auſpiciis.Et de hac re ſatis ſupérq; dictū ſit. Hi ſunt quos obſeruatione dignos tota Græcia delectos Imperatores tuę maieſtati conſiderandos proponere æquum viſum eſt.

Iam qui Caroli ætatem ſequuti ſunt Græciæ Imperatores,præter

vnum aut alterum omnes indigni viſi ſunt qui proborum procerum albo inſcribantur:vtpote iconomaſtiges,aut grauiori aliquo flagitio obſcuri,& ob eā cauſam diris deuoti. Niſi quòd Leo eo nomine quintus appellatus,pietate ac religione cæteros longo ſuperauit interuallo:vir literarum amantiſsimus, & ob Aſtronomiæ ſtudium philoſophus cognominatus:atque etiam Porphyrogenitus, ex natalitia, in qua natus eſt,domo vulgò celebratus. Tēpla partim recenti opera erexit,partim verò diruta reſtaurauit,diuorū ſcilicet Thomæ,Lazari, Magdalenæ,ac protomartyris Stephani. In hoc tamen minimè commendādus, quòd polygamiæ præter fas & æquitatē habenas laxarit.

Fuit præterea memoria apud poſteros dignus Conſtantinus Porphyrogenitus, religionis pietatiſque erga ſuos minimè pœnitendæ, bonarúmque artium ſtudio (vt qui totam encyclopædiā mente complecteretur) commendatiſsimus:ac in re bellica multis partibus excellenter conſummatus.

Nec multò pòſt ſequutus eſt Ioannes Zimiſcus Chriſtianæ profeſsionis obſeruantiſsimus, Bulgaricæ gentis domitor:cuius nutu & auſpiciis nummi inſculpti ſunt hoc encomii genere: Ieſus Chriſtus Rex Regum. Hic locum merebatur huic albo inſerendus Conſtantinus Ducas:niſi pietatis in eo cultum, iuris item & æqui obſeruantiam,auaritiæ ſordes obſcuraſſent.

Exploſis ab Imperatoriæ maieſtatis theatro benè multis, partim ob ignauiam, partim verò ob ſæuitiam obſcuris, titulo tantùm Imperatoribus ſuſpiciendis,ſe offert Iſaacius Angelus, iuſti & æqui obſeruātiſsimus, Chriſtiano nomini addictiſsimus. Hæc ſunt quæ de Imperatorū Conſtantinopolitanorum geſtis paſsim ab hiſtoriographis recenſita, multis de cauſis viſa ſunt non prorſus indigna relatu.

Sed fruſtra in externis propiùs contuendis exemplis diu immoratum eſt, cùm domi abundent atque etiā redundent nullis ex prioribus ceſſura exempla:ſeu tu religionem, rerúmve geſtarum heroicam excellentiam, ſiue etiam in moderandis legibus,moribus componendis, abigēdis ſubigendiſque hoſtibus admirabilē potius quàm imitabilem prudentiæ coniunctam ſtrenuitatem attendas.

Habet regni moles operoſa Gallici ſuā ſyntheſin, veſtiariúmque omni ſupellectile adornatum, togatæ ſcilicet atque adeò cataphractæ militiæ inuincibili armatura. Cui albo inſcribendus primus occurrit is qui in orthodoxa religione primas tenet, protochriſtianus Clodoueus,columna fidei,ſuperſtitionis propugnator indefeſſus,religionis architectus:quam ita à fundamētis erexit,vt nunquam à ſua radice degenerauerit, quin potius errores omnes ad extima loca depulerit,ipſi etiam inhoſpita Phœbo. Ideoque bis Gothicus, victoria primùm adepta,deinde introducta religione, exploſa Arianæ labis ſuperſtitione. Qui & protobaſileus occiduæ Galliæ, & ab Anaſtaſio Imperatore Auguſtus declaratus eſt.

Non ſum ego neſcius non defore aliquos huic Frācorum Regum catalogo inſcriptos, quorū inauſpicatè per eos geſtarum rerum plauſibilior fuerit amneſtia, aut certe nominis obliteratio, q̃ vel mnemoſyne,aut in vulgus non ſine obſcura nota edēda commemoratio. Quid enim profuerit veterum impietatum cineres penè iam extinctos, non ſine graui famæ eorum iactura denuo excitare? Sit illis, ſi non pro laude,pro eorū ſaltem apud poſteros vtilitate,opportunum ſilentium. Quibus in partem reiectis, eorum meminiſſe iuuabit, qui ſe aliquando vixiſſe, collatis in Rempublicam beneficiis (quæ vera

eſt nobilitas) hiſtoria ſuffragante palam teſtari poterunt: alioqui piaculum fuerit penè inexpiabile non meminiſſe. Quid enim profuerit accenſam lucernam modio concludete, & non potius viſeudam expouere omnibus qui in domo ſunt?

Ignauis itaque, aut certe alioqui uoxiis, à tergo relictis: commodum ſeſe offert Clotarius ſecundus huius nominis: qui depulſis corriualibus ſuis, ita ſeſe in officio continuit, vt pacatus ac ſerenus, ſuíſque gratioſus & charus, inque perduellionis reos præter communem morem clemens & haberetut & eſſet: quòd ſcilicet ſatis habnerit (raro in ſimilibus culpis exemplo) vnum ex eis Sedunenſem præſulem hac tantùm pœna mulctate: ne videlicet ei liceret ſaluo capite vltra propriæ diœceſis limires pedem efferre.

Altius tamen cœlo caput extulit Dagobertus idololatriæ apud Sclauos depulſor, & Iudaiſmi Chtiſtianiſmum obnubilantis extra fiues credentium (niſi à ſua ſuperſtitione reſipiſcere mallent) propulſatot. Qui etiam Dionyſianum templum altero à Lutetia lapide, beneficij ab eo accepti non immemor, magnificentiſſimè erigendum curauit in cunctas retro generationes memorabile.

Omiſſis non abs re nonnullis, ignauiæ nubilo (vt ne grauius aliquid dicam) obſcuris, ad Pipiuum me confero, primum in ſuo genere ſine imaginibus regio nomine nobilem ſuorum couſenſu procerum, ac iuterpellati ſuper ea re Romani pontificis conniuentia.

Sed medium ſeſe heroica virtute ſuſpiciendum oſtentat Dux ille pietate inſignis & armis Tutides, Ethnicæ ſuperſtitiones malleus, qui regibus ſine regio diademate ita præluxit, vt & Regum moderator vſque ad tetradem regnantium & haberetur & eſſet, Rex, ſi non titularius, houorarius ſaltem appellandus: ita vt Herculeis exantlatis laboribus, ſui temporis Alexicacos nemine contradicente cenſeretut. Nec obſtat natalium obſcuritas tam ſplendidis illuſtrata rerum bene geſtarum radiis, vtpote omnium ordinum conſenſu & electione diluta. Et is quoque eouſque prouectus eſt, vt primam Carlingis omnibus ſementem miniſtraret.

In quibus præ cæteris énituit gemma Imperatorum orthodoxorum omnium, & Chriſtiani Sol imperii, Carolus re & cognomento Magnus. Qui vti Sol ab ecliptica, ita & à ſui ille ſtatus excellentia, ne ad latum quidem vnguem deflectere viſus eſt: ob idque appellandus maximus, cæteros Imperatores longo interſtitio à tergo relinquens. Huius ſi quis heroica facta requirat, per mare quærat aquam. Sed & de eo quo plura dixeris, multo plura dicenda ſuperſunt: quæ ſuis recenſebuntur locis.

Qui Carolum Magnum proximè ſequitur Ludouicus Pius, ſua ſeipſum ſuperauit clementia, beuignitate etiam beneuolentiáque cæteros: dum Anrelianum antiſtitem læſæ maieſtatis reum, nec vlla (quod fando auditum ſit) à Cæſare iniuria laceſſitum, vnius è vinculis cantiuncula declamatoris contentus impunem abire permiſit, & priſtinæ reſtituit libertati. Quodque magis mireris, ſex & viginti intra Aquitaniæ limires templa aut architectura erexit, aut prouentibus locupletauit: tantum aberat vt ſacrorum miniſterio addictos moleſtia afficeret: niſi ſi peccare fatemur, perditorum quorundam mores componere collapſos.

Ad partem ſemotis, nec citra rationem, quibuſdam intermediis, ad Hugonem & Hugonianos me transfero. Dictus eſt Hugo non ſine auſpicato nomine Capito, Capitalisve, aut Cephalus: vt qui omnium Hugonianorum primus, ab ima radice ad ſummum Regalis progeniturae faſtigium in hanc vſque aetatem caput extulerit: quo fit vt Aſſuerus, ſeu Achaſſueros (quod ſi interpreteris, capitalem Principem, capútve praecipuum ſignificat) meritò appelletur. Rex ſine praeuiis ſceptri Regalis inſignibus illuſtris, belli iuxtà ac pacis artibus inſignis, generoſi prole in hanc vſque noſtram aetatem omnibus ſuſpiciendus. Vt inde colligere promptum ſit, acceptum aliquando oraculum de longinquo ſuae proſapiae ductu, magis ad ſempiternam (abſit audacia verbo) quàm ad ſeptimam tantùm generationem intelligi oportere. Is Hugo eſt, cuius haſta erat fulgurans, & gladius flammeus. A quo etiam velut ab equo Troiano innumeri regio ſtemmate decorati proceres prodiêre. Qua in re Hugnaonti proſapia & Merouingorum & Carlingorum longo ſuperat interuallo. Hugonianorum itaque ſoboles non diſſimilis mihi ſemper viſa eſt arbori: cui aptiſſimè alludit praegrandis typus arboris apud Danielem 4. cap. vbi ita legitur: Videbam, & ecce arbor in medio terrae, & altitudo eius nimia. Magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens coelum. Aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſae terrae. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca vniuerſorum in ea. Subter eam habitabant animalia & beſtiae: & in ramis eius conuerſabantur volucres coeli: & ex ea veſcebatur omnis caro. Quo loco arbor Regem, rami Principes, fructus annuos prouentus viua quadam imagine praeſentant: aues, ex profeſſo religioſos: beſtiae vmbrae ſuppoſitae, ſubditos reliquos. Et ne quid ad ſimilitudinem deſit, effecit diui Ludouici apotheoſis, vt rami eius contingerent coelum.

Huius itaque Hugonianae arboris radices fuere, Robertus Franciae propugnator aduerſus Danicam rabiem, Andegaueoſium Comes. Cui ſuccedens Odo, communi procerum conſenſu Regij diadematis inſignia ſuſcepit. A qua electione pendebat & ius & formula Regum, ob Caroli ſtupidi mentis deliquium, aut certe imbecillitatem. Nec tamen continuò ad poſteros deuoluta ſunt regni inſignia. Hugoni rerum geſtarum gloria magno, non tam ſceptrum quàm regiminis adminiſtratio acceſſit. Sed nec eius filius Hugo Capetus regni diadema (cùm tamen verè Rex & haberetur & eſſet) attentare voluit. Primùm enim omnium Robertus Hugonianus coronae decus regiae in ſe recepit. Primus itaque inter Hugonianos Robertus regio coronatus eſt diademate. Quod autem ad Hugonem attinet, nemini dubium eſſe poteſt, pari iure ac ſtemmate eum ex linea Caroli Magni prodiiſſe, quo Carolus ipſe à Pharamundo aut Merouco: per lineam ſcilicet vterque, ſi non maſculam, certè foemineam. Per Bitildem Pipinus Caroli Magni genitor, per Aigundam verò Hugo noſter Capito toro legitimo procreatus eſt. Caetera ſuppleuit procerum (vti iam dictum eſt) conſenſus, qui vnus inſtar omnium eſſe iure poteſt: id quod in Pipino Caroli Magni genitore experientia docuit. Protulit haec arbor variae nomenclaturae palmites. Robertum huius appellationis vnicum clariſſimis titulis (vt mox dicetur) vnicè dotatum. Protulit etiam Henricos, Philippos, Ludouicos, & Carolos. In Henricis enituit ad continendos in officio proceres & ſubditos, mira temperaturae ſerenitas. In Philippico ſtemmate, Auguſta foelicitas. In Carolina propagine, praecellens ac ſublimis in re bellica dexteritas, admirabilis potius quàm imitabilis.

Vt autem de ſingulis ſelectim diſſeramus, æquum viſum eſt exordium ſumere à nouiſsimis vſque ad primos.

Primus itaque (ô Henrice Chriſtianiſsime) genitor, maiore q̃ vt vires ferre poſsint, ſtylo, venaque ditiore illuſtrandus occurrit Francicus ille tuus, poſt Franconem & Francum priſcos Frãcorum Reges, ea appellatione tertius. Neque enim obſtat vnius adiectio literæ, qua vulgus de Francico Franciſcum vſu magis quàm ratione protulit. Erit itaque hic nobis præter communem plus iam ſatis vulgatam opinionem tertius.

Habitura eſt Chriſtianiſsima tua maieſtas, ſi vel ſumma tantùm regalium geſtorum capita è longinquo proſpicere velit, quos colere, quos item admirari, ſaltem ſi non aſſequi, quos imitari minimè pigeat. Nec deerunt, quos longo ſuperare queat interuallo.

Fuit (vt tandem ordiar) illuſtriſsimus genitor tuus Franciſcus bonarum artium ſator atque propagator, vt qui nullis pepercerit impenſis, quò minus omnium artium liberalium prælectores ſibi adſciſceret. Sed nec defuere, qui linguas per totum orbem Gallicum, Hebraicas, Græcas, & Latinas, illius ære conducti diſſeminarent, atque adeò diffunderent, vt non fuerint tam Atticæ Athenæ ipſæ, nec tam Hebraicus Hebraiſmus, ſed nec adeò Latinum Latium. Fuit ille toga valens & armis, pacis & belli artibus probè inſtructus. Quis enim neſcit Gallicam per eum monarchiam per Allobroges, penetratis alpibus, vſque ad Inſubres dilatatam?

Vt autem ad cæteros Valeſios progrediar, fuit Ludouicus duodecimus artibus pacis clariſsimus, tranquillus inquam, ſerenus, & verè publicola, nec minus triumphator in armis: Genuæ domitor, poſſeſſor Mediolani, Venetorum triumphator: denique nuſquam non victor ſemper inuictus.

Iam quis Carolo octauo, pro ea qua ſuperſtes fuit ætatula, rerum præclarè geſtarum gloria & copia celebrior vnquam viſus eſt? qui vniuerſa penetrata Italia, trimares docuit ſeruire Sicanos. Vnde & ſanus & incolumis, frendentibus etiam quibus vallatus erat, hoſtibus, ſuam reuiſit Galliam, propulſatis omnibus in eum paratis inimicorum inſidiis: quorum fraude retecta, turpique infamia, dilatæ ſunt vltrices in idonea tempora pœnæ, inque authorum capita apud Inſubres Venetóſque retortæ.

Qui Carolum genuerat Ludouicus, regio non defuit officio, directa Valeſius linea, quæ in Carolo deſierat octauo: ad vtranque Aurelianenſium familiam poſtmodum deuoluta regni ſucceſsione, nempe vſque ad Aqualiſmenſem: vnde tua, Henrice, maieſtas è directo traxit originem. Hic inquam Ludouicus in omnem paratus euentum, ſumma cura ac diligentia ſuam cui præerat Galliam in integrum priuſquam è viuis decederet, reſtituit: quin potius tanquam limenarcha impiger quaquauerſum muniuit, certiſque limitibus ſtabiliuit. Eccleſiæ opes tantum aberat vt ſibi tribueret, vt eas potius copioſè auxerit. Nec vſquam fando auditum eſt, quòd iuſtitiam ita proſtituerit, vt eo regnante venalia ſubhaſtarentur officia. Sciebat ille emendos potius eſſe iudices probos & incorruptos, quàm ſubhaſtationi incorruptam virginem Iuſtitiam per venalitatem ſubmittere. Diuæ Virgini clientulus addictiſsimus dum viueret fuit, & ſacrorum pignorum cultor indefeſſus. Tragœdiam ille à teneris (à fumi venditoribus ſeductus aulicis)

parum fœlicitet inchoatam, fœlici tandem fine compleuit. Non enim tam refert quàm debili inchoauerit initio fabulã illam, quàm quòd læto tandem clauſerit exitu. Fœlici prole decorus hinc exiit, parta ſuis tranquilla pace. Debilius enim principium melior fortuna ſequuta eſt, ſcilicet (vt ille ait:)

vltima ſemper
Expectanda dies homini: dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera, debet.

Parem, ſi non grauiorem, fortunæ tumultuantis conditionem expertus Carolus ea appellatione ſeptimus, poſt multos nutantis fortunæ varioſque caſus, cœlitus adiutus virgunculæ Ioannæ ſubſidio, ſuperatis omnibus aduerſis ſuperior euaſit, fugato & exterminato hoſte Anglo, idque vnius potiſsimum cunctationis præſidio. Ideóque meritò cunctator longanimis appellandus venit: vt qui vnus cunctando reſtituit rem, nunquam conſtituens rumores ante ſalutem. Neque id ex leui vanaque auræ popularis coniectura obrepſiſſe exiſtimes. Rebus enim tunc Gallicis miſerè collapſis, ac penè diſsipatis & protritis, æmulorum vndecunque erumpentium inſidiis ac machinamentis vna medela opus erat, huius ſcilicet cunctatoris Caroli ſeptimi variis fortunæ caſibus agitati longanimitate.

Qui enim ſextus præceſſerat, partim mentis deliquio, partim verò æmulorum occulta coniuratione, omni ex parte affluentium præuaricationibus, Britanni ſcilicet vtriuſque Britanniæ continentis & inſularis procerum, cùm tamẽ regis ac regni beneficiarii haud dubiè cenſerentur: hi nihilominus ſub omni (vt ſic dicam) lapide vti ſcorpii dormitabant.

Sexto itaque in partem relicto Carolo, quintus cognomento (id quod res ipſa declarauit) ſapiens, clarus euaſit, rerum à ſe geſtatum memoria inſignis, ac penè inimitabilis. Quintus iſte ex illuſtriſsima Francorum Regum proſapia numeratur Carolus: qui ex inclinantis in deteriora fortunæ anguſtiis, in ſublime tandem euectus eſt duarum remigio alarum, maturi ſcilicet conſilii procerum ſanguinis attinentia illi deuinctorum, Ducum ſcilicet Andium, Burgundionum, & Biturigum, quos habuit à conſiliis vnà cum Borbonio Duce, & militiæ præfecto Bertrando, qui cognominatus eſt à Vado Aquino, gallicè Gueaquin, non (vt vulgo aiunt) Gleſquin. Cuius priſca fides, inuictaque bello dextera, regno tranquillitatem comparauit, bellorum tumultu in exteras regiones relegato: imò & moriens ipſe, receptis ab hoſte clauibus, quaſi alter Samſon triumphauit. Quo factum eſt vt Carolus hic, Sapiens paſsim acclamaretur, vnctus oleo lætitiæ præ participibus ſuis. Rem ille ſuam publicam ita excoluit, vt diuino implorato fauore multis titulis clarus euaſerit. Vicit enim etiam inermis armatos, conſiliis domeſticis potius quàm forenſibus armis, & ad bella inſtructis præſidiis adiutus. Fruſtra enim ſunt arma foris, ſi forte deſit conſilium domi. Regni ſui patrimonium dilatauit & auxit. Dominium multa verſura obæratum, liberum reſtituit. Ædibus ſacris prophaniſque arcibus ornatum munitúmque præter communem hominum expectationem reliquit. Publicum ærarium (quod magis mireris) & re nummaria, & minimè contemnenda ſupellectile, hinc abiturus, ad Reipublicæ vſus, futuraſque propulſandas iniurias abundè muniuit. Quæris exitum? Vir iſte & re & cognomento ſapiens, ad omnia vigilanter intentus: graui ære à Ioanne Cabilonenſi An-

tiſsiodorenſem Comitatum vno ac triginta aureorũ nummûm millibus Reipublicæ vſibus comparauit. Sed & extrema imminente hora, ingentem auri aceruum ad ſuſtinendas militares impenſas ſucceſſori (ſpe tamen ſua fruſtratus) reliquit: ob auri ſacram famem quorundam, qui prædæ inhiantes, priuata publicis prætulerunt. Rebelles nihilominus apud Montem Piſculanum ciues, viginti aureorum nummûm millibus mulctauit. Inde ſequutum eſt, vt ſupremis tabulis hinc abiens reliquerit numerandos octogies mille aureos nummos. Ideoque ob eam (ſi cætera deſint) rationem, ad omnia attenti & prouidi Reipublicæ œconomi gloriam poſt fata reliquit, vnà cum ingenti ſui deſiderio.

Fortunati ac fœlicis, illi arridente ad tempus fortuna, nomen adeptus eſt Philippus Valeſius, Valeſiorum omnium primaria radix: qua fortuna vacillante, didicit vero verius eſſe illud poetæ oraculum:

Fidite virtuti: fortuna fugacior vndis
Non manet, & certam neſcit habere domum.

Qui eum iunctim præceſsit Philippus alius, à corporis proceritate Longus cognominatus, ex hoc potiſsimum commendatur à poſteris, quòd animo ſtatuiſſet, vt apud ſubditos ſuos omnes vnius menſuræ, ponderis, ac effigiatæ pecuniæ æqua formula conſtitueretur. Laude vtique dignum inſtitutum, ſi regni amplitudo Gallici & vaſtitas, quæ à Pyrenæis prorogatur ad Alpes, ingeniorúmque per varias regiones diſperſorum (dum vnaquæque in ſuo ſenſu abundat) vſus varius id aliquando pateretur: vt interim taceam mutua cum externis variegata commercia. Quæ omnia arduum fuerit vna velle metiri pertica, & anguſto comprehendere pugillo. Nec minus tamen commendabile eſt argutè excogitatum inſtitutum, quandoquidem in magnis & tentaſſe ſat eſt. Obſtant nihilominus mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus. Nonnunquam enim accidit, vt arctior quædam ſeparatorum attentata vnio erumpat in ſeditionem.

Pulchri apud poſteritatem Philippi fuit, nec minus futura eſt pulchra decoraque memoria, vel ob id vnum, quòd ſeſe præſtiterit iuris & æqui tenaciſsimum cultorem, inque vindicandis apud ſuos hinc inde illatis iniuriis ſeueriſsimum cenſorem & vltorem, vt per hoc ſe ſuoſque in officio contineret. Hoc ipſe accinctus gladio potentiſsimè, ſpecie ſua & pulchritudine intendens, proſperè proceſsit & regnauit. Eſt enim fructus iuſtitiæ, pax, & ſeditionis exilium.

Poſt hæc bene multa in lucem nominatim ac minutatim prolata Reipublicæ bene adminiſtrandæ viua exemplaria cateruatim ſe offerunt in omni Hugonianorum proſapia tria potiſsimum nomina, quæ ſui memoriam ob rés bene ac fœliciter geſtas perpetuam reliquerunt, Carolorum videlicet, Ludouicorum, atque inſuper Philipporum. Et de Carolis nonnihil attigimus. In Ludouicis autem nobis ſuperſunt aſsidua obſeruatione & imitatione digniſsima ſpecula: in quibus illuſtriſsima tua maieſtas viuam Principis imaginem nullo negocio contemplari, nec ſine delectatione, promptiſsimè poſsit.

Vnus inter ſuos cognomines diuus Ludouicus, pietate erga Deũ & homines inſignis & armis, omnium ſui ſimilium menſuram redundãter impleuit: qui præ cæteris participibus ſuis ſummus & imus

erat: pauperibus locuples, ſibi parcus, & omnibus idem. Mira dexteritate & illuſtriſsimi Principis, & heroicæ modeſtiæ Chriſtianiſsimi perſonam ſuſtinuit, adeò excellenter vtranque, vt vtram magis, vix diſcernere quiſpiam valeat. Pleraque in cæteris exempla virtutum inſigniter memorabilia coruſcare, nemo eſt qui neſciat. In hoc autem vno, duorum numero adſcripto, ideoque fama ſuper æthera noto, Ludouico, omnigenæ virtutis exemplar, Chriſtianarúmque virtutum ſacrarium coruſcare videbis: ita vt titulo ac re etiam ipſa Chriſtianiſsimi panopliam (vt ſiquis alius) ſingulari quadam excellentia abſoluiſſe videatur, omnibus omnia factus, ſummis inquam, mediis & infimis, non proceribus tantùm, immo & proletariis, aut quibúſve capite cenſis ſuis moribus accommodus. Certabant ex æquo inter ſe apud domeſticos ſuos elegans diſciplina, & ad ſubditos iuſti & æqui tenaciſsima obſeruatio, & in Rempublicam pius ac zelo redundans affectus: magnificentia vltra vſus communis limites copioſè diffuſa, etiam vſque ad exteros ſiue hoſtes ſiue aliàs barbaros propagata. Vnus hic Ludouicus omnes omnium ſtatuum inſignioris notæ conditiones in ſuo ſemper ære retinuit, ſuoque ſinu peculiariter fouit. Quis enim eo fuit deſpectæ conditionis hominibus vſque ad ſui deiectionem humanior & obſequentior? nempe vſque ad leproſorum & omnium genere morborum laborantium oſcula & amplexus, ita vt eſſet illis & conuiua, & à cubiculis, ſui contemptor, aliorum admirator, qui modò forent Chriſtiana aliqua virtute probè inſtituti. Rurſum, quis in tollendis è medio Reipub. Chriſtianæ offendiculis aut attentior, aut vigilantior, aut certe ſeuerior, ac perſeuerantior hoc vno noſtro Ludouico? vt qui blaſphemiæ in Deum, ſacra, ſuperóſque illatæ, iudex ſemper & vindex fuerit & vltor, hac in parte præceſſorem ſuum Ludouicum cognomento Iuniorem imitatus. Edixerat enim ille blaſphemos in ſuæ pœnam blaſphemiæ gurgiti immergendos, tantùm ne enecarentur. Hic autem ſemoto mortis periculo iuſsit vt huius culpæ rei perpetuæ vredinis notam in lingua ſuſtinerent. Inflexibilis Hiſtrionicæ oſor impoſturæ, quam etiam à ſuis finibus relegandam ac propulſandam exactiſsimè curauit: non neſcius, quòd amicus ſtultorum, ſimilis illis vel ſerò ſaltem efficeretur. Iam ſi ad Reipublicæ munia te conuertas: omnium malorum quæ Rempublicam hodie euertunt, penitúſque ſubuertunt, officiorum auctionem & venalitatem, noſtræ ætatis præſentiſsimum peſtilentiſsimumque venenum, ita exoſam habuit, vt potius curauerit incorruptos grauibus impenſis ſibi comparare iudices, quàm turpiter venalitate officiorum caſtam incorruptamque virginem Iuſtitiam, veluti ſcortum cuiuis penè obuio (vt hodie paſsim cernere eſt) proſtituere venalem. hoc etiam præcauens, vt omnis fauoris procul exularet occaſio: ne cui liceret intra ſuæ iuriſdictionis cancellos pro ſe ſuiſve prædia vllo comparare precio, minus verò ſacerdotia. Si autem magnificentiam in eo heroicam attendas, incredibile eſt quantum auri, argenti, æriſve exhauſerit, atque etiam impenderit ad ædium ſacrarum ſupra communem modum amplificandam architecturam: quin potius ſodalitia ampliſsimis ſumptibus conſtituenda & erigenda ille curauit. Xenodochia ingenti & ſumptu & numero vſque ad tetradem erexit, vnum ad Marianum templum Lutetiæ, apud Pontiſaram alterum, Vernonienſe tertium, Compendienſe quartum. Cœnobiorum copiam, quæ aut ſuis extruxit im-

penſis, aut prouẽtibus locupletauit, quis enumeret? Cuiuſmodi ſunt Longocampenſe pone Lutetiam, & Cartuſianum ſodalitium, diui item Matthæi apud Rothomagum, aliud Montis regalis quartum: Loci etiam regii, vulgo Royaulieu. Intra Lutetiæ ambitum quatuor ordinũ familias fouit, aluit: eaſque & cubiculis & tecto magno ſumptu comparato donauit. Fratres olim Rubri montis, domicilio illis constructo, intra mœnia vrbis allexit: qui nunc Gulielmitæ dicuntur. Nec minoribus impenſis Cruciatorum ordinem erexit & auxit. Inque via Dionyſiana ſacrarum Veſtalium Theogynæcium, quod etiamnum extat, ampliſsimè dotauit. Theologicam Academiam, Roberto Sorbonico in eam rem ſuffragante, ſtatuendam curauit, omnium altricem nationum. Quod autem reliquas architecturas ſuperat, aulici templi ſacrarium duabus teſtudinibus contignatum, penè ad perpendiculum vſque ad ſummum faſtigium erexit. Cætera quis enumeret? Hic habes magnificentiſsimas regio honore dignas ædes extructas numero viginti. Has impenſas ſi in vnum contuleris aceruum, mirum vnde illi ſuppetere potuerit ad bella gerenda ſumptus aut pecunia, quæ neruorum belli inſtar habetur. Rurſum, ſi exercitus alendos, ac etiam proprii redimendi corporis effuſam æris copiam tecum reputes: nihil ſupereſſe potuiſſe dicas ad innumerabilem eleemoſynarum largitionem faciendam, ita vt non aliud ſuperſit depromendum elogium, quàm illud Sapientis: Beatus vir, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Cui reſpondendum eſt, Eſt hic. Quin igitur laudetur à nobis, qui ſublimior aſtris factus, poſt ſe virtutis heroicæ admirabile potius quàm imitabile exemplum per cunctas in poſterum generationes, ac ſui etiam deſiderium reliquit, abiectis corporis deliciis? Hic ſubit admirari vſque ad ſtuporem vix credibilem eius longanimitatem, quòd ſcilicet potius habuerit pacis acquirendæ ſtudio intra limites Chriſtianiſmi conſtitutos Anglos cum quadam regni ſui detruncatione amico fœdere reconciliare, parte Aquitaniæ illis relaxata: vt ſcilicet liberius tota acie hoſtem fidei, eum qui nunc Turca eſt, Sultanum Ægypti debellaret: quàm intra regni ſui limites torpeſcere, & inaniter ociari, aut certè coniurato inter Chriſtianos prælio Rempublicam Chriſtianam aliqua ex parte mutilam lacerámve relinquere: in hoc ſolùm intẽtus, vt fidei Chriſtianæ limites in immenſum dilataret. Dicam amplius, quod ſpem communem ſuperat: Ille ipſe zelo fidei accenſus, in vincula coniectus, magno auri pondere redemptus, ſibi temperare non potuit, quò minus iterato prælio hoſtem inuaderet, ſeſe ſuoſque exponens ſummis aduſque fata extrema periculis. Sed tu mihi vide, quàm mirabilis fuerit in altis Dominus. Vicit etiam mortuus hoſtem. Ductũ enim & auſpiciis ſucceſſoris eius Philippi, hoſti imperatum eſt tributum annuum Siculo Regi quotannis numerandum ad ſummam quadringentarum chiliadum drachmarum auri. Quid audio? Etiámne mortuus inermis aciem deterret hoſtilem? Hac in parte nec Samſoni ipſi gloria cedens, Barbaris imperat ſui hæredis organo, vt eò tandem ſuæ dum viueret redemptionis precium reuerteretur, vnde exierat: vt demum compleretur illud: Quod timet impius, incidet ſuper eum: deſiderium autem ſuum iuſtis dabitur.

Paternæ ſucceſsit non ſolùm hæreditati, imò & aliqua ex parte virtuti Philippus Rex: ipſius frugalitatis, inque ſuam carnem auſte-

ritatis,& in reliquos modeſtiæ, prudentiæ, ac longanimitatis, penè ad veſtigium imitator. Qui vt pater Ethnicorum,ita & ipſe hæreticorum contudit inſaniam.Sed hoc ad rem pertinet Philippicam.

Corpore quidem craſſus Ludouicus, ingenio tamen ſubtilis & acer,plebem ſuam pacatiſsimè atque indulgentiſsimè fouit. Neque in exugendo ab ea nummario ſucco aliqua in parte moleſtus fuit. Rebelles tamen quoſdam & peruicaces (vti res ipſa exigebat) domuit. Nec religionis oblitus, cœnobium Sanuictorinum ſecundum vrbis Pariſinæ mœnia à fundamentis erexit, auxitque prouentu minimè pœnitendo: vnde viri pietate ſimulque theologica eruditione nobiles prodiere, Richardus & Hugo, Victorini ambo, & ex æquo theologiciſsimi. Si patrem Ludouicus iunior proles imitata fuiſſet, ſibi ſuiſque poſteris præcauens:ſuæ coniugis diuortio Alienoræ, atrox vulnus & in hæc vſque tempora necdum exhauſta ſanie cruētum minimè inflixiſſet. Adeò verū eſt, Quod ante oculos ſitum eſt, non ſatis eſt intueri:rerum verò exitus prudentia metitur.

Iam tandem Philippica enucleanda reſtat proſapia, eorum qui eiuſmodi nomenclaturam ſortiti ſunt. Vnus inſtar omnium ſeſe offert (citra tamen cæterorum, quorum maxima turba eſt, præiudicium) multo ſplendore coruſcus Philippus ille trinomius, qui ſcilicet Adeodatus natus eſt, regeneratus autem Philippus, & indefeſſa virtutis opera tandem factus Auguſtus. Qui vnus(vt ſiquis alius)diſcerptam ac dilaniatam ante dies ſuos Galliam ipſi Galliæ reddidit incolumem, depulſis longiuſque abactis ſine vlla ſpe reditus ex profeſſo hoſtibus. Atque ob eam potiſsimum cauſam, præter nominis fœlicitatem, quo ſcilicet dicebatur Adeodatus, ac quodammodo Dorotheus, Theodorúſve, aut certe Theodoſius, Auguſti cognomentum promeruit. Fuit & ipſe in architectura ac locorum deſolatorum reſtauratione vix vlla in re minor Auguſto Cæſare, atque etiam omnibus numeris religioſior. Is ipſe eſt Philippus, qui tranquillæ pacis tempore Rempublicam in ſublime erexit, præſertim Lutetianam:ædilitium in media vrbe contuberniū erigens, ſeu Scabinorum collegium. Bonam ille vrbis partem mœnibus cinxit. Vias in media vrbe plurimas ruderibus ſtrauit. Ampliſsimum polyandrium, Innocentianum videlicet, quadrato lapide ambiuit. Latiſſimo complexu emporium ac penè œcumenicum in vrbis vmbilico conſtituit. Saltum quem Vicennarum dicunt (qui forſan vitæ ſalubrioris ſeptum rectiùs appellaretur,vulgò Le bois de vie ſaine) propugnaculis ſtabiliuit, & longo murorum ambitu (vti nunc cernere eſt) circundedit. Quem tamen poſt dies aliquot & annos, Lutetiæ occupator Henricus Anglus ferarum omne genus copia fœcūdum reddidit,ſed in ſolo alieno. Neuſtriæ marchiam totam ab Anglis eripuit, poſteaquam à diebus Rollonis per annos ſexaginta ſupra ducētos barbaro fuiſſet addicta iugo. Verùm hæc omnia modica ſunt, ſi cum pugnæ Bouinenſis triumpho,& obtenta cœlitus victoria conferantur. Extat victoriæ monumentum omni ære perennius pone Syluanetum, cœnobium videlicet elegantiſsimum Auguſtinianæ addictum familiæ, diuæ Virginis ad victoriam: Otthone (poſtea exauthorato) Imperatore in fugam conuerſo, Fernādo Flandrenſium Comite apud Luparam in vincula coniecto, Reginaldo Bolonio in Peronæ propugnaculū intruſo, Saleſberienſi Anglo apud Sanquintinianum phanum arctiſsimis vinculis irretito. Qua in re Theodoſii & nomen & perſonam induit. Cuius epinicium ſuprà retulimus.

Totam ille Theodoſius noctem duxerat inſomnẽ, vt hoſtiles manus euaderet:qui orãs perorauit.Iſte verò apud ſacrã Virginis intemeratæ ædiculam ad orationem proſtratus, victoriam cœlitus impetrauit. Cuius ne memoria apud poſteros deperiret,extat Poëticũ carmen titulo Philippeidis,typis excuſum:quo inter cætera cauetur.

Motus ad hanc vocem Rex,illico ſurgit,& intrat
Ædiculam,Dominóque ſuum commendat agonem.
Finitáque breui prece,mox egreſſus,amici,
Feſtinemus (ait) ſociis ſuccurrere noſtris.
Non iraſcetur nobis Deus,arma feramus
Illos ſi contra ſacrato tempore,qui nos
Impugnant.nunquam fraudi fuit hoc Machabæis,
Armati quòd ſe per ſabbata ſancta tuendo,
Hoſtiles ſancto vires fregêre trophæo.
Imò die pugnare magis debemus in illo
Sedulò,quo facilem Dominum diſperſa per orbem,
Quam defenſamus,nobis Eccleſia placat.
Hæc ait,atque armis artus communit,& alto
Inſilit acer equo:lituúmque horrente boatu
Circa ipſum,curſu valido ſe vertit in hoſtem.
Qui ſibi iure timens,tergo non parcit equino,
Dum memor eſt celeri ſolum ſeruare fuga ſe.
Nec curat quanto vitæ in diſcrimine ciues
Negligat expoſitos cædi,mortíſque periclo:
Cautior in præſens propriam curare ſalutem,
Quàm certus vinci fruſtra ſuccurrere victis.
Sectatur ſed Barra ferox,requiéque negata,
Iam tenet acer eum per poſteriora toroſi
Arma humeri,galeámque inter collique rumorem
Fortiter infixis digitis,dum vertice conum
Vellere conatur,quo ferro gutturа rumpat:
Ecce piloſus adeſt Comes,& Gerardus,Othóque
Tinqueburgius,& quem clara Cremonia miſit,
Et plures alii,iam Saxona qui fugientem
Sectantur:dominíque fugæ ſolatia præbent,
Talibus vt ſociis habeat minus ille pudoris.

Iam quæ hic dicẽda ſupereſſent,ex Hierarchia noſtra Lutetiana,vbi de Mauricio præſule agitur, hauriri poterunt. Hic autem è duobus vnus eſt, qui præter egregia cæteris in rebus ſublimiter acta facinora,Reipublicæ ſub extremos dies ita conſultè prouidit,vt ærarium ſuum fœcundius multò quàm cæteri locupletarit. Cauit autẽ teſtamento,vt in ſubſidium terræ ſanctæ,Regi Hieroſolymitano Ioanni,opis auxiliíque indigo,numerarentur libellarum numeralium Pariſienſium centum millia:ad Albigeſiorum reprimendos impetus vicies mille libræ:ad ſubueniendum indigentium paupertati,chiliades quinquaginta.Synheſin ſuam omnem ad ædium ſacrarum decorem dicandã curauit,vir (vti ſi quis alius)& toga inſignis & armis.

Geminos ex his,quæ dicta ſunt,in hac Hugonianorum proſapia Auguſtos colligere promptum eſt,Philippum hũc, Carolum alterũ: qui Galliam ipſam Galliæ reddiderunt,quíque ærarii publici fortunas ampliſsimè inſtaurarunt. Nam & Carolus ſapiens cognominatus,vndeuiginti chiliadum chiliadibus nummorum aureorum eius ærarium adauxit.Neque ab re fuerit huic albo inſcribere Philippum

primum publicolę prouidi nomine clarum:qui cùm præmatura ętate rei Francicæ moderamina tenuerit, annoſiſsimè tamen in regni faſtigio perdurauit,aduſque videlicet iubileũ termino excluſo, annum videlicet vndequinquageſimum.Qui tametſi ſibi plus ęquo indulgens fuerit,rem tamen Gallicam locupletauit Biturigum & Vaſtinienſiũ agris,quos numerata pecunia in Galliæ ſuæ vſum, auctioremq; fortunam cõparauit.Et hac in parte meritò appellandus Reipub.ſuæ Gallicæ inſtaurator. Cæterùm mihi ſeſe offerunt alii pręterea duo in rebus ſacris Chriſtiana religione auguſtiſsimi.Diuus in primis Ludouicus,ſacrorum in Gallia templorum poſitor(vti iam dictum eſt) & inſtaurator. A cuius magnificentiſsima deuotione non procul abfuit Francorũ Rex,tui cognominis Hẽrici fœlici prole fœcundus,inter Hugonianos vnicus ea appellatione Robertus. Ille inquam Robertus hagiophilus,qui in rerũ ſacrarum cultu & augmento verè Auguſti nomen obtinuit.Sed & triſmegiſti gloriam aſſequutus eſt,vtpote religioſiſsimi,literatiſsimi,& artib⁹ pacis (vt ſiquis fuit alius)præſtantiſsimi.Fuit enim literatus, ſtudioſus, religioſus cũprimis ac pius.Fuit certè præter communẽ modũ pius, religioni addictus,pacatus ac manſuetus,& (quæ in ſummis rara auis eſt Principibus)multiſcius,impẽſeque eruditus.Curauerat enim genitor, vt ſub multæ ac variæ lectionis Philoſopho totã humaniorũ literarũ deuoraret encyclopędiam:muſicæ artis adeò peritus,vt vocibus numeriſque canoris Deo ac ſuperis deuotos hymnos (qui hodie extant) ipſe & cecinerit, & vniuerſæ (quæ paſsim per orbẽ Chriſtianũ latiſsimè patet)Eccleſiæ decantandos reliquerit:qualia ſunt iſta: Iudæa & Ieruſalem.& hoc etiam: O conſtantia martyrum.vnà cum canora illa proſa:Veni ſancte Spiritus.In quibus ita concinnè conueniunt concentus & dictio,vt vtrum magis excellat, vix queas diſcernere. Iam ſi magnificos in templorum erectione ſacrorum ſumptus attendas, dicas eum,vno aut altero demptis,nulli ceſsiſſe ſecundum.Carolum excipio Magnum,& diuum Ludouicum. Ædes vnus iſte ſacras erexit ſumptibus innumeris ad hãc vſque noſtrã ętatem mira venuſtate decoras,in famæ ſuæ monimentũ omni ære perennius. Primum itaque erexit diui Nicolai Campenſis templum pone ædes ſuas Palatinas:in quibus hodie viſitur cœnobium Martinianũ Benedictinæ familiæ.His acceſsit Deiparæ Virginis ſacratior ædes, vulgò appellata Campeſtris,in ſummœniis Pariſiẽſibus. Cuius etiã numini ac nomini apud Aurelios extruxit ædem ſacrã ad Euangelia cognominatã: vulgus appellat Bonnes nouuelles. Nec procul à mœnib⁹ diui Aniani ſacratium.In Pictauis diuo Leodegario ædẽ dicatam conſtituit apud Victoriacum.In Perticenſi agro diuo Medardo tectũ conſecrauit:Chriſtiferæ Virgini apud Stampenſe caſtrum,Syluaneti diui Reguli,Auguſtoduni (Eduam vocant) diui Caſsiani tẽpla magnificentiſsimè à fundamentis erecta conſtituit. Vt ne illud etiam omittam, quòd Dionyſianum ſodalitium altero à Pariſiis lapide diſtans, egregiis prouẽtibus duplo penè fœnore ditauit ac dotauit. Quin & apud Piſciacum,diui Ludouici natale ſolum, (vulgus appellat Poëſci) vbi Conſtantia coniunx cõdita iacet, Auguſtinianæ familiæ templũ con ſtrnendũ curauit:quod tamẽ ſub Philippo diui Ludouici filio in Dominicanorũ ſodalitiũ tranſmigrauit. Et hic fuit Robertus multis nominibus Henricianus, hoc etiam nomine charior tuæ maieſtati:qui (quod rarenter inter ſummates accidit) cùm inter ſe & fratrẽ de rerum ſummą adminiſtranda ageretur,contrà quàm dici ſolet,

Rara fides regni ſociis, ſummíſque negatum Stare diu: vno mentis tenore illi pacatiſsimè conuixit. Dixiſſes vnã in duobus corporib⁹ habitaſſe animã. Neq; enim ſurda aure exceperunt verba Abrahami ad Lot ſibi ſanguine iunctũ pronũciata: Ne forte oriatur iurgium inter te & me, ſeruos tuos & meos: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dextram tenebo: ſi dextram tenueris, ego ad ſiniſtram vadam. O verè dignum perpetua cõmẽdatione & imitatione exemplũ: cùm hoc noſtro ſeculo vix audiatur vnus aut alter hoſpes ab hoſpite tutus, vel ſocer à genèro: quinetiam fratrum quoque gratia rara eſt.

Cæterum ne inſignis huius principis titulorum nomenclatura è memoria excidat, multis refertur excelluiſſe dotibus. Fuit enim, dũ regnaret, pius, religioſus, toto vitæ tẽpore tranquillus, pacificus, multiſcius, templorum poſitor & reſtaurator magnificus, facie geſtúque decorus, in omnem ſerenus euentum: vt qui quemadmodum aquilo nubes fugat, ita ad armorum impetus ſua mititate inermis armatos tota ſua Gallia ſerenauerit, nunquam non iuſti tenax & æqui. Fuere præter hos ſacrarum ædium vſque ad miraculum magnificentiſſimos architectos, Carolum dico Magni nomine illuſtrem, Ludouicum cœleſti diademate decorum, & Robertum Polycarpum ac polygraphum, alii bene multi templorũ ſtructores & inſtauratores. Primus omnium Clodoueus: qui Petro & Paulo collegii Apoſtolici primatibus in colle Lecutitio aram, quæ hodie diuæ Genouefæ memoria ſolennis eſt, erexit. Childebertus Sanuincentianum cœnobiũ non multò pòſt Regum mauſolæis ad tẽpus illuſtre, non leuibus impenſis conſtruendum curauit. Succeſsit non multo pòſt tempore Dagobert⁹ Dionyſiani cœnobii author & locupletator inſignis: qui & ipſe cõditotiis Regũ poſteritati in hæc vſque tempora ſuperſtruendis, ſartam tectam auro gemmíſq; decoratã aream reliquit. Caluus Imperator apud Compendium ſodalitium religioſum & tecto muniuit, & prouentibus aluit & fouit, Cornelii & Cypriani nominibus dicatum. Radulphus Burgundio ex conniuentia Caroli Simplicis, regni moderator, beati Launomari ædem Bleſis magnifico apparatu ſublimiter erexit. Philippus ea appellatione primus, qui cæteros regnando ætate ſuperauit, apud Benedictinum templum pone Ligerim tumulo conditus, haud dubium quin iuſtis prouentibus cœnobium auxerit. Ludouicus cognomento Craſſus, Victorinæ familiæ à ſe in ſummœniis Lutetianis conditæ & locupletatæ memoria clarus habetur. Quẽ mox ſequutus ſeptimus hoc nomine Ludouicus, apud Barbellum (quod & ſalubris portus dicebatur) Cœnobium, quod viuus condiderat, in pace quieſcit. Tribus his (quorum ſuprà memini) exceptis, Philippus ſecunda appellatione, nemini cedens, Auguſtus, diui Maglorii templum erexit, præter alia quamplurima ſuæ magnificentiæ monumẽta ſuo recenſita loco. Ædẽ matri magnæ virgini Chriſtiferæ nõ procul à Syluaneto ab imo ad ſummũ dicauit idem ipſe Philippus Auguſtus, in memoriam adeptę cœlitus victorię aduerſus tricipitem hoſtem, Othonem ſcilicet, Flandrũ Comitem, Bolonianum principem. Qui verò quartam huius nomenclaturæ notam obtinet, apud Piſciacum prouentu memorabili Dominicanæ familiæ ſodalitium conſtituens, perpetuam ſuæ magnificentiæ memoriam ſibi acquiſiuit, poſteaquam palatinas ædes eo quo cernuntur ſchemate conſtituendas curaſſet. Noſtra (quam diuino fauore degimus) ætate Ludouicus vndecimus ſuperbenedictæ Triadis nomine Cleriacum: Franciſcus in ſaltu qui Vicennarum di-

citur,ædem ſacram à fundamentis erexit:cùm tecto careret:qui mul tis antea diebus prouentibus dotati fuerant,ſacris celebrandis addicti collegæ. Nolim ego,vti nec velle debeo,vni⁹ inter Philippicos Valeſij facinus illuſtre prętertire, quo apud poſteros Catholici nomẽ nulla ætate interiturum promeruit, dum ſe totum opponit Petri Cu nerienſis improbæ calumniæ. Tantum enim abfuit vt eius aduerſus cleri libertatem ſuadelæ indulgenter aurem præſtaret,vt perpetuũ potius illi ſilentium indixerit: eóque longius abire iuſſo, clerophili perſonam induens, præſulibus publico comitio adunatis, poſtulata conceſſerit. Et ob eam cauſam Rex catholicus communi omniũ con ſenſu acclamatus eſt. Hac etiã in parte Auguſti cognomẽto dignus habitus,quòd ditionem ſuam Gallicam auctiorem reddiderit Viennenſis Delphinatus acceſsione,ea lege ac omine, vt huiuſmodi principatus in primogeniti proximíve hæredis ſortem veniret. Vnde ſequutum eſt,vt Francicę ditionis proximus hæres,Delphinus aut naſceretur,aut fieret. Sed neque in hoc encomiaſtico genere merita laude deſtitutus abibit Philippus alius,Pulchri cognomẽto decorus: quo ſuperſtite,ſtudii Nauarrici reginea academia ad hanc vſque noſtram ætatem ſummis caput extulit aſtris,ductu & auſpiciis chariſsimæ & illuſtriſsimę ſuæ coniugis Ioannæ Nauarrenſium reginæ. Hi ſunt quos in ſacrorum inſtauratione ob ſtrenuè nauatam operã & præſens & futura admirabitur ætas: quorum memoriam nulla delebit obliuio. Sunt enim (vt Sapiens ait) viri miſericordię,quorum opera obliuionem non accipient,& filiis eorum pietates nõ deſuerunt. Cum ſemine eorum permanent bona: hæreditas ſancta nepotes eorum. Et filii eorum propter illos vſque in æternum manent. Corpora eorum in pace ſepulta ſunt,& nomen eorum viuet in generationem & generationem. Plurimus equidem,ac etiam vſque ad nauſeam nimius quibuſdam fuiſſe videbor in enarrandis Francorum Regum auguſtiſsimis rerum bene ac fœliciter geſtarum exemplis. Ego verò (quod ad me attinet) grande piaculum admiſiſſe mihi facilè perſuaſerim,ſi conniuentibus tantùm oculis præteriero hanc vnam Regiæ ſucceſsionis oſsibus adhærentem prærogatiuam, quam totus agnoſcit & admiratur orbis,nulli pręter hanc nationi cœlitus conceſſam: ita vt cæteri ingenuè profiteri habeant:

Sola tenes laudis plus quàm poſſedimus omnes.

quòd ſcilicet cœleſti beneficio quiuis regio ſceptro, non dico generatione,verùm æqua & iuſta poſſeſsione ſuccedens,gratiam curationum citra omnem controuerſiam diuinitus recipiat: qua ſcilicet ex diui Marci oraculo paſsim legitur: Super ægros (præſertim gutturoſos ac ſcrophulis laborãtes) manus imponent, Francorum Reges:& bene habebũt. Quo certè nomine,nemini dubium eſſe poteſt ſingulariter excellens,& excellẽter ſingulare, tibi tuiſque patribus ac nepotibus cõceſſum priuilegium,id efficere,vt eius memoria nullo ſeculorum volumine è mente excidere poſsit. Et quo plus gratitudine reſpondere conetur, eo amplius debere tua ſuperis maieſtas exiſtimet. Gratia enim illa quo plus redditur, eo debetur copioſius.

Reſtat vt hoc vnum tibi Henrico,tuęque thori conſorti Catharinæ,Regi ac reginę auguſtis,obnixè comprecer,vt qui cœlo terráque teſtibus,venuſta prole fœcũdi germinaſtis ſicut lilium, & id quidem geminum,Galliæ ſcilicet candidum,& Florentiæ purpureum,aureo flore æterna apud poſteros memoria ob res bene ac fœliciter geſtas floreatis ante Dominum. Aurum (quod ſatis conſtat) inter minera-

lia,purpura verò inter colores primas tenent. Hoc iam tandē loco vela complicaturus,optauerim, vt ſecundum hos bene multos tam ſublimes,támq; magnificè exemplares titulos, vtriuſq; hominis proſpera valetudine valeat tua ſacra maieſtas. Quam ad ſui honoris cultum,tibíque crediti gregis ſerenam tranquillitatem, diuina clementia ad annos plurimos ſeruet incolumem. Faxit itaq; Deus opt.max. vt iſtæc panegyris vicem teneat polyeiconii ſpeculi: cuius proſpectu perſpicuo ſibi conſulere & velit & valeat tua ſacra maieſtas.

Ex Arboricis,anno à parta ſalute 1557.

Proinde

Delige quem ex cunctis cupias imitarier heros:
 Heroum ex vaſto gurgite ſume typum.
Proderit hæc ſpero collatio,proderit inquam,
 Imis ſi fuerit condita viſceribus.

Lectori beneuolo præfatum.

QVADRIFARIAM partita methodo texitur hiſtoria: vel ſecundum loca diuerſa topographicè, vel iuxta hominum nomēclaturam anthropologicè,aut ſecundum temporū ſeriem chronographicè,aut certè iuxta mores hominum exemplares, & qualiacunque geſta, vt inde materiam vates,ac etiam exemplum poſteritas capiat,tropologicè. Tēporum rationem ex noſtris Liuius,ex Græcis Thucydides, Locorum Appianus,hominum Suetonius & Plutarchus,actionum verò exemplarium Valerius Maximus,accuratiſſimè proſecuti ſunt. Nobis viſum eſt topographiā chronologiæ, & vtriq; anthropologiā pro data occaſione admiſcere, præfata bona lectoris venia, & cādore animi implorato,quo ſine inanis foret labor iſte:qui ab eo ſic pēdet, vti à magnete ferrum:nec minus ei innititur,quàm vitis paxillo. Hoc etiā loco viſum eſt neceſſarium, ſeuerioris criticique cenſoris atrox deprecari ſupercilium, ſi cui plus æquo fortaſſe videbor veterum authorum verbis inhæſiſſe,atque ea ad veſtigium recenſuiſſe. Ignoſcet ille (ſpero) quiſquis tandem fuerit, modò intelligat nullo potiore argumento rem de qua agitur,potuiſſe perſuaderi,quàm ipſiſſimis probatiſſimorum authorum prolatis ſententiis.nam quantulacunque verborum immutatione veritas nonnunquam amittitur, & ſupprimitur authoritas. Malui itaque imitator dici quàm deprauator, & alienis potius quàm propriis inniti veſtigiis: quādo ita res exigebat, vt in hoc probandi genere hac potiſſimum methodo fidem lectori facerem, ne ſcilicet inuitus audirem: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, & teſtimonium tuum non eſt verum. Id apprimè neceſſarium fuit ad euellendam de cordibus hominum diffidentiam,antiquè potius loqui quàm nouè.

Dicet hîc forſan quiſpiam ad ſiniſtrè potius iudicandum, quàm ad ſubleuandum propenſus,nihil hîc fuiſſe prolatum,quod nō fuerit dictum prius: verum,inquam,ſi corticem tantum (quod eſt pleriſque peculiare) attendas: ſecus ſi vſque ad algam foderis,rémque de qua ad præſens agitur,medullitus attigeris. Meminerit ille interim,promptius eſſe carpere,quàm imitari,aut certè ſe ſuo pede metientē celeri præuertere curſu. Accedet forſan locutuleius quidam alius fronte plus ſatis rugoſa obiecturus dictionis noſtræ ſtylum tam depreſſum eſſe & exiguum, humíque repentem, vt in nullo ne minimo quidem orthographorum ſeu veterum ſeu recentiorum gradu habeatur aut numero. Eſto. Nemo tamen mihi (ſpero) inuidebit locum inter ſcripturientes nouiſſimum. Verùm ſatius (inquies) tibi fuiſſet vacare culpa tuo ſilentio,quàm precari (qua indignus æſtimeris) veniam. Huic ita reſpondero: Inſipiens factus ſum, verùm me adegit amor patriæ. Quam cum viderē indignis modis à pleriſque tractari, non potui ita mihi temperare, vt huic cauſæ tuendæ me non opponerem medium: illud apud me reputans,quod de ſeipſo diuus

Paulus poſteritatis memoriæ commendauit: Libenter fertis inſipientes, cū ſitis ipſi ſapientes. Quod niſi facerem, ceſſantis operæ ſuſpicione vacare non poſſem, opportunitate oblata, quæ ſuadebat vt vnus aliquis oblatrantiū canum ſe morſibus opponeret. Id itaque apud me cogitans, mea intereſſe putaui ſæpe laceßitam (ſed non impunè) docere Gallicanæ gentis gloriam. Per hæc tibi ſatisfactum puta beneuole Lector. Qui contrà iniquior fuerit, illi per nos cepas edere, quantum volet ipſe, licebit: oderit, dū mœreat. Quòd ſi quis forſan hæſitabūdus apud ſe dubitauerit, ſatiús ne fuerit partum hūc poſt extrema fata edendum diſtuliſſe, necne: minime deerit qua me ratione tueri poßim, ſatius fore, iuxta Apellis ſententiam, in vulgus ſpargere, Author hæc faciebat, ſpe expungēdi ea quæ ſuperſtes digna reprehenſione audierit, dum vita comes fuerit, ſuberitque facultas: quàm ſpe omni ſublata, omnem emendandi facultatem diſtuliſſe in ſeram poſt multa piacula mortē. Dum enim adhuc anima in corpore eſt, ſpes eſt: poſt mortem nulla facultas. Nihil enim profuerit negotium alteri cōmittere, quod ipſe perficere poßis dum vales ac viuis. Tunica propior eſt pallio. Nemo verò ſibi propinquior eſt ſeipſo. Habeo in hac re mihi per omnia conſentientem argutißimū doctrinarum cenſorem Gerſonem. Ait ille conſultißimum fore, ſi quis ſua ſcripta publico exponat examini dum adhuc ſuperſtes eſt: vt ſi quid deprehenſum fuerit erroris: dum adhuc viuit & ſpirat, paruo negotio queat emendare. Cui & illud partim alludit,

Membranis intus poſitis delere licebit

Quod non ediderìs: neſcit vox miſſa reuerti.

Partim dixi. poteſt enim ſaltem emendari dum adhuc ſupereſt, qui culturæ patiētem præbeat aurem. Vt enim demus quòd infecta fieri nequeant quæ facta ſint: poſſunt tamen malè ſarta reſtaurari. Diuus in exemplo eſt doctorum gemma Auguſtinus, qui plus ſibi comparauit honoris ex ſpontanea quam cecinit palinodia (quæ certißimum ſuæ probitatis dedit indicium) quàm ex codicum fœtura. Hîc enim eruditionis tantum ſpecimen dedit, illic vero probitatis & admirandæ omnibus retro ſeculis modeſtiæ. Sed neque iure quiſpiam, quantumuis ſit ipſe moroſus, nobis obiicere poterit id quod dici ſolet, Actum agis: vel hoc prætextu, quòd nuperrime prodierit in lucem è VVolfoangi Lazij officina antiquarium volumen, quo vetuſtißima veterum ex antiquitatis latebris eruiſſe viſus eſt. eo ſiquidem volumine Oſtrofrancorum priſcæ generationes & nomenclaturæ vnà cum ſuis etymis vſque ad ſatietatem fuſißimè deſcribuntur. Verùm in tota ea (qua latißime ſpaciatur) area, paucis admodum exceptis, mihi nec ſeritur, nec metitur. Tantum enim diſtat hoc argumentum ab illo, quantū à Germania Tigris. Hæc dicta volui aduerſus obliquæ vulnera linguæ, quæ plerunque inferre ſolent critici cenſores in hoc tantum, vt vel mordeant, vel certè arrodant, dum nihil aliud habēt ſtimulante inuidia in quo ſeſe exercere poßint. Illi ſua interim philautia, nos noſtra tranquillitate fruemur. Tantū nobis liceat paucis cū dentibus inde reuerti. His ita ad ſatisfaciendum præfatis, nec potui breuius dicere, nec melius. Lector amice vale & hunc noſtrū boni conſule quæſo laborē. Memineris interim Plinianæ illius ſententiæ: hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat. ſunt enim homines natura curioſi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur.

RERVM ET VERBORVM

in hoc volumine inſigniorum index alphabeticus: in quo litera a priorem folii paginam indicat, b poſteriorem.

A

ABbatia de voto. 161.a.b
Abbatiæ multæ recenſentur. 161. b
Abauilla oppidum. 128. b
Aborigines qui dicantur. 10. a
Aborigines Celtæ vnde dicti. 75. a
Aborigines, primi Italiæ cultores. 7.b
Abrincatenſis ciuitas polyonyma. 117. b. & 164. b
Abrincatẽſis epiſcopus quem locum habeat in prouincialibus conciliis. 162. b
Academia Cadomenſis. 155. b
Academiæ Pariſienſis laus. 15. b
Achaſſueros, ſummũ caput. 104.a.b.& 111.a
Acorus, Gallis piper aqueum. 13. a
Acronius lacus. 126.b
Actura fluuius. 151 b. & 152. a
Adela fluuius, vnde Andeliacus ager. 133.b
Admiraldus, pelagiarcha, ſeu archimarinus 104. a
Adua fluuius ex Alpibus manat. 49. a
Aduena audire ab vxore nolebat Cicero. 37.b
Adula mons, qui & Diaduella. 126.a.138.a.
Adulæ monteis fluuii. 135.a
Adulterinæ plãtationes non dant radices altas. 67. a
de Adulterio naſci, non culpa eſt eius qui naſcitur, ſed eius qui generat. 94.a
Aegidius poëta Pariſienſis. 42. a
AEmylia olim, deinde Flaminia, poſtea Romandiola. 44. a
Aeneas ſeu vir fortis, ſeu patriæ proditor, necromanticus. 78.a. *ſpurius.* 79.a
Aeneæ & Antenoris proditio. 79. a
Aequorei fluuii qui ſint. 131.b
Acria vrbs, Gratianopolis. 138.a
Aeſtuaria in Conſtantinienſi agro. 163. a
Aeſtuaria nigra, quaſi vagues noires. 153. b
Aetas quælibet ſuas habet mutationes locorum & nominum. 177.b. in fi.
Aẽtius Galliarum præfectus. 63.a
Affectus in hiſtoria non ſequendus. 85.b
Agatha inſula, vulgò Agde. 136. a
Agathopolis inſula. 138. b
Agathiæ hiſtorici de Francica gente teſtimonium. 91.b
Agaunenſes martyres. 101. b
Agaunenſes, ſainct Maurice. 47.a.
Agaunum, gal. Chabloys. 110.b
Agne diui Ludouici filia. 104.b
Agri Rhemenſis incolæ, conciues omnes dicebantur. 129.a
Agros vacantes petere an aduenis liceat ab indigenis. 20.b
Alani a Sicambris deleti. 79.b.81.b. & 82.a.
Alanus Comes Britannorum. 179.a
diui Alani Veneti epiſcopi ſanctitas. 178.a
Alauda, legio vna Cæſaris. 35.a
Alba, pars Martianarum ſyluarum. 69. b
Albagræca, quæ & Belgradum. 26.b
Alba Pompeia. 46.b
Albani martyris paſſio. 171. a
Albania vnde dicta. 16.a
Albanorum origo. 79.b
Alberti Crantzii cæcitas in re propria. 73.a
odium in Gallos. 74.b
Albia fluuius, olim Albis. 69.b
Albina familia vnde dicta. 57.b
Albingaunorum iocus, ſibi non placere eſſe vel principes, vel latrones. 60 b
Albion inſula à candore dicta. 16.a
ea eſt Britannia maior. 112.a
Albionis primi cultores, Galli Eremorici fuere. 125.a.
Albis fluuius. 69.b. *idem & Oba.* 129.b
Albuinus Longobardorum dux. 25.a
Albula fluuius cæruleus in Tyberis appellationem degenerat. 131.a
Alburnus piſciculus, Able aut Ablette. 141.b
Alchunenſis ager, vulgo Eu. 133.a
Alchumnus fluuius. 128. b
Alcuinus Auitus Viennenſium præſul, Gallus. 41. a
Alcuinus Caroli magni præceptor. 95.b
Alduasdubis etiam Sagona dictus. 134. b
Aleatoris blaſphemi in virginem matrem, vltio. 146.b
Alemanni vnde dicti. 72.a.83.b
Alemanorum cædes. 62. a
Alenconienſis ducatus. 154.a
Aleſia vrbs ab Hercule condita. 6. b
Eius expugnandæ difficultas. 55.a. b
Aleta ciuitas ſainct Malo. 173.a
Aletenſis Diœceſis. 172.b. *portus.* 173.a
Alexandri Seueri imperatoris erga Gallos benignitas. 57.b *eius indigna mors.* 58.a
Alexandria in Italia vnde dicta. 46. a

Algarus Conſtantiarum præſul, religionis nomine clarus. 160.a
Allobroges, Delphinates. 47.a
Allobrogum dicæarchia, Vienna. 135.b
Alloſtenſis ager Scaldi Teneraque fluminibus concluditur. 127.b
Almaricus Venetenſis epiſcopus in verba regis Angli iurat. 178.b
almenechiæ, Aulmeneſches. 154.a
aloſæ varia nomina. 141.a
alpes vnde dictæ. 13.a.69.b.111.b
alpes ſummæ, Vertex mõtis. ſ. Gothardi. 134.b
alpinæ ciuitates. 117.a
alpini, Celtæ ſunt. 135 b
alpini homines, fortes & robuſti. 33.b
alſatia vnde dicta. 142.b.144.b. Eius termini. 142.a
alſatici cuiuſdam ſcriptoris inſignis appetitus vindictæ. 85 b
anchinum oppidum. 127.a
D. amantius, Rothenſis alumnus. 152.a
amazones vnde dictæ. 67.a
amballosi qui ſint. 164.b
ambarri, pays de Berry. 44.a.45.a
ambianenſes, quaſi Ambiaquenſes. 128.b
ambiani an Ambiareti. 164.a
ambianorum virtus. 36.a
ambibarri qui ſint. 164.a
ambigatus Celtarũ rex. 24.b.42.a.43.a.69.a
ambiliates qui ſint. 128.b.164.b.174.a. & 178.b
ambrones, in editiſſimo totius Europæ loco conſtituti. 49.a.63.b
D. ambroſius ex pagano iudice Mediolanenſium epiſcopus creatus. 62.a
ambruareti. 164.a
amici auxilium quanti ſit momenti. 92.a
ammiani Marcellini error. 8.a.10.b
amphibalus vir pietate inſignis. 171.a.b
amphoram pendêre, non hominẽ, de bibace homine ſuſpenſo dictum. 60.b
anarchia in Ciſrhenana Gallia. 90.b. & 109.a
anauros eſt Sequana fluuius. 130.b
ancones, promontoriorum flexus. 43.b
ancyra, Tectoſagarum metropolis. 25.b
andegaſt, monaſteriolum Benedict. fam. 69.b
andegauenſis tractus flumina. 140.b
andrapa, Claudiopolis noua. 25.b
D. andreæ ſignum, quod militare nunc faciũt, quale fuerit. 100 b. & 101.a
Andreanæ crucis abuſus apud Burgũdiæ principes. 121.b
andrenum caſtrum 180.a
angelus Politianus Plinium in epiſtolari ſtylo Ciceroni prætulit. 40.b
angerulla, Angerulle. 146.b
angli aliquando radicitus deleti. 156.b
angli aulici Gallica vtuntur lingua. 17.a
angli & Saxones, de Britãnis Anglos ditione fecerunt. 115.a
angli, Germaniæ populi. 123.b
anglorũ & Francorũ nutans fortuna. 156.a.b
anglia ab Anglis Saxonibus dicta. 16 a.113.a
anglia, nomen aduentitium pro Albione. 112.a
angliæ ſedes epiſcopales quot ſint. 167.b
anglia traiectus vbi breuiſſimus. 128.a
anglica lingua mixta eſt. 124.b
anglicana phraſis difficilis. 12.b
angligenæ vnde dicti. 71.b
angloneuſtrij meritò dicerentur Angli. 147.a & 156.b
angloſaxones vnde dicti. 71.b. rectius dicerentur Angloneuſtry. 112.b
angloſaxonia vnde dicta olim Britãnia. 147.a. melius diceretur Angloneuſtria. 148.a.
anguien fluuius, vnde forte princeps Vaganeus, nunc Anguineus. 128.b
anguillarum mira piſcatura. 159.a
anguli qui dicantur in populis. 108.a
animorum immortalitatem veteres Galli credebant. 92.b
annius Viterbienſis, Beroſi interpres à Munſtero reiectus, defenditur. 72.a.b
annonij monachi hiſtoriæ. 81.b
anſa Bruelia, & ãſa Molinea, oppidula. 163.a
anſelmus Helueticus chronographus. 83.a
ante annũ xxiij. ex lege non licebat olim cuiquam imperare Francis. 90.a
antenor geminus. 75.a
antenor ab Aſtyanacte fuſus fugatuſq;. 78.b
antenor, Clodij regis filius. 89.a. eius mors. ibi.b
antenor Hectoris filius Sicambris primam originem dedit. 79.a
ãtenoridæ Troiani Germaniã penetrarũt. 76.b
antiochia in Syria olim vrbs duplex. 139.a
antipolis vulgo Antipoul. 47.b. & 48.a.b. cui regioni adſcribatur. 49.a. & 116.b
antiſſiodorenſis comitatus vt Frãcicæ ditionis factus ſit. 51.b
antiſtitis Carnotenſis virtus. 145.a
antona oppidum. 123.b
Antonius Gnipho homo Gallus Cæſaris præceptor. 37.a
Antoninus Pius imp. Gallis æquus. 57.b
Antricum, Carnutum olim metropolis. 145.b
Apenninus vnde dictus. 47.b

Appiani Alexandrini error. 43.b
Apocalypſis diui Ioannis non literis aureis ab ipſo deſcripta. 100.a
Apocrypha quæ dicantur. 10.a
Apoſtatarum authoritas leuis habenda. 78.b
Apri occidendi omen Domitiano propoſitum ad imperium promerendum. 61.a
Apulia tota, Neuſtrigena meritò dicatur. 71.b
aquæductus inſignis. 159.b
aquæ mortuæ. 138.b
aquæ Sextiæ. 48.b.136 a.b
aquas diuerſimode appellāt prouinciales. 117.a
aquenſis ciuitas. 48.a
aquenſis eccleſia duplex 49.b
aquilarum ſigna ſibi erepta clade Variana, Roma nunquam poſtea recepit. 56.b
aquitani, natione Gotthi. 112.a
aquitani olim capillati, nunc decurtata cæſarie incedunt. 139.a
aquitania vnde dicta. 98.b. & 99.a.155.b & 165.b
aquitania olim Reges habuit. 125.b. *pòſt in ducalem principatum defluxit.* 125.b
aquitanicæ prouinciæ diuiſio. 116.b. *termini.* 155.a
ara Lugdunenſis. 134.b. & 174.a
ara ſanguinaria. 100.b
aramea lingua prior græca. 3.a
arar, qui Sagona, fluuius ſegnis. 130.b. *Sauconna dictus Am. Marcellino.* 135.a
araurius fluuius, qui & Rauris. 138 b
arba fluuius. 138.a
arbogaſtis nequitia. 62.a
arboretana Neuſtria. 149.a. *Eius chorographia* 158.a
arca Noæ qualis fuerit. 7.b
archibaro, Mommorenciacus. 108.b
archicomes dici qui poſsit. 108.b.109 a
archicomitatus Burgūdiæ, la Frāche cõté. 109.a
archiducis nomen plauſibile. 114.b
archiduces qui dicendi. 108.b. 112.a
archiepiſcopales hierarchiæ in Anglia duæ tātum. 166.a
archiepiſcoporum Galliæ epitheta 118.b
archimarchio. 109.a
archipræſules quatuordecim in Gallia. 113.b
archiſatrapa in Francia quis dicatur. 109.a
architreny encomiū Lutetiæ Pariſiorum. 132.a
ardenna ſylua. 98.a.b
arelate ſeu Arelatum, Arles. 47.b. & 48.a 49.b.99.b.100.b
arelatenſe regnum Romano imperio incorporatum. 99.b
arelatenſis præſulatus. 116.a
argemona herba. 13.a
argences & Argentan differunt. 155.b
argenna, quæ & Arigenis, fluuius. 177.b
argenti fodinæ ad Cæſaris montem. 144.a
argentiarum oppidum 155.b
argentina, Baſilea, Moguntia, in Gallia ſitæ ſunt. 84.a
argentinenſis epiſcopatus nobiliſsimus. 126.b
argentolium Sequanicum, Argenteul. 155.b
argentomagus, Argentan. 155.a
argentuaria in Alſatia, hodie Columbarium. 76.b
argiuorum triginta ſimulacra de ſacro ponte in ſacrificiis apud Romanos olim deiici ſolita. 33.b
argougiarum caſtrum. 157.b
aria, olim Minoriacum. 127.b
arida Curia, Arcourt. 162.a
armorica Aquitania appellata aliquādo fuit. 165.b. *Ea tribus idiotiſmi claſsibus diſtinguitur.* 168.b
armorica Britannia olim regnum, nunc ducatus. 104.a. *Eius diuiſio.* 122.b. *Eius accolæ & incolæ.* 71.b. & 164.a. *In Gallica Celtica conſtituta eſt.* 171.b
arreſta apud Gallos. 12.a
artaxerxes, magnus bellator. 104.a
arthuri Britanni fabuloſa penè omnia. 124.b & dein. 166.a.168.b. & 170.b
aruby, Argences. 165.a
aruerni, Latij fratres. 77.a. & 78.a. *Eorum regnum.* 122.a
arx Hereminica. 176.b
aſciburgum in Vlyſsis memoriā conditū. 76.b
aſſentatores nunquam laudant vel vituperant niſi intemperanter. 84.a
aſta colonia, vulgo Aſt. 46.b
aſta & Hipporedia coloniæ cur à Romanis excitatæ. 47.a
aſtyanax Hectoris filius Antenorem fudit fugauitque. 78.b
aſylum Romanum, ſanguinariorum ac ſceleratorum hominum perfugium. 30.a 130.a: *ab Auguſto ſublatum.* ibidem.
atax ſeu Atagis fluuius. 138.b. & 139.a
athanaricus rex fidei orthodoxæ ex profeſſo perſecutor. 101.b
athenæum, quaſi Alethenæum. 174.a
Athenatenſe cœnobium vnde dictum. ibid.
Athenatenſis fluminum concurſus. 137.b
Atlātis nomē in Aphrica frequētiſsimū. 181.a
Atrebates Francorum ſceptro adiuncti. 91.b

Attalus rex Gallis ſtipendium primus pendere negat. 26. b
Attila Hunnorum tyrannus. 25. a. 63. a. Eius fuga. 92. a
Aturi fluminis mirum. 145. b
Auanes qui ſint. 46. a. b
Auarieum, vulgo Viarron. 45. a
Audemarus Richimeri regis filius. 89. b
Auenionenſes, olim Auennici. 37. b
Auenionenſis diœceſis quàm latè pateat. 49. b. 116. a
Auguſta prætoria cur erecta. 47. a
Auguſta prætoria, Valdouſte. 136. a
Auguſtanum flumen. 182. a
Augia, inexhauſta palus. 148. b
Auguſtus Gallias Germanis diripiendas conceſsit. 35. b. idem Gallis iniquus. 53. a. 56. b
Auguſtuli nomen ominoſum. 63. a
Auicula ſe eſſe ex angelis vnum pronuncians &c. 172 b
Aulerci gemini. 44. a. triplices. 152. a. & 168. b
Aulerci, Aulertii, Aulorci quid differant 164. a. b. & 165. a
Aura fluuius. 157. b
Aurea ætas. 4. b
Aurelia, quæ & Genabũ, ab Aureliano imperatore dicta. 121. b. Eius ſitus & antiquitas. 145. b
Aureliani agri fertilitas. 146. a
Aurelia ſylua. 146. b
Aureliani imperatoris egregia lex. 59. b
Auriniaca inſula. 163. a
aurum & opes, præcipuæ bellorum cauſæ. 35. a
aurum Toloſanum. 26. a. 30. b
auri pondus quod fuerit, quo ſe à Gallis Roma redemit. 29. b
auſonij Galli poetæ patria Burdegala. eiꝰ laus. 41. b. Eiuſdem poetæ affectus nimius in ſuam Moſellam. 139. a
auſtraſia. 100. a. 104. a. 112. a. 144. b. 147. b
auſtraſiani regni metropolis, ciuitas Metenſis. 121. a
auſtria quæ diceretur. 121. 147. 155. a
axona fluuius. 90. b. 129. a. 145. a
axones populus. 129. a
adgunda Hugonis Capetij mater. 110. b

B

Babylonis noĩe Roma in ſa. lit figurata. 27. b
Babylonica captiuitas quando fuerit. 44. b
Baiocæ, vulgo le Beſsin. 154. a. 156. b
Baiocarum vexatio. 158. a
Baiocaſsina ciuitas, ducis Normani primogenito educando addicta. 158. a
Baiocaſsina Neuſtria vnde dicta. 148. b
Baldricus pontifex, Hieroſolymitanæ expeditionis ſcriptor. 172. a
Baptiſta Mantuanus, Chriſtianus Maro. 39. a
Barbaries maxima ſanguinariorum. 100. b
Barbari qui dicantur. 11. a. b. 12. b. & 15. b
Barbis & capillis promiſsis Frãci diu vſi. 91. a
Bardi poetæ. 3. a. 10. b. 11. a
Barflutum vnde dictum. 133. b
Bargus fluuius. 26. a
Baronis nomen vnde manarit. 94. a
Barræfluctus vnde dictus. 160. a
Baſilienſis epiſcopatus, amœniſsimus. 126. b
Baſina Clodouei regis mater. 94. a
Baſanus rex, Mãlianæ ſeueritatis erga filium. 89. a
Baſtarnæ qui fuerint. 76. b
Batauí, Ciſrhenanæ Galliæ indigenæ. 16. b. 34. b. 39. b
Bath eri regis Francorum regnum. 90. a
Batoburgum arx ad Moſæ ripam. 144. a
Bauacum ciuitas. 128. a
Bauaria furum ferax. 64. b
Beati Rhenani in Gallos inuidia. 3. a. 13. a
Beaulce vnde dicta. 146. a
Belgæ à Belgio dicti. 83. a. indigenæ ſunt, non aduentitij. 13. b. potentiſsimi Galliarũ. 52. b vi & armis ſubacti. 77. a. Eorundem cædes immanis. 51. b
Belgica Gallia, duplex. 111. b. 118. a. trigoni formam habet. 133. b
Belgicæ Galliæ termini. 155. a
Belgica ſuperior & inferior. 113. a
Belgica Teutonice loquens non omnis Germaniæ adſcribenda. 112. a
Belgicus populus in quindecim gentes diſtinctus. 129. a
Belgradum, Alba græca. 26. b
Bellisportus cœnobium. 180. a
Belliſmenſis comitatus. 151. b. 154. a
Bellocaſsij, Baiocenſes. 164. b
Bellouaci vnde dicti. 69. b. 128. a
Bellouaci Francorum regno adiuncti. 91. b
Bellouesſus Inſubriæ inſtaurator. 9. a. 19. a. 24. b. 43. b
Bellum ab ignauis ſumitur, ſtrenuiſsimi cuiuſque periculo geritur. 35. b
Belli mala, deteſtandu. 14. a
Belſia, quæ & Bualia, la Beaulſe. 113. b. frugibus fertiliſsima. 146. a
Beluacũ ſeu Belgiũ idẽ, quaſi bellꝰ ager. 128. a
Benacus lacus, nunc lacus Gardæ. 49 a

Beneficiarius quid domino debeat. 52.b
Bergomas hiſtoricus. 102.a
Bernaium oppidum. 153.a
Bernardinum emporium, La Ferté Bernard. 151.a.b
Bernates ſuperioreis agnoſcũt Geneuẽſes. 50.b
Bernenſium vexilliferi dignitas inter Heluetios. 108.a
Berneriæ oppidum, Bernieres. 162.a
Beroſi authoritas. 5.b & dein. 72 a b
Eiuſdem error. 83.b
Beßini, Baiocini populi. 148.b
Beſuntio oppidum, vulgo Beſanſon. 49.b & 51.a
Betica Vandalis ceßit. 63.a
Bibacitas mira. 60.b
Bibera amnis in ſubmœnio Sammarcellino, gal. Bieure. 133.a. 145.a
Biducenſes ſeu Biduceſii qui ſint. 165.a 177.b. 178.b
Bibliotheca Beccenſis. 157.b
Birflet inſulæ miraculoſa velut præſeruatio ab inundatione marina. 128.a
Biſcaini Celtiberi. 115.a
Biſuntinum præſulem Baſilienſis diœceſis agnoſcit. 51.a
Bithynij Græci primum, deinde Gallogræci, & propagatione Galligenæ. 71.a
Bituriges gemini. 45.a
Biturigum rex. 122.a
Bituris regio. 98.b
Bizuntini archipræſulis miraculum. 118.b
Bleſenſis ager vnde dictus. 146.a
Bleſenſis comitatus. ibid.
Bliterra ciuitas, Beſiers. 138.b
Bobium geminum eſt. 46.b
Bocheti hiſtorici laus 125 b
Bocquianum cœnobium. 179.b
Bodylonis virgis caſi iniuria vĩdicata. 107.a
Boetij liber de diſciplina ſcholarũ haud ſpernendus. 15.a
Bohiemi à Boiis *Gallis originem ducentes, Galligenæ dicantur.* 71.a
Boiaria olim, nunc Bononia, *aliquando felſina.* 16.b
Boiarij, qui & Bauari, *Galligenæ.* 69.a
Boij, Galli. 16.a. 43.b. 69.a. 70.a. 75.b
Boiohemia, Hercyniæ ſyluæ pars. 16.b
à Bolonia in Angliam breuißimus eſt traiectus. 128.a
Bona dea, Veſtha. 5.b
Bononia à quibus condita. 9.b. *olim* Boionia. 44.a
Bonoſi imperatoris bibacitas. 60.b
Boſo rex exauthoratus. 121.b
Boſo, vltimus Burgundionum *rex.* 99.b
Boſphorus Cimmerius ſeu Cimbricus, idẽ. 73.a
Brabantia & Gueldria à Cimbris occupata. 73.a
Brabantini Francorum poteſtati ſubacti. 91.b
Brabantini ſtupidi. 30.b
Braccata Gallia. 49.b
Braia fluuius. 140.b
Braya comitatenſis Robertina, Braye conte *Robert.* 129.b
Brehuerij vallis, Breual. 160.b
Brendani epiſcopi nauigatio. 172.b
Brenni Gallorũ ducis res geſtæ elucidãtur. 9.b 18.a b & dein. 19.b. 31.b. 43.b. 83.a. 125.a
Brennouices, Brianſonnois. 49.a
Breſtum caſtrũ & portus, vulgo Breſt. 181.b
Bretolina ſylua. 152.b
Bretolium oppidum, Breteuil. 152.b
Bricquebeccum caſtrum. 160.b
Briga mons ad Celticũ agrum pertinet. 135.b
Brigantij Brianſonnois. 136.a
Brigantinus lacus. 126.b
Brigida virgo Scotica. 171.a
Brimbalius colliculus, la butte Brimbal. 154.b
Briocenſe territoriũ ab Anglo occupatũ. 180.b
D. Brioci legenda. 178.b. & dein.
Britanni Britonizantes, & Britones Gallicani, & mixti. 168.b
Britanni inſulares hodie verius Gallenſes aut Gallobritãni ſeu Galloneuſtrij quàm Angloſaxones dicantur. 171.b
Britanni Gallenſes vnde dicti. ibidem.
britannorum natio vbi verè perduret. 164.b
britannorum vitium 60.b
britannia vnde dicta. 71.b. 100.a. 165.a. 166.a
britannia alia maior, alia minor. 167.b
britannia minor duplex. 117.b. *eius ciuitates.* ibidem.
britannia Armorica ſedes pontificales nouem comprehendit. 122.b
britãnia Eremorica in ducatum redacta 122.a
britannia Eremoricæ reges. ibidem.
britannia continens, inſularis Britanniæ altrix. 177.b
britannia non ſemel bello ſubacta. 156.b
britannia vt Anglia tandem dicta ſit. 147.a
britãnia prius culta quàm Albiõ inſula. 165.b
britannia diuiſio. 16.a
britannia inſularis protenſio quantum pateat. 167.b.
britanniam qui primi coluerint. 123.a

Britannici tractus conſideratio.164.a.169.b.
Britones nec in bello fortes , nec in pace fideles. 172 a.
Britonum regnum in Britannia. 166.a.
Britonicum idioma vix ſcripturam admittit.12.b.*antiquari ſe non patitur*.13.a.
Britonici ſoli diœceſes ac parœciæ quot ſint. 181.b.
Brittomarus Geſſatarum regulus. 3?.a.
Bruni cuiuſdam gigantis hiſtoria. 157.b.
Bruno Colonienſis antiſtes. 110.b.
Bruſinandus rex Inſubriæ. 9.b. 44.b.
Brutannia,à brutis alendis dicta. 122.b. & 165.b.*vide Britannia.*
Bualta, Beaulce,quaſi bien haulte 146.a.
Buda Attilæ frater ab ipſo iugulatus. 76.a.
Buda Pannoniorum gazophylacium. 71.a. *olim Sicambria appellata.* 73.a.
Budæi eloquentia. 39.b.40.b.
Buffones gallici in lilia commutati. 69.a.
Bulgaridarum factio diſsipata. 62.b.
Burdegala,metropolis Vbiſcorum. 45 a.
Burgi,caſtella & pagi. 99.a.101.a.102.a.
Burgoreginenſis riuus. 145.a.
Burgum oppidulum Perticenſe. 151.a.
Burgundi vnde dicti. 49.b.102.a.109. a.
Burgundi primi origine fuere VVandali. 114.a.
Burgundia alia montana,alia plana. 50.a.
Burgundia ducalis quando ad francorum reges peruenit . 105.b.*eius mutatio & deuolutio.ibidem.*
Burgundia inter Lugdunenſem prouinciam. 98.b.
Burgundiæ diuiſio. 49.b.51.b.& 99.b.
Burgundiæ ducalis & imperialis oppida inſigniora. 50.a.
Burgundiæ ducatus à Caroli Caroleſii morte ad Fræcorum reges peruenit. 104.b.105.b.
Burgundiæ dux rex francorum ſtrumas curat. 50.a.
Burgundiæ ducum ſeries. 106.a.
Burgundiæ præſulatus. 117.a.
Burgundiæ reges & regnũ quãdiu durarint, & eius ditionis diuiſio. 50.b.
Burgundiæ regnum in ducatum verſum vt ſit. 50.a.51.a.103.a.105.b.
Burgundiæ veteri multa detracta ſunt.49.b & 50.a.
Burgundianæ ditionis encomium. 100.a.
Burgundiones ante Clodoueum chriſtianam fidẽ amplexati. 101.b.
Burgundiones,Gotthicæ nationis. 91.b.
Burgundionum Comitum ex Ottone natorum geneſis. 106.a.
Burgundionum origo. 99.a.& dein.
Burgundionum regnum quãdo cœperit.100.a.& 101.a.
Burgundionum regum ſectio prima. 105.a.
Burgundionum varia nomina. 102.a.
Burnia amnis in Scaldim influens. 127.b.
Burorum familia vnde dicta. 47.b.
Buſta Gallorum,& Buſta fortium. 28.a.

C

C litera incipientibus dictionibus ſolis poëma integrum conſcriptum. 41.b.
Cadauerum cæſorum oppoſitu pontis in modũ Cæſar flumen pertranſiit. 51.b.
Cadetes,kypercorentini. 164.b.
Cænomania,Le Mans. 165.a.
Cænomani à Normanis Sarta flumine dirimuntur. 148.a.
Cænomani quaſi noui homines.24.b.*vide infra Cenomani.*
Cænones Galli,quaſi noui Galli. 24.b.
Cæſar aduerſos ſuos caſus ſemper excuſat,ſecundos laudibus effert. 34.b.
Cæſaris eloquentia.36.b. *Eam ab homine Gallo didicit.* 37.a.
Cæſar, hoſtis gentis Gallicæ. 32.b.53.a.b.
Cæſar nũquam ab iniuria abſtinuit. 35.a.
Cæſar quot hominum millia in domãda Gallia occiderit,nationes ſubiecerit,&c.51.b.
Cæſar victus aufugit. 55.b.
Cæſaris ambitio ingens. 34.a *facinora*.53.a.
Cæſaris commentarii fidem non ſemper merentur. 34.a.
Cæſaris iudicium in Galliæ diuiſione iudicio Ptolemæi præponendum. 134.a.
Cæſaris ſecunda prælia. 52.a. *aduerſa ibidem circa fi.*
Cæſaris thermæ apud Pariſios. 15.a.
Cæſarem hoſtibus dedendum in Senatu cenſuit Cato. 52.b.
Cæſaris mors iuſta. 42.b.
Cæſariſburgum,Cherbourg. 160.a.162.a.
Cadomenſis Neuſtria. 149.a.
Calcheia regio, Pays Cauchois. 133.a.
Caletenſes & Pontiuenſes Normanos ſe eſſe pernegant. 148.a.
Caligulæ imp.odium in Gallos. 53.a.
Calta fluuius in Scaldim influens. 127.b.
Caluinus mons. 157.b.
Camatulicorum regio. 48.b.
Cambra,mulier illuſtris. 81.a.
Cambray,potius Sambray diceretur. 127.a.

128.b.
Cambria à Cambro Bruti filio dicta 16.a
Camaracum,olim Samaracum. 127.a.
Cameracum,olim Samarobrina. 90.b.
Cameracenates in Francorum fidem recepti. 91.b.
Camillus fraude magis quã virtute aurum à Gallis extorſit in Romanorum redemptione. 22.b.
Camiſia virginis Mariæ quantæ efficaciæ 145.a.
Campodomenſis Neuſtria. 149.a.
Campodomum oppidum vnde dictum.155.b. 156.a.
Campus floridus,media hyeme viridis.157.a.
Canariæ inſulæ à canum copia dictæ. 172. b.
Canarum dicæarchia,Auenio. 135.b.
Canonici Lugdunenſes in æde D. Ioannis Baptiſtæ,quales eſſe debeant. 51.a.
Canum præſidium in Aletenſi portu. 173.a.
Cantones Heluetici vnde dicti. 108.a.
Capdeſtan,lacuum ſtagnalium caput 125.b.
Capedo citrina cœnobiis legata. 180.a.
Capedunum vrbs. 26.b.
Capeti aut Capitonis cognomentum vnde meruerit Hugo Capetus. 104.a.110.b.
Capito piſcis,vulgo Chabot. 141 b.
Capitolium defenſum Romæ,vrbis recuperãdæ occaſio fuit. 22.b.
Capſieux,quaſi caput ſyluarum. 125.b.
Caracallus Antoninus tyrannus. 57.b.
Carbonaria ſylua quæ ſit. 127.a.
Carcaſſo oppidum,Carcaſſonne. 136 a.
Carinus imperator,Galliæ Narbonenſis indigena. 60.b.
Carligorum monarchia vnde cœperit 107 b. quandiu durarit. 63.b.68.a.
Carlonus quinquennio regnauit. 107.b.
Carnagũ Carnutũ colonia. 16.a.47.b.145.b.
Carnotenſis antiſtitis virtus. 145.a.
Carnotum,olim Antricum. Ibidem.
Carnutæ à nucibus dicti. 3.a.118.a.145.a.b.
Carnutes vbi habitent. 16.a.
Carnutum oppidum,vulgo Carnagum.16.a.
Carolus Caroleſius pacis & quietis impatiẽs 105.b.106.b.Eius mors. 104.b.Epitaphiũ 142.b.
Carolus magnus,Gallus erat.17.a.84.a. 103. b. Vnde magnus ſit dictus. 94.a.
Caroli magni patria,eiuſque victoriæ aduerſus Saxones. 56.a.64.a. 80.a.Eius encomium 95.a.b.
a Caroli magni ſucceſſoribus in aliud genus tranſlatum regium ſtemma , & quare. 98.a.
Carolus Martellus Tutides appellatus.102.b.
Caroli Martelli ſtirps. 94.a.
Caroli martelli miraculoſa aduerſus ethnicos victoria. 105.a. 107.b.
Carolus V. imperator Gallus eſt.84.a.103.a. 109.b.112.b.
Caroli ſimplicis inertia. 107.b.
Carpio piſcis vnius vlnæ. 140.a.
Caryate oppidum,à nucum copia. 146.a.
Caſletum,olim caſtellum. 128.a.
Caſquet inſula. 163.a.
Caſtrum Gualliardum , chaſteau gaillard. 147 a.
Caſtrum,munitionis notam habet. 111. b.
Caſtrum Vrſonum, Pontorſon. 148. a.
Caſtrorum nomina in Gallia. 117. a.
Catalaunia,a Cattis & Alanis dicta. 71.b.
Catalaunici campi,vbi. 101 a.
Catalaunii,quaſi Gotthi Alani. 17.a
Catalonia quæ ſit. 63 a.
Catalonici campi Toloſatium finibus concluſi. 63.a.
Cataneſia,vltimus Scotiæ limes. 167.b.
Cataracta Rheni non ſine horrore ſpectanda. 131.a.
Cataractæ quæ ſint. 131 b.
Catholici cognomen meritò Regi francorum tribuatur. 110 a.
Cattorum feritas. 13.b.
Caturiges,Cahors. 136 a.
Caua Neuſtria,vt cœle Syria. 49 a.
Cauchiæ flumen. 128.b.133 a.
Cauſidici cur dicti Galli. 12.a.
Celtæ vnde dicti. 43 b.
celtæ Aborigines vnde dicti. 75 a.
celtæ,bellaciſſimi. 46.b.
celtæ & Galli an iidem ſint. 70.a.
celtæ,Galatæ veteres. 3 b.
celtæ quando conditi. 83.a.Eorum nomen ſæpe variatum ibidem
celtarum ſedes vbi ſita. 52 a.
celtiberi à Tubale conditi. 83 a.
celtiberi priſca origine Galli. 15 b. Biſcaini. 115.a.
celtica Gallia totam irrigat Europã. 134.a.
Celticæ Galliæ limites. 133.b.& 134.a.
celticum promontorium. 15 b.
celtogalatæ & celtoſcythæ vnde prodierint 73.a.
cemenelii qui ſint, 49.a.
cemenii montes , montes Genebæ. 135.b.

Cemenus mons quàm latè cornua proferat. 138.b
Cenomanici agri fluuii. 140.a b
Cenomanorum & Andegauorum commercia mutua, facilia. 140.b
Centumuirales ſententiæ. 91.a
Ceſſero oppidum, caſtres. 136.a
Ceſſonia arx. 179.b
Ceſtriæ oppidum. 123.b
Ceſtriæ, piſces terreſtres. 145.b
Challons en champaigne, & challons en Bourgongne. 64 a
Chambraſium caſtrum, chambray. 153.a
Chameſtreni ſerui. 88.b
Chartres, ferè totius Galliæ media ciuitas epiſcopalis. 16.a.145.b
Charus fluuius. 139.b
Chacybdis in Danubio. 131.a
le Chaſteau d'Hermine 176.b. *fortuitis euentibus fæcundum.* Ibid. & 177.a
Chauſeium templum Franciſcanæ familiæ à piratis ſchiſmaticis funditus direptum & expoliatum. 163.b
Chendechildis virgo filia Clodouei illuſtris. 94.b
Chepia, Alauſa piſcis. 141.a
Chepſtoium oppidum. 123.b
Childerico Francorum regi ob inertiã detractum ſtemma regium, Pipino viro ſtrenuo traditum. 68.a
Childerici regis mors. 107.a
Chilpericus aliàs Daniel, rex Francorũ, è gradu deiectus. 107.b
Chilperici Francorũ regis fortuna varia. 92.a
Chiomaræ matronæ laus. 31.b
Chriſti euangelium ſcriptoribus veteribus aut ignotum, aut inuiſum. 73.b
Chriſtianæ fidei profeßio quàm efficax. 62.a
Chriſtianæ gentis oſor & vituperator & laudator Flauius Vopiſcus. 60.a
Chriſtianæ modeſtiæ tolerantia. 169.a
Chriſtianæ religionis faces ſæuißimæ duæ, Decius & Diocletianus. 61.a
Chriſtiani dogmatis vexilla ſub Conſtantino imperatore primùm liberè eruperunt. 61.b
Chriſtiani nominis odiũ apud ſcriptores, Tacitum, Suetonium & Pliniũ iuniorẽ. 74.a
Chriſtianißimi regis titulo Frãcogallia inſignita eſt. 65.b.110.a
Chriſtianorũ grauißima perſecutio ſub Diocletiano. 61.a
Chrixus Boiorum dux. 21.a.b
Chryſopolis, poſtea Iulia dicta. 9.a
Cicero ad nauſeam iactabundus. 38.a
Cicero ex Gallia oriundus. 37.a.38.a
Cicero Romanos calumniæ damnat. 20.b
Cicero ſi res noſtras theologicas tractaret, præ Auguſtino & aliis eiuſmodi infans haberetur. 39.a
Cimbri ad paludem Mæotin militiam agitarunt. 75.b
Cimbri & Celtoſcythæ, iidem. 73.a
Cimmerij Cimbri & Celtoſcythæ, iidẽ. 73.a
Cimmerij muri, portoria Cĩmeria, Boſphorus Cimmerius. 75.b
Cineres corporum inſignium virorum crematorum in vrnam condebantur. 28.b
Ciraria Noroberti abbatis. 158.a
Ciſalpina Gallia à quibus dicta. 42.a
Ciſalpina Gallia, togata. 96.b. *comata.* Ibid.
Ciſrhenani omnes, gallici ſunt nominis. 116.a. 84.a.112.b
Ciuile bellum Põpeij & Cæſaris quando exarſerit. 36.a
Ciuilis cuiuſdã Batavi fortitudo aduerſus tyrannidem Romanorum. 54.b
Ciuilitatem præſcriptionis vſu comparare, melius eſt quam &c. 14.a
Ciuitates quæ dicerentur. 111.b.129.a
Clariacum phanum. 146.a
Claudianũ Iurenſe templũ in Burgundia 50.a
Claudius Cæſar Druidarum religionem apud Gallos aboleuit. 53.b
Clauſæ vallis amœnitas ad Sorgam fontem. 138.a
Clenus fluuius, aliàs plenus. 139.b
Cleuenſes, quaſi clauenſes. 127.b *veri Galli Rhenenſes.* 71.b
Clientelæ ius. 52.b
Clodionis francorum regis virtus. 91.b
Clodius Albinus in Gallia imperator acclamatus. 57.b
Quum igitur qui cladi huic aquarũ ſuperfuerant, ſuperarint aquas nauigio: quid aliud totus orbis fuiſſe creditur, quàm Gallus, Gallicúſve? Minimè itaque dubitauerim omnes appellare Galligenas, tã Latinos quàm Græcos, quàm etiã Troiugenas & Francigenas. Omnes enim à Gallo Noah, eiúſque liberis prodierũt. Súntque Gallicæ eius familiæ priſcę nepotes: qui etiã Moſaici Hebraico idiotiſmo dici poſſunt, nempe aſſumpti ab aquis. Dictus eſt præterea Noah, Ianus, à dictione Iain: quę lĩgua Saga vinũ ſignificat. hinc Ianigenę nepotes appellati ſunt, qui & iuxta Græcum idiotiſmum Oenotrij meritò dicuntur, nomine ipſi Latio indito, cuius meminit Poëta, quum ait:

Oenotrij coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.

Oenos quippe Græcis, vinum eſt Latinis. Proinde omnes etiam dicendi veniunt Ianigenæ, Iani illius patriarchæ nepotes: qui idcirco biceps pingitur, quòd duorum mundorum finem initiúmque viderit: altius repetito, quàm Naſo in faſtis retulerit, huius appellationis initio. Qua de re ſuo loco dicetur. Fuit & Ianus, totius orbis ſecundus monarcha ab Adam. Fuere enim hi duo omniũ in toto orbe viuentium pro tempore patriarchæ & monarchæ.

Xenophon in Æquiuocis, quod dicimus, teſtatur apertè. Ogyges plures fuêre. Primus atauus Nini, quem Babylonij Gallum cognominant, quòd in inundatione ſuperſtes alios eripuerit, & genuerit. Hinc Sagæ (hi ſunt Aramei & Armenij) apud quos nauigio ereptus eſt, ratem Gallerim vocant. Id cõprobat Viterbienſis ex Talmudiſta Samuele. Hi igitur fuerũt Galli priſci vetuſtiſsimi veterũ, & qui tẽporibus Xenophontis veteres Galatæ & haberentur & eſſent. Dicti ſunt quoq; Sagæ Aramea Armeniacáve lingua, quod nomẽ retinet noſtra ætas. Nos enim hominem appellamus Sage, qui ſapiens Latinè dicitur & ſagax. Et pro aduerbio ſapienter, dicimus, ſagemẽt. Eſt Armenia propinqua Perſidi. Qua de re ita Plinius lib. 6. cap. 17. Perſæ (inquit) illos Sagas (aliàs Sacas) appellauêre à proxima gente Saga: antiqui, Arameos. hinc Sagalbina Ptolemæo iuxta Araxẽ Armeniæ fluuium. Sagam Feſtus ſacerdotẽ expiatricem interpretatur. Galli appellant Sage femme, eam quæ dicitur obſtetrix. Cato in fragmẽto: Ex his (inquit) veniſſe Ianum, ratéque cum Coloniis per Tyberim ductum cum progenitoribus Vmbrorum. Porrò de Vmbris Plinius libro tertio cap. 14. Vmbrorum, inquit, gens antiquiſsima Italiæ exiſtimatur, vt quos Ombrios à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Hæc ille.

Fuere itaque Vmbri, & Ianigenæ, & Galligenæ, vnaque nobiſcum Iani nepotes. Videatur Viterbienſis libro ſeptimo, videatur & Beroſus. Dicti ſunt nihilominus Galli, Gomeritæ à Gomer: atque etiam Samotei à Samote Dite. Quod nec ex toto latuit in commentariis Gallicis Cæſarem, qui ait Gallos gloriari ſe Ditem habere patrem. Fallitur tamen Diodorus Siculus, priſcos

Ianigenas Gallos ac Samoteos recētioribus admiſcens, quum multa inter priſcos & medios(eos inquā,qui togati dicti ſunt)annorū etiam millia interceſſerint. Multis ſubinde labentibus annis, ex Græco etymo Galli appellati ſunt Galatę:poſtea eliſis aliquot literis Keltę,tandem verò Celtę,quo nomine appellati ſunt Tranſrhenaui etiam omnes & Ciſrhenaui. Quorum meminit.3.Ethic. Ariſtoteles, vt qui ab Alexandro interrogati,quid maximè in orbe timerēt:reſponderunt: Quid?niſi quòd cœlum ruat. Armenos Ianigenas vocat Conſtantinus Phrygio tempore Abrahæ, cum Razenuis eos adiungens, plura de Iano Ianiculóque referēs,déque Gomeritis Italis & Chameſenuo Saturno,ſub annū à clade aquarū.254. Meminit Sabatij Sagæ Iuſtinus libro primo, qui & Zoroaſtes Bactrianus Saga dictus eſt, magiæ (vt putatur) inuentor. quem ſequitur Paulus Oroſius cap.4.lib.1.Multa quoque comminiſcitur de Gallis,Ianigenis,& Gomeritis Nurembergenſis chronographus. Vtcunque res habeat, conſtat linguam Arameam priorem Græca fuiſſe:imò ab Aramea Græcam deductam Beroſus docet. Nam Samotem cognomine Ditem literas Sagas Phœnicibus dediſſe conſtans opinio eſt:à quibus Græcos ſuas deformaſſe, nemini propiùs inſpicienti dubium eſſe poteſt.teſtis Polydorus de inuentoribus rerum. Cæſar in commentariis libro ſexto teſtis eſt, Gallos à Dite ſuas diſciplinas recepiſſe,& literas. De quorum etiam poëmatibus & carminibus multa refert Diodorus Siculus libro ſexto. Sunt (inquit) apud Celtas melodiarum poëtæ Bardi appellati, qui ſuis carminibus quos volunt,ad bella incendunt, quos volunt reuocant. Sic fit, vt ira cedat ſapientiæ, & Mars revereatur Muſas. Eſt ergo Bardus, poëta & cantor muſicus. Plurima (ait poëta) ſecuri fudiſtis carmina Bardi. Quos qui ſtultitiæ inſimulat, ſuam ipſe prodit amentiam, vt qui ſapientiam ſtultam appellat. Beroſo enim teſte,conſtat apud Perſas claruiſſe Magos,in Aſsyriis Chaldęos, in Indis Gymnoſophiſtas,in Gallis Druidas,qui antea Samotei dicti ſunt. Erant autē Druidæ Samotæ diuini atque humani iuris peritiſsimi, religioníque ac Philoſophiæ deditiſsimi. hodie vetuſti nominis veſtigia remanent in ſylua Quercetina non longè ab vrbe vocata Dreux: ſicut & Carnutæ à nucibus nomen habuerunt. Dicti ſunt & Galli Saronidæ priſca appellatione, literarum ac philoſophiæ nomine illuſtres. Quo fit, vt non tam Galli à Græcis, quàm Græci à Gallis ſuarum initia literarum acceperint. Nec obſtat,quòd poſtea Græci & dictione & diſciplinis cæteris præcelluerint. Nonnunquam enim vſuvenit, vt fiant nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi. Hactenus de priſcæ Galliæ nomine: cuius memoria ſub antiquitatis latebris ad multa tempora delituerat. De quibus ſi quis forſan vberius ac fœcundius commodiúſve teſtimonium exigat: Beroſum in antiquitatibus, Catonem in fragmentis, Xenophontem in ęquiuocis, Pictorem fabium, Myrſilúmque vetuſtos authores conſulat: & eorum omnium interpretem Anniū Viterbienſem. Nemo verò mirari debet,ſi horū omnium authoritatē eleuare ſummopere nitatur beatus Rhenanus. Scit eñ ille incolumi eorū authoritate,ruitura ſtatim omnia quę pro euerſione Gallici nominis perſuadere conatur. Ideóque illos oportet creſcere,ipſum autē minui. Quærat ille ſibi peregrinū:vicinia tota reclamat. Ad rē igitur:occurrit in primis liquidū ex Xenophonte ampliſsimúmque teſtimoniū. Verba Xenophontis hæc ſunt: Ogyges plures fuere. Primus ſupradictus atauus Nini, quem Babylonij Gallum cognominant, quòd in inundatione etiam

ſuperſtes alios eripuerit: & genuerit. hinc Sagæ, apud quos nauigio ſaluatus eſt & ereptus, ratem vocant Gallerim: quòd vndis ſaluet. Verùm Græca lingua Gallus candidū & lacteum ſignificat: Phrygia, exectum teſtibus: Latina, gallinæ maritum: & Celtas, qui ſunt Galatæ veteres, à rege Galate filio Herculis: à quibus Galatæ in Aſia: & Gallogræci in Europa. Fuit autē priſcus Ogyges in prima inundatione terrarum: alter verò Atticus in tertia. Hæc ille in Æquiuocis.

Conuenit his quæ dicta ſunt etymis vocabuli Gallus, interpretatio Hebraica, licet non eandem habet ſignificationem cum Græca. Gallim enim Hebræis idem ſignificat quod tranſmigrantes, reuoluētes, aut diſcooperientes: cuiuſmodi ſunt ſulcantes æquora, qui & littora radunt, & plagas vicinas perluſtrant, quod vulgus appellat diſcooperire: voluúntque & reuoluunt fluctus, atq; aquarum vortices, & maria tranantes tranſmigrant. hinc nauiculæ genus vocamus Gallion. Gallim præterea Eſaiæ cap. 15. guttas maris alio ſignificatu repræſentat. Galah apud hæbræos, modò detegere, modò tranſmigrate, nonnunquam etiam trāsferre ſignificat. & Gale fluctus, vti in pſalmo, Sonum fluctuum eius. Alio item loco: Motum fluctuum eius tu mitigas. Ionę item ſecundo: Omnes gurgites & fluctus tui ſuper me tranſierūt. Etymus verò Gręcus candorem deſignat lacteum, vt dicātur lactei Galatæ. quibus id comperere poſsit: Nazaræi eius candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo. Santes Pagninus nominū interpres Hebraicorum, Galatæ (inquit) à γάλα, quod Latinis eſt lac. Galatia poteſt dici lactea, quòd lacteos, id eſt albos homines producat. Hinc Gallio, lacteus. Actuū. 18. Hæc ille. Viſitur etiam in ſtellatæ noctis claritate, nimio fulgore redundans Galactica via, quæ & lactea. Sic fit vt Gallica cœleſtiſque plaga cenſeātur cognomines, dum commune elogium cum Ioue Gallus habet. Annius Viterbienſis ad fragmentum Catonis ſic ait: veteres Galli inundati interpretantur ex Xenophonte & Myrſilo. fuit enim Ianus ſaluatus ab inundatione cum filiis & vxoribus in Scythia Saga, authore Beroſo. Diodorus Siculus libro. 3. Conſedit genus hominum iuxta fluuium Araxim in Armenia maiore. Ea eſt Aramea & Saga, vicina Perſis. Qua de re etiam Plinius ſexto naturalis hiſtoriæ cap. 17. vt alio recenſetur loco. Archilochus de temporibus ſic ait: Mnaſeas Phœnix Damaſcenus libro nonageſimoſeptimo hiſtoriarum aſſerit, ante Ninum ferme ducētis quinquaginta annis fuiſſe inundationem terrarum: & quendam cui teſtimoniū perhibet Moſeus antiquiſsimus hiſtoricus, liberatum circa fluuium Araxim ad montes Caſpios: túmque recenti cælo & rudi humano genere vixiſſe auream vitam: in qua nullo ferente legem, natura ipſa viuebatur: quouſq; Ninus & Semiramis arma populis inferentes, primi vitam vitiare cœperūt humanam. Tradunt igitur Chaldæi vno & trigeſimo atque centeſimo ab Ogyge anno regnaſſe apud ſe Saturnū auum Nini, annis ſex & quinquaginta: primúmque Babyloniç fundamenta ieciſſe.

pſal. 88. *Pſalm. 4.* *Threnor. 4.*

Porrò hanc auream ætatem aureo ſuo carmine depingit & ornat Ouidius lib. Metamor. 1.

Siue recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina cœli.
Quam ſatus Iapeto miſtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Aurea prima ſata eſt ætas: quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, fidem, rectúmque colebat.

Pœna metúſque aberant:nec verba minantia fixo
Ære ligabantur:nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui:ſed erant ſine iudice tuti.
Nondum cæſa ſuis peregrinum vt viſeret orbem,
Montibus,in liquidas Pinus deſcenderat vndas:
Nullaque mortales præter ſua littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ.
Non tuba directi,non æris cornua flexi,
Non galeæ,non enſis erat:ſine militis vſu
Mollia ſecuræ peragebant ocia gentes.
Ipſa quoque immunis,raſtróque intacta,nec vllis
Saucia vulneribus,per ſe dabat omnia tellus.

Cuius rei non ignarus Iuſtinus breui epitomate rem abſoluit:Principio(inquit)rerum,gentium,& nationũ imperium penes reges erat: quos ad faſtigium huius dignitatis non ambitio popularis,ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur. Arbitria principum,pro legibus erant. Fines impetij tueri, magis quàm proferre,mos erat. Intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. Hæc ille. *Lib.1.*

Beroſus verò ſic habet ad verbũ: Comerus Gallus poſuit colonias ſuas in regno quod poſtea Italia dicta eſt: vnde & Gallia dicta eſt togata.de qua poſtea. Et paulo mox ſequitur: Samotes, qui & Dis,Celtas colonias fundauit. Fuerunt autẽ Samotei priſci præcipuíque philoſophi, etiã ſi id inuitus audiat Diogenes Laërtius totius antiquitatis ignarus,quam melius agnoſcẽs Diodorus ingenue profitetur philoſophiam à priſcis barbaris,non itẽ à Græcis initium ſumpſiſſe. Quibus collati Linus Orpheus & Muſæus neoterici veniũt potius dicen di quàm priſci. Lege Viterbienſem lib.15.& (quem ſupra citauimus) Cæſarem in ſuis commentariis lib. 6. De Iano verò Ianineiſque,deque vrbe Galla & Gallim inſula, habes verba Plinij lib.6.cap. 31. Habes etiam in Machabæis Ianiam portum Palęſtinæ à Iano dictam in præfectura Gazę. Author Diodorus Siculus.4.lib. Atlas & Saturnus fuerunt filij Cæli primi regis in Scythia.

Hæc cùm de aurea ætate ita ſe habeant,credo equidem nihil fidei habituram apud cordatum quemlibet fictitiam illã fabulam Ouidianam.6.faſtorum, qua narratur inceſtuoſus concubitus Iani illius priſci heroum omnium ſatoris, omniúmque propagatoris regionũ quæ ſub cælo ſunt,cum Carna ſua conſanguinea, quam clauigeram cardineáque à cardine & clauę ſuo poëmate depingit. Abſit autem vt tam impuro concubitu polluta fuerit à caſtiſsimo præſertim fœliciſsimæ ætatis patriarcha Noë. Nam & ipſe huius vanitatis teſtis eſt,qui primo faſtorum ætatẽ illã miris laudibus effert,pręſertim eo loci vbi ait: *Ouidius reprehenſus.*

Nullus erat iuſtis reddere iura labor.

Verùm quàm diſertis verbis ſelectiſque ſentẽtiis ea quæ nuper receſſimus comprobet,nunc videndum eſt.

Primùm qua ratione priſcæ ætatis cultores eum depinxerint, nauigio aduectum, baculóque ac claue inſignem, ex eo cernere licet. Sic enim ille cecinit:

Ille tenens dextra baculum,clauémque ſiniſtra,
Edidit hos nobis ore priore ſonos:
Me chaos antiqui(nam ſum res priſca)vocabant:
Aſpice quàm longi temporis acta canam.
Nunc quoque confuſę quoniam nota parua figurę eſt,

Antè quod eſt in me, póſtque, videtur idem.
Inde vocor Ianus, cui cum cereale ſacerdos
Imponit libum, farráque miſta ſale,
Nomina ridebis, modò nanque Patulcius idem,
Et modò ſacrifico Cluſius ore vocor.
Móxque ſequitur:
Et mihi, ne flexu ceruicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.
Et hęc cauſa eſt Iani biformis, de quo ſuprà dictum fuerat,
Iane biceps, anni tacitè labentis origo,
Solus de ſuperis qui tua terga vides.
Quòd autem Gręcam præceſſerit originem, hinc colligitur, quòd idem ſubiungit:
Quem tamen eſſe deum dicam te Iane biformis?
Nam tibi par nullum Gręcia numen habet.
Qua etiam de cauſa Ianuarius primus menſis dictus eſt, eodem authore qui ait:
Bruma noui prima eſt, veteríſque nouiſſima ſolis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.
De inſignibus verò Iani ita Naſo diſſeruit:
Multa quidem didici, ſed cur naualis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Succedit reſponſio huiuſmodi:
Noſcere me duplici poſſes vt imagine, dixit,
Ni vetus ipſa dies extenuaſſet opus.
Cauſa ratis ſupereſt. Thuſcum rate venit in amnem
Antè pererrato falcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum:
Cœlitibus regnis ab Ioue pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen,
Dicta fuit Latium terra latente deo.
Hic prępoſterè poëta recentiora veteribus admiſcet, pro Saturno priſco poſteriorē reponens. Qua in re videndus eſt Xenophon in æquiuocis. Tandem tamen rediens in viam, id quod verum eſt ſubiungit.
At bona (inquit) poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata dei.
Arx mea collis erat, quam vulgus nomine noſtro
Nuncupat, hęc ætas Ianiculúmque vocat.
De aureæ verò ætatis tranquilla conditione loquens ſubiungit:
Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum
Eſſet, & humanis numina miſta locis,
Nondum iuſtitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de ſuperis illa reliquit humum.
Próque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat:
Nullus erat iuſtis reddere iura labor.
Nil mihi cum bello, pacem poſtéſque tuebar,
Et clauem oſtendens, hęc ait arma gero.
Sciebat multa ſua ætate deliteſcere ſub latebris antiquitatis. Legat qui volet Vertumnianam Propertij. Cui nomini alludens Ouidius ait:
Quicquid vbique vides, cælum, mare, nubila, terras:
Omnia ſunt noſtra clauſa paténtque manu.
Me penes eſt vnum vaſti cuſtodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum eſt.

Qua de re Propertius:
Quid mirare meas tot in vno corpore formas?
Accipe Vertumni ſigna paterna dei.

Dictus præterea eſt cœlum,quòd motuum cœleſtium rationes haberet in digitis. Seruius in Vergilium, Ianum pingi quadrifrontem ait, eò quòd præſit anno in quatuor temporum commiſſuras diſſecto. Dictus eſt etiam Inuus,ab ineundo, eò quòd fuerit orbis totius alter propagator. Sed & ob eã cauſam biceps depingitur, quòd vtriuſque ſeculi mediator fuerit. Vidit enim ſeculum priſtinum cadens aquarũ clade,& poſtea aliud reuertens ſua ipſius propagatione. Fuit enim pater rediuiui ſeculi, ſecundus ab Adam, qui poſteritatem religioſis moribus reſtituit. Neque id quod dicimus, abnegant Topographi recentiores,in quibus Sebaſtiani Munſteri aſſertionem ad verbum referam. Sic enim ait in ſua Italię noua tabula: Italiam (inquit)Ianus(qui et Ogyges)ingreſſus eſt quando adhuc erat aurea ętas & iuſti homines.Ipſe vinum & far primus in Italia docuit, deorum ſacrificia,& moderatam comeſtionem. Vnde Fabius Pictor: Ianus fuit pontifex religioſus,literatus,philoſophus,theologus, pater omnium deorum & hominum,monarcha totius primi generis humani,penes quem vnum tunc erat totius vaſti orbis cuſtodia. Ab hoc Iano Italia primùm appellata fuit Ianicula,ſicut & Ianua ciuitas ab ipſo nomen accepit, quam hodie Genuam vocant.Hic bifrons pingitur. duas enĩ facies ante & retro habere dixerunt, quòd duo viderit ſecula,id ſcilicet quod pręceſſit,& quod ſecutũ eſt diluuium.Hic alio nomine Nohë vocatur,primus vini inuentor,vnde & Ianus cognominatus eſt.eſt enim iaiin hebraica lingua vinum.Huius vxor fuit Eſtha,cui Romani adiiciẽtes adhuc vnam literam,fecerunt Veſtham:coluerúntque pro deo.Porro Gręci hebraicam vocem mutuantes,ex Ianicula fecerunt Oenotriam, ſic ſcilicet Italiam appellantes. Fuit & Saturnia à Saturno,& Heſperia ab Heſpero appellata.Hæc ille. Neque huius Iani priſci memoria prorſus latuit in hiſtoria naturali Plinium, qui lib.34.ipſius imaginem ita adumbrauit:Pręterea Ianus geminus à Numa rege dicatus,qui pacis bellique argumento colitur,digitis ita figuratis, vt trecentorum ſexaginta quinque dierum nota,per ſignificationem anni,temporis & ęui ſe deum indicaret. Hæc ille.Ex cuius vt ſic dicam copiæ cornu, multo plura meritò quis expectare poterat, ſi caſu forſan ille attingere potuiſſet ſacrarum adyta literarũ, aut ad eum perueniſſent priſci authoris ſcripta Beroſi à Ioſepho impenſè laudati,aut certè Catonis fragmenta,ęquiuoca Xenophontis,Fabiíque Pictoris, Sempronij Myrſiliue ſcripta vetuſta:quos authores nec à limine ſalutaſſe Plinium cõſtat vel ex hoc vno,quòd cùm recenſeat eos à quibus didicerit,ne minimum quidem verbum de huiuſmodi authoribus poſteritati reliquerit.Pomponius Lętus rẽ de qua agitur(tametſi aliquãtiſper confuſe) quadantenus tamen verè de ſacerdotijs agens attigit. Quidam,inquit,ſcribunt ante Faunum imperaſſe Ianum, & cultum deorum demõſtraſſe. Hallucinatur autem in cultu deorũ quaſi plurium,cum vnius veri dei cultum Ianus obſeruandũ inſtituerit. Quod autem Fauno tribuitur,illud Iano cõpetit:vt vel ſic intelligatur idem fuiſſe Ianus,qui & Faunus dicitur,de quo ita Põponius: Faunus antiquiſsimus omnium regum in Latio fuit, Aboriginibus imperauit,homines more ferarum viuentes,in mitiorem vitam redegit. Lucos ſacrauit,locis & vrbibus nomina dedit,ædificia erexit, templa ædificauit,quę ideo à Fauno fana dicũtur, quòd põtifices ſacrãdo illic fatur, cap.2

Neque id prorſus extra veritatis aleam conſtituendum eſt, quod de Bona dea ſubiungit, quæ erat mulier ūcaſtiſsima, & vaticinatrix: quæ potius Veſtha priſco vocabulo, ſeu Eſtha dicenda venit, quàm Fatua. Vnde & ipſe in capitulo de Veſtalibus ait in templo Veſtę ſeruari perpetuum ignem, quia Veſta nihil aliud eſt quàm purus ignis. Cuius ratio nominis petenda eſt à lingua Saga potius quàm à Græca & Latina. Ideóque fallitur Lucius Feneſtella, aut quiſquis fuit ille deorum. Sunt enim qui conſtanter negent Lucium hūc Feneſtellam cuius opuſculum paſsim hodie circunfertur, verum eſſe Feneſtellam Romanum, ſed perſonatum aliquem, Feneſtellæ veteris imagine tectum. Nam in eo opere Plinius & Gellius teſtes proferuntur, quorum Gellius iuſto ſeculo poſterior eſt Feneſtella. Sunt qui tribuāt hāc nouellam de magiſtratibus fœturam Andreæ Dominico Florētino, qui de magiſtratibus ſcripſit. Vtcunque ſit, fallitur ille qui primam ſacerdotij originem in Latio refert ad tempora Euandri Arcadis, cum ait, Omnium deorum quos vetus Romanorum religio excoluit, primum Pana Lycæum, ſeu Faunum illum, ſeu potius Syluanum vocari placet, apud vetuſtos aſſertores fuiſſe conſtat. Nam, vt de ſuperſtitione Lupercorum taceam, conſtat prima orthodoxę religionis initia à Iano apud Ethruſcos ante Romam conditam fuiſſe inſtituta. Conſulendus in his erat Ioſephus priſcæ antiquitatis index certiſsimus, ſi ei recta monenti, illius ætatis ſcriptores patientem aurem præbere voluiſſent. Obſtitit ſuorum inuidia temporum: qua quantum laborauerit, facilè lector intelliget partim ex vita Ioſephi Latinè nuper traducta, partim ex eius ſcriptis aduerſus Appionem grammaticū. Eius ad hunc modum ſcripta referam: Quomodo ergo non eſt irrationabile, vt tali facto vegetentur Græci, tanquā ſoli ſciant vetera: & veritatem eorum ſub ſcrupuloſitate de antiquis, non ab ipſis conſcriptoribus facillimè diſcant, qui neque firmiter ſcientes aliquid conſcripſere, ſed quod vnuſquiſque opinatus eſt, hoc ſtuduit explanare? Vnde etiam libris ſuis alterutros arguunt, & valde contraria ex rebus eiſdem non piget edicere. Sed ego videbor me potioribus eſſe ſuperfluus, ſi explanare voluero quantis quidem locis Hellanicus ab Ageſilao de genealogiis diſcrepat, & in quātis Herodotum corrigit Acuſilaus, aut quomodo Ephorus quidem Hellanicum in plurimis oſtendit mendacē, Ephorum vero Timæus, Timæum qui poſt illum fuere, Herodotum vero cuncti.

Item aliquanto poſt aduerſus Appionem de Herodoto & Thucydide ſic ait: De Gallis & Iberis ſic ignorauere hi qui putantur ſubtiliſsimi conſcriptores (quorum eſt Ephorus) vt vnam ciuitatē eſſe arbitrarentur Iberos, qui tantam partem Heſperiæ terræ noſcuntur inhabitare. Et neque mores eorum qui fiunt apud eos, vel qui dicuntur, tanquam ſic vtentibus referre præſumunt. Cauſa vero ignorantiæ veritatis eſt, eò quòd procul abeſſent. Vt autem falſa conſcriberent, eò quòd vellent videri aliquid amplius ab aliis retuliſſe. Quanti vero æſtimauerit Beroſi in priſca hiſtoria authoritatem, vel ex hoc vno colligitur, quòd mox dicenda pronunciat. Nunc itaque ſunt dicenda ea quæ apud Chaldæos noſcuntur eſſe conſcripta, & ad nos per hiſtoriā ſunt delata: quæ multam habent concordiam cum noſtris voluminibus etiam de aliis rebus. Teſtis autem horum eſt Beroſus, vir genere quidem Chaldæus, notus autem eis qui doctrinæ eruditioníque congaudent, quoniam de Aſtronomia, & de Chaldæorum philoſophia ipſe Græcas cōſcriptiones expoſuit. Igitur Beroſus antiquiſsimas ſe-

cutus hiſtorias, de facto diluuij, & hominum in ea corruptione, ſicuti Moſes, ita cõſcripſit. Simul & de arca, in qua generis noſtri princeps erutus eſt, deuecta ſcilicet ea in ſummitatẽ montium Armeniorum. Deinde ſcribens eos qui ex Noë progeniti ſunt, & tempus eorum adiiciens, vſque ad Nabulaſſarum peruenit Babyloniorum & Chaldęorum regem. Hæc pro Beroſi comprobanda authoritate hactenus dicta ſint, priſcæ Gallorum originis enarratoris. Quòd ſi quis hunc quẽ dicimus, verum neget eſſe Beroſum, ille aut hunc agnoſcat, aut alium nobis proferat. Sed eſto, verus non ſit Beroſus: quomodo inficiati pòterit Catonis fragmenta, Xenophontis, Fabij Pictoris, Philonis inſuper, receptiſsimorum authorum venerandæ antiquitatis documẽta? quæ etiam ad notitiam Dionyſij Halicarnaſſei peruenisſe nemo inficiari poterit, qui in ſuæ hiſtoriæ frontiſpicio ipſum vel de limine ſalutarit. Viderat, nec diſsimulare poterat Dionyſius Sempronij & Catonis ſententiam: qua tamen deſerta, toto cœpit aberrare cœlo. Hic certe Dionyſius Græciæ ſuæ ſuauitate allectus, eiúſque ineſcatus amore, fauoréque excæcatus, nunquam eò inducere animũ potuit, vt Catonis Semproniíque vetuſtiſsima ſcripta ſequens, priſcam Aramæorum agnoſceret originem, omnia Gręcis tribuens, quæ tamen multis ante ortam Gręciam annis, priſcis Ianigenis tribuenda erant. Qui tamen, vt aperte teſtatur Viterbienſis, ſuo ipſius teſtimonio intercipitur. Verba Viterbienſis ſubſcribam: Certat Dionyſius Halicarnaſſeus Gręcus contra Catonem & Semproniũ & alios Latinos de originibus, aſſerens hos noſtros ſcriptores ſimilia fabulis ſcribere, quia dicunt Ligures duce Phaëthonte primos Græcos ex Attica in Italiã veniſſe ante Oenotrium Arcadem, cùm ipſe nullas colonias reperiat in Italiam è Græcia traductas priores Oenotrij, qui adnauigauit in Italiam fermè quingentis annis ante Troianum excidium. Sed pro Catone atque Latinis reſpondent Plinius in 3. naturalis hiſtoriæ, & Iuuenalis in Satyra, quòd rationem & originem Italiæ pudet mutuari à Græcis: & Latini non fabulas texunt niſi cum ſequuntur fabuloſam Græciam, mendacem in hiſtoria. Itaque (vt Cato de originibus aſſerit) per multas ætates ante Oenotrium Phaëthonteæ Ligures coloniæ ex Attica venerunt in Italiam, non tamen ex Attica oriundæ, ſed Ægypto. *Lib. 15.* Nam teſte Moyſe, & ſuprà in genealogiis Beroſo, Cur filius Cameſis Saturni Ægyptij genuit Phaëthontem, quẽ prolatione Hebręa Moyſes Phut, Aramęi Phet, Latini Phaëthõ pronunciant. Ab hoc prodiit Ligur: quem primũ poſuiſſe colonias in Ægypto, & Libya nomen eſt argumẽto: quia Libyj ante Libyum Ægyptium Herculẽ, dicebantur à duce Phutęi ſiue Phaëthõtęi, vt Hieronymus aſſerit in commẽtario 10. cap. ſupra Geneſim. Ptolemæus quoque memorat in Æthiopia Ægypti vrbẽ Phut Iur, & in Matmarica Phut enuti, & in Libya Phut fluuius: & vocabulo Aramęo non Græco, fluuius in Liguria iuxta Genuam Phet, Riton, vernacula olim lingua phe Ritõ, vt Plinius nominat in. 3. naturalis hiſtoriæ. Eſt autẽ Ritos (teſte Hieronymo & Talmudiſtis) bonus ſiue religioſus, à quo Rituales libri Etruſci dicuntur, teſte Feſto. Itaq; Phet Ritõ (id eſt Latina lingua Phaëtõ, bonus ſiue religioſus) indicat Beroſum veracẽ ęquè, ac Gręcos mẽdaces. Exiſtimo autẽ præbuiſſe occaſionẽ mentiẽdi Græcis, nominis ſimilitudinẽ, qui nomina & geſta Ægyptiorũ furati, ſuis nouitiis nuper & heri ducib⁹ tribuerunt: vt ingenuè cõfitetur Græcus Herodotus in 3. hiſtoriarũ libro. Ergo cũ Catone de originib⁹, fatemur per multas ętates ante Arcades veniſſe Phaëthõtæos Ligures, & cum Beroſo definito anno pe-

nultimo Aralij Aſſyriorum regis, ante Troianum excidium annis fer me octoginta ſupra ſexcentos, vt in Euſebio de temporibus ſupputatur. Ergo ſi (vt ait Dionyſius) Oenotrius claſſe nauigauit in Apuliam ad eos qui tunc dicebantur Auſones, decem & ſeptẽ ætatibus, id eſt decem ſupra quingentos annos ante res Troianas, & ante eaſdem Phaëthon Ligures traduxit annis ſexcẽtis octoginta, vt cum Beroſo Latini conſentiunt: conſequens neceſſariò eſt, vt Ligures multis ætatibus, id eſt, annis cẽtum & ſeptuaginta Italiam ante Oenotrium coluerint: quod (teſte Dionyſio) & Cato de originibus ſcripſit, & Caius Sempronius teſtatur, & alij illuſtres Latini ſcriptores conſentiunt. Ex his patet multa Latinos de originibus cõtra Græcorum traditionem memoriæ prodidiſſe ſecutos Beroſum & alios vetuſtatum certiſſimos ſcriptores. Conſtat quoque Ligures paucos à Iano Ianigenas poſitos inueniſſe, qui etiam mõtana & Galliam ciſalpinam vſque ad Iſtriam coluêre. Hucuſque Viterbienſis: ex cuius perſpicua refutatione palam eſt, nullatenus audiendum eſſe hac in parte Dionyſium Halicarnaſſeum: vt qui Græcanicis deluſus fabulis, ſpretaque priſca Latinorum veterum hiſtoria, de fabula faciat hiſtoriam, & de hiſtoria fabulam, fruſtra Sophoclem citans authorem tragicum poëtam, alioſque huius farinæ augures potius quàm aſſertores. Ideoque innititur baculo arundineo confracto Pherecydi de Græcanicis originibus commẽta plurima referenti: cum origo Græciæ longo temporis interiectu ſequuta ſit priſcorum Ianigenarum primæuã originẽ: cum nihil reliquũ facit, dum omnia ſuo Græcaniſmo tribuit. Quin potius credere debuerat Ethruſcis dicẽtibus ſe à principe quodam Rhazẽno & prodiiſſe, & vocatos fuiſſe. Nam dictus eſt Ianus Rhazennus, gentium ac populorum propagator. Ad id autem cùm aſſurgere aut non valuerit, aut non voluerit: nihil mirum ſi in ſequentibus tota aberret via, qui & ſuis verbis intercipitur, dum ait opinatos priſcos terram Italiæ Saturno eſſe ſacram, nempe Iano priſco. Id quod Ouidius & Virgilius multis verbis expreſſerunt. In hoc tantùm fallitur Halicarnaſſeus, quòd quam dicit eſſe fabulam, vera eſt hiſtoria, ante ortum Græcanicæ gentis geſta, & à Catone & Sempronio vetuſtis Romanis in literas relata, nempe de priſco Saturno, hoc eſt Noah, qui & Ianus appellatus eſt. Sequens eſt ad alia progredi.

Diodorus lib. 6. de re Gallica dicturus, ita orditur: Haud ſanè abs re fuerit gentes Europæ cõterminas, quas in ſuperioribus libris omiſimus, paucis referre. Celtis olim imperauit vir egregius, ex quo filia corporis magnitudine vltra naturæ modũ decorémque cæteras excellens, orta eſt. Hæc tum viribus tum ſpecie elata, omnes qui eam vxorem expetebant contempſit, exiſtimans neminem ſuo matrimonio dignum. Interim cùm Hercules bello aduerſus Geryonem moto veniſſet in Celticam, inque ea ciuitatem Aleſiam condidiſſet, admirata tum virtutem Herculis, tum corporis præſtantiam, permiſſu parentum eius concubitum appetiuit. Iuncta illi filium genuit nomine Galatẽ, qui coæuos ſuos tum virtute animi, tum virtute corporis exceſsit. Vir factus, cùm paternum regnum ſuſcepiſſet, plures oras ſibi ſubdidit propinquas, præclaris rebus bello geſtis. Cùm eius gloria efferretur, ſubditos omnes à ſuo nomine appellauit Galatas: ex quo omnis regio Galatia dicta eſt.

Cæterùm eſt in quo meritò incuſetur Diodorus, nempe in confuſo hiſtoriæ ordine, dum ſcilicet Gallos priſcos Gomeritas atque Samoteos vnà cum recentioribus cõmiſcet. Nam quos aſſerit Cimbris

ſocios

ſocios effectos Roma capta Delphici Apollinis ſpoliaſſe templum, hi nimirum recentiores ſunt, à priſcis Gallis longa ætate diſtantes, cùm inter hos & illos anni fermè bis mille interſint: vt ſuo loco latius differitur. Verùm ita accidere ſolet his qui aliud agentes, capita tantùm rerum percurrunt, & infima ſummis, ac priſca recentioribus neglecto medio temere coniungũt. Priſci enim Galli, qui ſuas ante Græcos habuere literas, à Samore priſco inſtituti & edocti, qui & Gomeritæ & Galatæ priſca ætate dicebantur, aurea illa ætate inſignes erant. Et id quidem ex Xenophõte, Archilocho, Ioſepho, facilè colligitur. Nec id quidem ignoraſſe videtur Cæſar commentariorum lib. 6. Teſtatur enim Gallos, qui Ditem ſe gloriabantur habere patrem, ab eo philoſophiam literasque hauſiſſe: & id quidem longè ante Cadmum inter homines natum. Nec ſolum hi (quos protulimus) vetuſti authores eam quam de Iano diximus ſententiam comprobant, verùm & mediæ etiam ætatis grauis author Eutropius, qui in ipſo ſuæ hiſtoriæ limine Valẽtiniano Cæſari dicatæ ſic ait: Primus in Italia (vt quibuſdam placet) regnauit Ianus, deinde Saturnus Iouem filium è Græcia fugiens, in ciuitate quæ ex eius nomine Saturnia dicta eſt habitauit, cuius ruinæ hactenus cernuntur in finibus Thuſciæ haud procul ab vrbe. Hic Saturnus quia in Italia latuit, ab eius latebra Latium appellata eſt. Ipſe enim adhuc rudes populos, domos ædificare, terras colere, plantare vineas docuit, atque humanis moribus viuere, cùm antea ſemiferi glandium tantummodo alimẽtis vitam ſuſtentarent: qui aut in ſpeluncis, aut frondibus virgultiſque contextis caſulis habitarent. Ipſe etiam eis numos æreos primus inſtituit: pro quibus meritis ab indocili & ruſtica multitudine deus eſt appellatus. Hæc ille.

Hic tamen cautione opus eſt, ne quis aberret Eutropium ducem ſequens. Ille enim in hoc hallucinatur, vti & fermè Romani ſcriptores omnes, quòd Iano priſco Saturno cohærere faciãt Saturnum recentiorem Græcum, cuius filius Picus fuit: cùm mille annorum centuriæ inter vtrunque interceſſerint, vti ex Beroſo atque aliis antiquariis ſcriptoribus colligere promptum eſt. Ea igitur omnia quæ hic recẽſentur, Saturno priſco omniúmque ſatori nationum tribuẽda ſunt.

DE GALLICAE PROPAGATIONIS *ætate ſecunda, Perioche altera.*

GALLICÆ huic Ianigenarũ appellationi proxima eſt, & penè (vt ſic dicam) attigua, Vmbrica. Vmbri gens Thuſca dicta eſt ab imbre, vt & Græci, & eorũ teſtimonio Plinius ingenuè profitetur lib. 3. cap. 14. Sic enim ille ait: Iũgitur his ſexta regio, Vmbriam complexa, agrúmque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit, togata Gallia cognomine. Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuere, in primis Palmenſem, Prætutianum, Adrianúmque agrum. Vmbri eos expulere, hos Hetruria, hanc Galli. Vmbrorum gens antiquiſsima Italiæ exiſtimatur: vt quos Vmbrios à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Trecenta eorum oppida Thuſci debellaſſe reperiuntur. His adhærere faciamus quæ mox. 15. ca. Plinius ſubiungit. Octaua regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In ora fluuius Cruſtumium, Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Apruſa. Fluuius hinc Rubico quondam finis Italiæ. Meminit etiã ſaltus Galliani, vbi ſunt Aquinates. Agrum inſuper com-

memorat tractúve in quo interierunt Boij Galli, centum duodecim olim tribubus locupletatus. Item (inquit ille) Senones qui ceperunt Romam. Quæ omnia ad rem pertinent Gallicam.

Hi itaque Ianigenæ ab imbre cœlitus cadente Imbrij ſeu Vmbrij appellati ſunt: qui & ipſi Galli à fluctibus ſuperatis meritò appellandi veniunt. Oportebat enim ratẽ illam Noah eſſe funditus oualiter arcuatam ad ſuperandas aquas, ſummitus verò tabulatis tectam teſſulatim ad effugiendum inimicum imbrem per latiſsima impluuia deſuper cadentem. Hinc appellata eſt arca Noah, deſuper arcata, infernè verò arcuata: &, vt ſic dicam, nauis arcaria. Sũt ergo Galligenæ & Vmbrigenæ, Vmbri pòpuli, etiamſi Thuſci diſcreto nomine hodie dicantur. Inter quos Salentini in peninſula ſiti, à ſalo, id eſt mari (authore Feſto) vocati: qu orũ mertopolis eſt Hydrus, ab aquis etiã ſumpto vocabulo. Eſt & Leuca promontorium caſtellũ Sanctæ Mariæ de Leuca. Nec longe abeſt vrbs Pomponio Melæ Gallipolis appellata. Quæ omnia Gallico nomini apertè conueniunt. Nam & Leucos can dorem deſignat. Hinc Leucoſyri appellati in Arme nia minori, & Pa riſiorũ Leucotetia dicta eſt, id atteſtante Iano Laſchate hoc diſticho:

Arca Noë.

Natiuo Leucotetiam candore coruſcam
Dixere ex etymo Gallica terra tuo.

Vmbria.

Neque tamen abſurdè dici poterit Lutetia Vmbria, ab imbre, terra ſcilicet imbricata ac vliginoſa, ideóque fœcunda, & miro prouentu fertilis, lutóque ſimillima cum putris ſe gleba reſoluit. Ibi ſunt Peruſia & Spoletũ, vnde hodie appellatur ducatus Spoletanus. His quę diximus, atteſtatur Cato in fragmentis, his verbis: Et ex his veniſſe Ianũ cum Dyrim & Gallis progenitoribus Vmbrorum, ratéque cum colonis per Tiberim vectum, ad Ięuum Tiberis Etruriam tenuiſſe locum, vbi colonias in continẽte primùm expoſuit. Et ipſum deum ſimul Va ticanum habitum dictúmque fuiſſe, & regionem Vaticanã, id eſt Vagicanam dictã, quòd ibi Ianus quaſi in cunis natam primũque vagien tem Italiam exceperit. Inde cum coloniis à Vagicano progreſſum in tractum Vmbriæ, fundaſſe regiam, & Fani Olympum foſſamque ſacraſſe, & Auguſtalem Turrenam non longè à regia dicaſſe: vbi ad ſalutandum regem duodecim coloniæ nonis lunaribus conuenirent.

Vaticanum.

Deinde Solinus in Collectaneis colligit veterum Gallorum prolẽ eſſe Vmbros, quos Græci Ombros dixerunt, qui aquoſa clade imbribus fuerunt ſuperſtites. Solini hæc verba ſunt: Galatiam primis ſeculis priſcæ Gallorum gentes occupauerunt, Toliſtobogi, & Veturi, & Ambiani: quæ vocabula adhuc permanent. Iuſtinus ad paſtores Aboriginum, qui Galli priſci erant, Italicæ nationis exordia transfert. Italiæ (inquiens) cultores primi Aborigines fuẽre, quorum rex Saturnus tantæ iuſtitiæ fuiſſe dicitur, vt communia omnia & indiuiſa omnibus fuerint, nec ſub illo ſeruierit quiſquam. ob cuius exempli memoriam in Saturnalibus exæquato omnium iure, paſsim in conuiuiis ſerui cum dominis recumbunt. Sextus item Ruffus paucis rem attigit. Regnauit (inquiens) in Italia Ianus, Saturnus deinde, & qui mox ſequuntur. Hi omnes Ianigenarum in Europam aduentum deſcribunt, reciſè tamen & mancè, & quandoque confusè, priſca recentioribus miſcentes. Neque enim ad eos peruenerant venerandæ antiquitatis monumenta.

Saturnalium ius.

Diffusè hanc differit Viterbienſis in Myrſilum his penè verbis: Igi tur cum Oenotria dicatur vinifera, & œnotrius vinifer, & tempore

Iani non erat vinum in Etruria & Latio: negat hoc Cato, dicens Ianum dictum Oenotrium, quia primus inuenit vinum & far. Et tamen vſque ad Mezentium nō fuit vini vſus ad poculentiam & vſum menſæ, ſed ad ſacra libamina. Vnde Fabius Pictor ait principiò Ianum inueniſſe vinum & far ad religionem & ſacrificia magis quàm ad vſum: & ob id ipſi farrata & vinum in omni ſacrificio prælibari. Addit autem Beroſus, quòd ipſe dictus eſt à Scythis lingua eorū Ianus, quia primus in Armenia inuenit vinum. Aramæa enim & Hebræa lingua Iain vinum dicitur, à quo Ianus vinifer deriuatur. Ergo Aramæè Ianus dicitur, & Græcè Oenotrius, & Latinè vinifer: tam per interpretationem nominis, quàm munere inuenti vini, ſiue ad vſum communem, ſiue ad ſacrificia. Priſcæ huius ætatis memoriam obiter attigit Ammianus Marcellinus lib. 15. Ambigentes, inquiens, ſuper origine prima Gallorum ſcriptores veteres, notitiam reliquere negotij ſemiplenam: ſed poſtea Timagenes & diligētia Græcus, & lingua, quæ diu ſunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem ſecuti, obſcuritate dimota, eadem diſtinctè docebimus, & apertè. Aborigines primos in his regionibus quidam viſos eſſe firmarunt, Celtas nomine regis Amabilis & matris eius vocabulo Galatas dictos. ita enim Gallos ſermo Græcus appellat. Alij Dorienſes antiquiorem ſecutos Herculē, Oceani locos inhabitaſſe cōfines, Draſidę memorāt reuera fuiſſe populi partem indigenā. Hucuſque Marcellinus, qui longo tractu à Troiugenis diſtantes Aramæos velut attiquos coniūgit: qui ſi in reliquis quadantenus à via recta deuiarit, nihil mirum, cum Græcā (que vanitatis nomine malè audit) ſequatur fabulam potius quàm hiſtoriā, præſertim vbi de patre Celta, matre vero Galatea loquitur. Audiendus eſt tamen in reliquis, vt ſuo dicetur loco. Ob eam certè, vt illud obiter dicam, potiſsimùm cauſam malè audit apud poſteritatem gręca dicacitas, quòd ſoli confiſa eloquentiæ, natu ipſa recentior, omnium artium & nationum primordia ſibi vſurparit, & parum pudenter arrogauerit. Qua vanitate intellecta & cognita, iam rubore perfuſa incipit in fide hiſtoriæ nouiſsimum locum tenere, illuceſcente quæ diu delituerat venerandæ antiquitatis perſpicua notitia. Agnouit hoc poëta, qui ait: *Græci vani.*

Quicquid Græcia mendax Audet in hiſtoria. Hac etiam ratione malè audit & auditurus eſt apud ſcrutatores antiquarios Dionyſius Halicarnaſſeus, cuius potiſsima cura fuit, priſcorum relicta ſententia, potius adhærere Græcæ vanitati, q̄ priſcæ antiquitati. Quibus illud beati Iob meritò obiiciendū erat ex capite octauo: Interroga generationem priſtinā, & diligenter inueſtiga patrum memoriam. Heſterni quippe ſumus, & ignoram' quoniā ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram. ipſi docebunt te. Loquētur tibi: & de cordē ſuo proferent eloquia. Quis enim neſciat deprehēſos in falſitatis nido fabuloſisq́; mendaciis intereeptos fuiſſe authores Græcos? Super quo vidēdus eſt Polydorus de inuentoribus rerum, qui totus in hoc eſt, vt arrogātiſsimæ vanitatis Gręcos arguat, dum artiū penè omniū ſibi inuentionē citra pudorem arrogant, citato in eā rem aduerſus Appionē Ioſepho. Dico (ait ille) noſtrū legiſlatorē (Moyſen intelligens) quemlibet qui memorātur, legiſlatorum antiquitate præcedere. Lycurgus enim, & Solon, & Zaleucus Locren', & omnes qui apud Gręcos mirabiles ſunt, nouelli atque recentes quantum ad illum comparati ſunt noſcuntur, quandò nec ipſum nomen legis fuiſſe olim apud Græcos cognoſcitur: teſtis Homerus eſt, qui nuſquā in opere ſuo hoc vſus eſt nomine. *Dionyſii Halicarnaſſei vanitas.* *Græci mendaces.*

Et paulo inferius ſubdit: Nam cùm ſit tempus infinitum: ſi quis eum compararet aliorum legiſlatorum ætatibus, hunc intra omnes inueniet. Cæteros ex eo locos recenſere quibus Græcanicæ arrogantiæ vanitatem traducit, nihil aliud foret quàm ludere operam. Satis fuerit hoc loco luculentam ſententiæ Diogenis Laërtij refutationem (prodente Annio Viterbienſi) in medium adferre. Celtas (inquit ille) ſiue Gallos Francigenas condidit Samotes. Samotes fuit frater Comeri atque Tubalis ex Iapeto patre: à quo primum Britones, inde Galli Samotei dicti fuerunt, & præcipuè Philoſophi, atque Theologi ſectatores eius. Vnde Diogenes Laërtius in principio de vita Philoſophorum, Philoſophiam (inquit) à barbaris initia ſumpſiſſe complures authores aſſerunt. Conſtat enim apud Perſas claruiſſe Magos, apud Babylonios & Aſſyrios floruiſſe Chaldæos, apud Celtas & Gallos Druidas, qui & Samotei dicuntur: qui teſte Ariſtotele in Magico, & Sotione in 13. ſucceſſionum libro, diuini atque humani iuris fuerũt peritiſsimi, & ob id religioni deditiſsimi, ac propterea Samotei appellari ſunt. Verùm iratus Diogenes græculus ſubdit: Qui, inquit, hæc Barbaris tribuunt, hi profectò Græcorum rectè facta inuentaque neſciunt. A Græcis enim non philoſophia modò, verumetiam hominum genus initio manauit. Nam Muſęo Athenæ, Lino verò Thebæ inclytæ ſunt. Horum primus inuenitur de deorum generatione, & initio rerum tractaſſe: alterum de curſu dierum & ſyderũ, deque animalibus, & mundi generatione ſcripſiſſe affirmant. Ita philoſophia initium à Græcis habuit. Hæc ridiculus & indoctus arguendi Græculus Diogenes. Sic enim arguendum eſt: Linus & Muſæus & Orpheus ab Aegyptiis & in Ægypto didicerunt orgia, & Theologiam, & rerum ſcientiam: & ea in rudiſsimam & abſque literis Græciam retulerunt, (vt primo libro & aliis teſtatur Diodorus ex Ægyptia hiſtoria) ergo philoſophia à Barbaris initium ſumpſit, non à Gręcis. Præterea à ſeptem ſapientibus philoſophia Græciæ cœpta eſt, qui omnes ab Ægyptiis didicerunt, vti idem Diodorus & alij aſſerunt. Quare à Barbaris non à Græcis initium philoſophia habuit.

σεμνόθεοι legitur in Diodoro græce.

Nubilum omne abſterſit, nodúmque diſſoluit Torellus Saraynus in Verona ſua: qui dum ſingularem ſtatuere molitur opinionē à paucis antea aut intellectam aut explicatam ex Catone & Sempronio, conciliatis etiam locis qui ex Iuſtino & Trogo pugnare videbantur, originem priſcam & primā Veronenſium ante Gallorum aduentum in Thuſcos & Ethruſcos refert, qui à Ianigenis ad Vmbros, ab his ad Ethruſcos, ab Ethruſcis ad Gallos demũ proceſſerũt: de Aboriginibus & Vmbris quæcunq; à nobis dicta ſunt, cõprobans. In hoc tantùm à Iuſtino diſcrepat, quòd quas ille à Brenno duce conditas ciuitates aſſerit, Torellus antiquarius à primis Gallis dirutas, à Brenno tandē inſtauratas fuiſſe cõſentit. Fuere igitur Galli Veronæ, Brixiæ, & Mediolani reſtauratores poſt primos conditores Ianigenis proximos Thuſcos. Atque hoc modo facilè omnia conciliabuntur, vt dicamus ante aduentum Gallorum fuiſſe ciuitatem Olanum, quæ à Medo adaucta Inſubrum principe, Mediolani nomen tenuerit. Sic & Verona dicta a vera Thuſcorum colonia, & Rhetia à Rheto rege Lydorum, & Mantua à Manto denominata. Sed poſtea Thuſcorum oppida deleuerunt Galli, remanſerunt tamen vetuſtatis indices tituli, vt circa Benacum Thuſculanum oppidum, & vina Rhetica à Rhetis, qui à Gallis pulſi montana coluere. Facta eſt igitur Verona poſt Thuſcam Gallica. Quę omnia hoc vno Catonis verbo cõprobantur, dum

ait: Omnia ſub alpibus Tranſpadana loca priſci conuenæ Thuſci miſsis coloniis tenuere. Ab his multa nomina retinent: plura deleuerunt Galli. Sic fit, vt quemadmodum prima origo Veronæ, Brixię, & Mediolani priſcis debetur Ethruſcis: ita & ſubſequẽs reſtitutio poſt direptionem Gallico nomini tribuenda ſit. Vna quidem manus Gallica vulnus opémque tulit. Quæ enim primi Galli diruerant oppida, ſubſequentes tandem ſub Brenno duce Senones reſtituerunt. Verba Torelli ſubiungam. Hæc igitur (inquit) ita ſtatuenda ſunt, quibus ſi alterum illud addas, quod Cato dicebat, plura deleuerũt Galli: facile fortaſſe erit videre, quomodo tam Cato & Sẽpronius quàm Trogus & Iuſtinus vera dicãt. Nihil enim prohibet & Veronam, & Brixiam, & Mediolanum antiquiſsimas vrbes à Gallis dirutas fuiſſe, his dico, qui primi Alpes tranſcendêre, mox ab aliis duce Brenno eaſdem inſtauratas fuiſſe, quas conditas Iuſtinus ſcribit. Quod autem de Verona tradidit Torellus, tantum abeſt vt velim pro comperto haberi, vt credam potius non ſine authore dictam fuiſſe Brennonam à Brenno duce, qui eam aut condiderit, aut certè ampliſsimè inſtaurarit. Hanc de Gallia, quam Lombardiam hodie appellant, primæuæ cõditionis conſtitutionem ſtẽmate longè diuerſo texuit Donatus Boſsius Mediolanenſis: quem tamen in calculo annorum ſæpenumero falli res ipſa indicat. In reliquis verò ſuæ gentis annales ſequutus, tradit Inſubriam à Tubalis filio Inſubre appellatam ſub annum (ſi creditur illi) ab orbe creato. 2277. Vetuſti nominis argumentum adfert recentem Seprij agri appellationem, luxatis literis Seprium dictum fuiſſe contendens, quaſi Subrium. Iam inde poſt longum annorum decurſum ſub annum à creatione. 4072. Sicambros ex Pannonia per Tridentinam vallem Italiam ingreſſos, narrat ſolótenus euertiſſe Mediolanũ. Scripſit Gothofredus in memoria veterum ſeculorum:
Nunc Mediolanos ſocios habuêre Sicambri.
Erat igitur res priſca Sicamber.

Succeſsit Belloueſus Ambagari Celtarum regis nepos, qui Inſubrium capitalem vrbem inſtaurauit & auxit, ſex in ea portas conſtituens: Ioniam: Apollineam, quæ deinde Romana dicta eſt: Orientalem Soli dicatam: Saturniam, nũc Ticinenſem: Veneream, nũc Verſellinam: & quę olim Iunonia fuit, Comenſem. Aliam quoque protulit nominis rationem, vt ſcilicet dicta fuiſſe credatur Mediolanum, quòd in medio amnium ſita ſit, quaſi dicas Interaquenſem, ſeu (vt ille ait) Medioamnem, Abdua & Ticino fluminibus cinctam. Alij vero à porca media ex parte lana tecta, id nominis prodiiſſe ferũt. Author eſt Claudianus à ſue lanata dictum Mediolanum, dicens:

Continuò ſublime volans ad mœnia Gallis
Condita Lanigeræ ſuis oſtentantia pellem Peruenit.

Caſtillioneus Bonauẽtura Mediolamnium vocat, adiecta litera l, euphoniæ cauſſa, quòd ſita ſit in medio amnium.

Præceſsit autem Belloueſus Brennum Senonenſium ducem annis ducentis ac viginti, authore etiam Liuio. Belloueſo ſceptra tenente Boij Galli ac Cenomanni ad Ticini fluuij ripam ciuitatẽ condiderunt, quæ modò Ticinum, modò Papia appellatur.

Acceſsit Pucentius ciuitatis conditor, à quo Pucentia primùm, deinde verò Placẽtia appellata eſt. Extructę ſunt per id tẽpus hæ ciuitates, Chryſopolis, poſtea Iulia dicta in Cęſaris gratiã. Deĩde Parma à flumine quo alluitur. A Mãto Tireſia vate Mãtua dicta eſt poſt The-

bas euerſas.Inciderũt hæc ſub annũ mũdi.4092.aut paulò antea. Poſt aliquot annorum defluxũ ędificata eſt Lauda ciuitas,cùm Signoueſus (alias, Signouenſis) ex Celtico genere Mediolani regnaret ad annũ orbis creati 4734.In ea ciuitate,quæ poſtea Pompeia Lauda appellata eſt,ſiue Laus Pompeia:quæque eſt inter Mediolanũ,Papiam,Cremonam,Placentiamque,media,Pompeius magnus piratarum colluuiem populariter poſtmodum collocauit.

Succeſsit Bruſinandus vir Celtici generis,rex Inſubriæ: qui Brenno Senonenſium duci primùm occurtens, eum profligauit: ſecundò tamen aduenientis impetum ſuſtinere non potuit. Erat enim Brenni exercitus ſeptuaginta millium hominum acie munitus. Hanc fugam ſequuta eſt Papię,Bergomi,ac deinde Mediolani ſecunda euerſio.Hæc ex Donato Boſsio, cuius & hiſtoriæ lectionis fides ſit penes authorem.At longe diuerſum aſſerit Torellus, qui Brennum inſtauratorem facit Mediolani.Fieri tamen potuit,vt quod vrgente bellico furore dirutum fuerat,mox ab adepta poſſeſsione reſtitueretur etiam cum fœnore. Id quod & idem author factum aſſerit ſub annum ab orbe condito. 4880. Qua de re ſuo loco dicetur. In his tamen magna ex parte Gaudentium Merulam Gallię ciſalpinę antiquarium,vacillantem agnoſco. Verum cùm nil aliud adferat quàm meram coniecturam:ille ſuo,nos noſtro fruemur iudicio. Qui tamen non inficiatur,Galliæ Cenomanenſis metrocomiã eſſe Brixiam, eamque à Gallis conditam præcipuè Cenomanis, adſcitis ad ſocietatem belli Lemouicibus, Rhedonibus,& Andegauis.qui & ipſe Venetis Gallicam tribuit originem, qui ex Britannia ad littus Oceani poſita prodierũt, ad ſinum Adriaticum deducta colonia. Trogus item refert Vincentiam à Gallis Senonibus extructã,vti Veronam & Tridentum.Idémque author eſt à Gallis Boiis extructũ fuiſſe Tannetum, cui poſtmodum ſucceſsit quæ nunc Bononia,rectius Boionia dicenda foret:quæ etiam Felſina à ſuo principe dicta eſt.Vnde & carmen prodiit:

Felſina dicta prius,ſermone Bononia priſco.

Cętera ſuo loco dicentur,cum de Senonibus Gallis agetur.

De his priſcis Gallis Cæſar intellexit,quos à Dite patre prognatos refert belli Gallici lib.6. Galli (inquiens) ſe omnes à Dite patre prognatos prædicant.Omnes (inquit) tam Ciſrhenaui quàm etiam qui nobis ſunt tranſalpini.Quod autẽ mox ſequitur, Id à Druidibus proditum,& ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dietũ ſed noctium finiunt,& dies natales, menſiúmque & annorum initia ſic obſeruant, vt noctem dies ſubſequatur: iſtud prodiit à Moſaico dogmate.Factum eſt veſpere & factum eſt mane dies vnus. Quadrat autem huiuſmodi inſtitutum cum ipſa cognominis auis natura, quæ initium præcinit auroræ,vt Dis Gallus præſit ſecundæ vigiliæ, & Gallus auis tertiæ vigiliæ præficiatur, imò & matutinæ, cuius præſentis fruitione cantando lętitiam teſtatur.Quapropter illud ex Plinio mirum eſt,quòd iubatus etiam Leo galli criſtas reformidat: vnde & illud celebre carmen prodiit. *Geneſis 1.*

Galle quid horrendum terres criſtate Leonem?
Quid princeps volucri beſtia cedit aui?

Ad quod ita gallus reſpondet:

Nam Phœbi gratum venientis lumen adoro,
Inque ſalutatum me pudet eſſe iubar.
Excito & ipſe pios ad laudes:proinde ſuorum
Cultorum immemorem quis neget eſſe deum?

Plinij hæc verba ſunt lib. 10. cap. 21. Proximè gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit. Norunt ſydera, & ternas diſtinguũt horas interdiu cantu: cum ſole eunt cubitum: quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboremque reuocant. Nec ſolis ortum incautis patiũtur obrepere, diemque venientem nunciant cantu, ipſum verò cantum plauſu laterum. Cœlum ſola volucrũ aſpicit crebro: in ſublime caudam quoque falcatam erigẽs. itaque terrori ſunt etiam Leonibus ferarum generoſiſsimis. Hæc ille.

In viam redeundum eſt. Quem Ditẽ Cæſar appellat, is proculdubio eſt Dis ille Samotes Iapeti quarti filius, Gomeri Galli primogeniti germanus, à quo proceſſere Saronidæ Druides Bardi & Celtæ, vt copioſe enarrat Viterbienſis in arbore poſteritatis Iapeti. Et hi priſcæ ætatis Ianigenæ ſunt, qui à mediæ ætatis ſcriptoribus paſsim dicuntur Aborigines, non quidem agenealogi, cùm de eorum origine conſtet, ſed quia recentiores illi authores eorum in obſcuro latẽtem originem attingere nõ potuerunt: quaſi dicas obſcuræ apud eos originis, quomodo ſolemus dicere apocrypha nondum compertæ authoritatis opera, cum ſcilicet ignoratur author, aut certitudine caret opus. Dicuntur etiam Aborigines aut ſingulariter aduenæ, aut populariter cõuenæ, qui nouas adepti colonias, indigenas aut à ſe depulerunt, vt Angli, Britones: aut certè mutuò conuixerunt, vt Franci cum Gallis, nempe Francogallici, ideoque germani Gallorum appellati, & apud Græcos Gallogræci. Denique Aborigines dicti ſunt externi illi, non indigenæ, quod vocabulum frequens eſt apud authores Liuium, Salluſtiũ, Halicarnaſſeumque Dionyſium. Vrbem (Criſpus ait) Romam (ſicuti ego accepi) condidere atque habuere initiò Troiani, cumque his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine lege, ſine imperio, liberum ac ſolutum.

Dis, Gallorum pater.

Aborigines.

In bello Catilinario.

Rectè autem ait, ſicut accepi, non ſat ſibi conſcius, quinam eſſent illi Aborigines. Erant autem priſci Ianigenæ, ſeu (vt poëtæ dixerũt) Saturnia proles: vti ex Naſone ſuprà diximus. In hoc autem aberrant plerique omnes mediæ ætatis ſcriptores, quòd priſcam vnà cum media ætate coniungunt, atque adeò confundunt, nempe Troianos recentiores cum priſcis Ianigenis: & id partim fabuloſè, partim verè enarrat Dionyſius Halicarnaſſeus his verbis: Aborigines autẽ, à quibus incepit Romanum genus, alij quidem Italię indigenas ex ſeſe ipſos oriundos tradunt. Italiam enim voco oram omnem quantam ſinus Ionius, & Tyrrhenum mare, Cottiæque à terra complectuntur Alpes. Atque cognomen ipſis primum ex eo inditum dicunt, quòd eorum qui pòſt fuere, genus ab illis incipiat: quemadmodum & nos genarchas aut protogonos dicimus. Alij autem dicunt ſine laribus quoſdam & vagos vndique conuenientes, ibi forte ſibi inuicem occurriſſe, & in locis communitis ſedes poſuiſſe, latrocinio vitam ducentes & pecore: trahuntque denominationem eorum infamiliarius fortunæ, Aborigines eos dicentes, ad demonſtrandum ipſos vagos. Sequeretur itaque ſecũdum hos, nihil differre Aboriginum gentem ab eis quos ita vocabant priſci. Nam huiuſmodi hominibus, qui ſine domibus propriis conuenæ quidam, & ex colluuie multarum gentium pꝛomiſcui erãt, neque terram vllam certam neque patriam incolentes, hoc nomen vt ſæpius indiderunt. Alij autem Ligurum colonos fuiſſe ipſos fabulantur, eorum qui vicini ſunt Vmbris. Nam Ligures quidem multa Italiæ loca incolunt, atque etiam Galliæ quæ-

Ligures.

dam poſsident. Vtra verò ſit cis terra patria, incertum eſt. Nihil enim de his vlterius certi dicitur. Doctiſsimi autem Romanorum ſcriptorum, in quibus eſt Porcius Cato, qui vrbium Italiæ origines diligentiſſimè collegit, & Caius Sempronius, & alij plerique, Græcos eos fuiſſe dicunt, ex iis qui Achaiam aliquando incoluerunt, multiſque commigrarunt ætatibus ante Troianum bellum. Non vlterius tamē diffiniunt neque Græci generis cuius fuerint, neque vrbem ex qua profecti, neque tempus, neque migrationis ducem, quave vſi fortuna ſedes patrias reliquerint. Verùm Græca vſi fabula ne vnum quidem eorum qui Græca ſcripſere, authorem certum adhibuerunt. Veritas igitur in occulto. Hactenus Dionyſius. Hoc (vt ſi quid aliud) pro veriſſimo habendum eſt, quòd Dionyſius ſuæ ignorantiæ ſibi conſcius, ingenuè fatetur veritatem per id tempus fuiſſe in occulto. Quod ſi verum eſt, nullam fidem hic meretur ſua aſſertio. Rectiſſimè enim (vt ſiquando aliàs) pronunciauit Polybius, Quòd veluti ſi quis oculos animanti effoderit, quicquid ſupereſt, inutile fit: ita dempta ex hiſtoria veritate aut certitudine, aſſertio omnis inutilis eſt. Vnde & ſcriptum eſt: Neſcierunt, neque intellexerūt: quia in tenebris ambulant. ſic enim aberrant, veluti cæcus palpans in meridie. Proinde Andabatarum more gladiū in tenebris ventilant priſcę antiquitatis ignari authores. Ita enim cæcutiunt, vt qui in confinio lucis ac tenebrarum nequit diſcernere canem à lupo. Vnde & circūſpectè Saluſtius ſuam fidem liberans, cùm nihil haberet compertum, rem totam in medio reliquit. Rectè quidem ait Dionyſius ab Oenotro dictos Oenotrios, qui etiam multis ætatibus Troianam cladem præceſſerit. At non erat ille Lycaonis filius, nec originis Græcæ, verùm potius Ianigena: vti ſuprà ſæpius omni numero repetitum eſt: & Viterbienſis certiſsimis indiciis patefecit. quod etiam ex citata per eum Antiochi Syracuſani hiſtoria liquet, qui Oenotros primos dicit omnium memoriæ traditorum ſedes in Italia poſuiſſe, priſcos eos appellans. Sed nec ſibi ipſi conſtat, qui vetat ne quis facilè credat Aborigines fuiſſe aut Ligures, aut Vmbros, aut alios quoſdam, quos falſò dicit barbaros. Erant enim Aramæi Sagi, qui in hoc venerant, vt omnem à locis illis barbariem depellerent.

Pſal. 81.

APOLOGETICA QVERELA ADVERSVS Gallici nominis obtrectatores. *Perioche tertia.*

PROXIMVM fuerit de Gallorum religione, deque eorum philoſophia differere. Qua in re conſentiunt omnes magnæ apud priſcos opinionis fuiſſe Gallorū Druidum ſapientiam. Cuius rei author eſt Ammianus Marcellinus. Poſt hoc (inquit) loci hominibus paulatim excultis ingruêre ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Eubages & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Eubages verò ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, vt authoritas Pythagoræ decreuit, ſodalitiis aſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana, pronunciarunt animas immortales. Poſt hoc, dixit Marcellinus: qui, Ante hoc, dicere debuerat. Fuit enim ætas Druidum priſca, ac penè veterum vetuſtiſſima. Quæ quantum cæteris religione præluxerit, prout illa ætas fo-

Druidum antiquitas.

rebat, teſtis eſt lib.6. commentariorum Cæſar. Natio (inquit ille) eſt omnium Gallorum admodum dedita religionibus, qui adminiſtris ad ſua ſacrificia Druidibus vtuntur, hoc exiſtimantes, quòd victima grata Deo ſit manifeſti pœna nocentis. Non tamen in hoc probandi ſunt, quòd innocẽtum etiam ſanguine litarẽt. Porrò de Germanis ſic ait: Germani multũ ab hac conſuetudine differũt. nam neque Druides habent, qui rebus diuinis præſint: neque ſacrificiis ſtudent. Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorũ opibus apertè iuuantur, Solem & Vulcanum & Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt. His accedat Diodori Siculi ſententia quà planè conſtat religionis ſemper pietatiſque cultores ab initio fuiſſe Gallos. Ita enim ait lib. 6. Sunt apud eos melodiarum poëtæ, quos appellant Bardos. Hi cum organis veluti cum lyra cantant, hos laudantes, alios vituperantes. Philoſophi quoque ac Theologi, quos vocant Saronidas, præcipuè ab illis coluntur. Vtuntur inſuper diuinatoribus, qui apud eos cum auguriis & ſacrificiis futura prædicũt, plurimi exiſtimãtur, omni eis obtemperante plebe. Cùm verò de rebus magnis conſulunt, mirabilem incredibilemque ſeruãt conſuetudinem. Iugulant enim hominem enſe, quo decidente, tum ex caſu, tum ex membrorum laceratione, tum etiam ex ſanguinis fluxu, ex quadam antiqua rerum obſeruatione norunt futura. Eſt apud eos moris, nullum abſque philoſopho ſacrificium facere. Exiſtimant enim per diuinæ naturæ conſcios ſacra fieri oportere, tanquam Deis propinquiores. Horum interceſſione bona à diis cenſent petenda, quorum conſilio & pace & bello fruuntur. Poëtæ vero tanti apud eos ſunt, vt cum extructa acie exercitus, eductis enſibus, iactiſque iaculis, propinquant, non ſolùm amici, ſed hoſtes quoque eorum interuentu à pugna concreſcant. ita apud agreſtiores barbaros ira cedit ſapientiæ, & Mars reueretur Muſas. His quæ dicta ſunt, alluſit Lucanus hoc carmine:

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas,
Laudibus in longum vates demittitis æuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Illud diſſimulare nec volo, nec ſi velim poſſum, quòd quos Diodorus ille Siculus Barbaros pronunciauit: ob id in eam delapſos fuiſſe barbariem, quòd à patrum Ianigenarum moribus cultúque ac pietate defeciſſent: vt ſolent longo temporis vſu, lapſúque dierum multorum, hominum mores in deterius ruere ac prolabi. Verùm non ita planè fuiſſe barbaros, vt omnem excuſſerint vel in moribus humanitatem, vel in religione qualem illa tempora ferebant pietatem, aut certè pietatis vmbram. Nunquam enim ſine cultu Dei fuit Gallica gens, nunquam ſine ſacerdotio, aut certe ſacerdotalis imagine cultus: cum tamen his Germaniã caruiſſe Cæſar in commentariis ſexto lib. pronunciet. Nulli itaque nationi, præter Hebraicam, ſuperſtitionis barbaries defuit. Habet vnaquæque quod altera alteri exprobret: non tam vt exprobret, quàm vt alterius onera portet: vt ex ſuis erratis quiſque intelligat, qualem ſe ad exteras nationes præſtare debeat. Quin & Iudæa ipſa quantum reliquas veræ pietatis cultu ſuperauit nationes, tantum à reliquis hodie contempta videtur. Eſt enim nunc ea gens, vt ſi quæuis alia, maximè barbara: & eo barbarior, quo grauius eſt authorem ſalutis oblatũ interimere, quàm nec viſum nec auditum recipere. Illud interim ſubit admirari, quî fieri poſſit vt nomẽ omnibus cõmune, hoc ipſum ſit omnibus exoſum? Omnes enim ſumus alter alteri barbari, nempe extranei, ac quadantenus ſemoti, ac

ſelecti. Quid igitur effugere nitimur nomē,quod nulla ratione à nobis poſſimus excutere? Talem ſe fatetur poëta,qui ait:

Barbarus hîc ego ſum,quia non intelligor vlli.

Quodque magis mireris, diuus de ſeipſo Paulus ingenuè profitetur priore ad Corinth. 14. Si ego neſciero virtutem vocis, ero cui loquar,barbarus: & qui loquitur mihi, barbarus. Hoc autē vult ſibi cum cæteris eſſe commune, vt appellationem hanc non effugiat quiſquis alium intelligere nequeat loquētem. Quin & Romani ipſi,qui dum notam hanc à ſe excutere omnibus modis nituntur,id oneris in alios miro faſtu ſuperciliоque reiiciunt: nec ipſi quidem barbari appellationem à ſeſe omninò depellere poſſunt,niſi malint ſe opponere Paulo(quod nefas eſt) dicenti ad Romanos 1. Græcis ac barbaris,ſapientibus & inſipientibus debitor ſum,ita quod in me promptum eſt, vobis qui Romæ eſtis,euangelizare. Vnde fit,vt barbarico nomine cenſeantur ipſi etiam Romani,quos nec Iudæos fuiſſe conſtat,nec Græcos. Fruſtra igitur plerique laboramus in depellenda à nobis huius nomenclaturæ ſarcina: imò (vt ſummatim omnia perſtringam) vt nemo ſibi ſuiſque barbarus eſt, ita omnibus omnes externis nationibus barbari ſumus. Diutius itaque in ea re moram nectere nil aliud fuerit,quàm ludere operam. Dicat aliquis, non tam hîc agitur de ſermonis varietate,quàm de fera parumque tractabili inter homines conſuetudine, quomodo dicere ſolemus Barbaros, moribus incultos,diros,duros, ac inſolentes: qui nec ſibi nec aliis conſtare poſſint: adeò ſunt horridi & feroces,vt nullis conueniant,quin potius perpetuò ſecum diſsideant. Conueniet enim nulli,qui ſecum diſsidet. Hac ratione Barbaræ gentes dicuntur Sarmaticæ,VVandalicæ,Gothicæ: hæ denique omnes, quæ tractabili ac ſuaui ciuilitate carent. Quo certè ſignificatu, omnium quæ ſub cœlo ſunt nationum, vt maximè ciuilis eſt gens Gallica,morumque facilitate omnibus conſpicua, ita minimè dicenda foret barbara. Non enim inficiabitur Siculus ipſe Diodorus Sicanios ſuos, Leſtrygones,& Cyclopes Druidibus noſtris fuiſſe multis partibus feritate ſuperiores. Hi certè non tam ferocia affecti,quàm falſa ſuperſtitione perſuaſi, humano ſanguine litabant, credentes ſe obſequium præſtare ſuperis: illi verò ſupra omnem humanitatis aleam,veru tranſfixos hoſpites deuorabāt,viri ſola feritate famoſi, ideoque Neptunij dicti, tanquam è mari geniti, vt qui omnem humanitatis legem à ſe abieciſſent. Quòd ſi hæc vetuſta videntur, nemo eſt qui ignoret tyrānorum altricem fuiſſe Trinacriam. Vnde & illud Adagij vicem tenet:

Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum.

Vt ergo ſummatim dicam, cùm vnaquæque natio aliam præ ſe contemnat atque faſtidiat, nulla eſt quæ non ſuam redoleat barbariem. Humanior igitur eſt, quæ minus eſt barbara, minus ſæua, minus intractabilis. Ea autem gens eſt Gallica,hac nimirum humanitate pollēs,vt barbariſsimos etiam hoſpites pro ciuibus habeat, obuiis quoſque manibus vltro recipiens. Hinc adagio locus datus eſt: Qui Francum peperit, non alium quàm tractabilem genuit & humanum. Vulgo dicitur: *Qui fait Francois, il fait courtois.* At id ineluctabile eſt teſtimonium,quod omnium ore conſenſuque probatur. Qui igitur leues Gallos dicunt,lenes ac ſuaues dixiſſe debuerant: vt eſt eis ab ipſis cunabulis innata lenitas potius quàm leuitas, vt ſunt minimè rudes & aſperi. In hoc autem commendanda eſt in eis facilitas, quòd facilè obliuiſcātur iniuriarum, ac leui temporis momento reconcilientur.

Quod certe commendabilius eſt, quàm iniuriæ acceptæ nunquam non reminiſci: vt Italicæ genti peculiare ſcitur ab omnibus: quaſi imis eorum cordibus acceptæ iniuriæ inſculptæ ſint ſtylo ferreo, vngue adamantino: vt ſunt beneficiorum facilè obliuioſi, ad cætera inexorabiles. (Probos tamē ac cordatos ſemper excipio, quorum certè maxima turba eſt.) Præſtiterat in his fuiſſe leuem, quàm iniuriæ acceptæ tenacem, adeò vt nec memoria excidat nec poſt vindictā quidem acceptam. Quid enim aliud à ſuis Chriſtus exigit, dum ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris? Eſtote (inquit) ſimplices ſicut columbæ. quas felle carere omnibus eſt in confeſſo. Hæc certè leuitas nō tam maculam inurit, quàm nunquam interituram gloriam parit. Ea ſiquidem in re fuiſſe leuem, conſtantia ſumma eſt. Affabilitatam vnà cum inimitabili comitate coniunctam Gallicæ genti congenitam fuiſſe tam omnes norunt, quàm nemo negare, aut certè ſalua fronte inficiari audeat. Huic enim atteſtatur illud Satyrici. *Matth. 11.* *Matth. 10.*

Quis benè dicentem Baſilum ferat? accipiat te *Iuuenal. ſat. 7.*
Gallia, vel potius nutricula cauſidicorum
Africa, ſi placuit mercedem imponere linguæ.

Vbi non ocioſè dictū eſt, vel potius. Nam Gallia affabiles gignit, quos Africa nutrit cauſidicos. Eſt enim Gallico genio innata oris facūdia, vnde & abundat cauſidicis. Idem ipſe author eſt ſuo iam tempore Gallos longè à ſe depuliſſe barbariem, qui decimaquinta Satyra ait:

Nunc totus Graias noſtraſque habet orbis Athenas,
Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos.
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.

Cùm tamen barbaros dicat, qui mox ſequuntur:

Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones vnquam,
Sauromatæque Truces, aut immanes Agathyrſi.

Qui & ipſe horridam vocat Hiſpaniam:

Horrida (inquiens) vitanda eſt Hiſpania, Gallicus axis.

Quo nomine nō tam mediterraneos Gallos intelligit, quàm eos qui ſub polo habitant.

Verùm ne laus in proprio ore ſordeſcat, ſint in ipſa re vel æmuli noſtri iudices. Sic enim ait Villanouanus in Ptolomæi Gallicam tabulam, cui per omnia conſentit Munſterus in ſua interpolata chorographia: Galli primo dicti à lacteo & candido colore. γάλα enim lac dicitur. Franci hodie vocantur à Frācis Germaniæ populis, à quibus Gallia ferè tota ſubacta eſt. Si mores hominū noſſe cupis: ignea mēs Gallis, nobile pectus, rerum ſitibūdi nouarum, læti, alacres, & in conuiuia proni. Cauſidicorum nomen apud Iuuenalem obtinuere Galli, hodieque tenent, vt qui forenſia litigia pro re interim minima concitent: quod Germani & Hiſpani nunquam niſi coacti faciunt. Vnde affirmare auſim plures eſſe aduocatos, procuratores, & tabelliones in vna Gallia, quàm in decem Germaniis ac Hiſpaniis. Senatorum ordines (parlamēta vocant) in aliquot vrbibus pulchrè ſunt inſtituti: vt Pariſiis, Rothomagi, Toloſæ, Burdegalæ, Grationopoli &c. Quatuor cuique præſides, & conſiliarij plurimi. Hi quaſi Druidum concilij ſucceſſores, de rebus magnis appellatione remota ſententias ferūt, arreſta vocant, quæ deinceps pro lege ſeruantur. Nec cauſidicis tantùm, ſed aliarum etiam omnium diſciplinarum profeſſoribus eſt Gallia referta. Teſtis Pariſiēſis Academia, poſt ipſam Toloſana iuris peritorum mater, & aliæ plurimæ: ſed omnium quæ in orbe ſunt clariſ-

ſima Pariſienſis,ad quam vniuerſi ex Europa ferè Chriſtiani ad Theologiam, Philoſophiam, ac liberales cæteras diſciplinas ediſcendas concurrunt. Hæc ille. Quantum verò ab huiuſmodi facilitate reliquæ abſint nationes, ex eodem facilè agnoſcet, qui genium Gallicũ cum Hiſpanico conferens ſic ait: Inquietus eſt & magna moliens Hiſpanorum animus.fœlicis ſunt ingenij,ſed infœliciter diſcunt. Semidocti iam ſe doctos putant, ſapientiam maiorem quàm habeant ſimulatione & verboſitate quadam oſtentant. Sophiſticen plus ſatis diligunt.lingua Hiſpanica plus quàm Latina in Academiis loqui gaudent, quin & Maurorum vocabula plurima vſurpant:tandem multis nominibus & conſuetudinibus barbariem colunt. Ingenij ſui monumenta in poſteros & circunuicinas gentes ob linguæ defectum raró producunt,& ipſi ſemper aliunde libros emẽdicant. Et rurſum:Galli ore libero, Hiſpani taciturni. Galli læti & alacres, atque in conuiuia proni: Hiſpani verò ſubtriſtes, & neſcio quam ſeueritatem affectantes: quod Galli non curant. Hiſpanicus ſermo grauior, Gallicus ſuauior. Idem Anglicanam phraſim hac nota inurit. Anglorum(inquit) lingua ex populorum diuerſitate compoſita, intellectu ſcientiaque loquendi difficilima eſt. Nunc ſi ad Italicum idiomate conferas (de exotico loquor & vulgari,ſua latiali linguæ maieſtate relicta)nõ deerit occaſio vrbanitati Gallicæ præferẽdæ vulgato Italorum eloquio, vel eo ipſo,quem citauimus, teſte poſt Villanouanum Munſtero: qui Venetos aſſerit in loquendo tardos,in pronunciando inſuaues, ridicula quadam magnificentia vanos, verbis quidem officioſos, réque ipſa nihil minus.Diuerſum in Gallis quotidiano experimento cernitur: quos pectus conſtat habere feneſtratum. De Mediolanenſibus verò ſic ait: Oratio eorum rudis, ſermo concitatus:ſed multo rudior & moleſtior Pedemontanorum. Tuſcæ elocutioni palma conceditur, cui tamẽ nec ceſſuram putem Gallicæ vrbanitatis comitatiſque facundiam: quòd illa moroſior ac ſeuerior, iſta verò lætior, ac proinde ſuauior ſit & gratior.

Iam minimè laborandum reor in conferenda Germanica phraſi, cuius rudis aſperitas vel ex hoc vno maximè cõſtat, quòd in vnicam ſyllabam coire faciant innumerabilem, & quæ vix diſerta pronunciatione efferri poſſit, elementorũ congeriem.Sed nec in ſui tantùm idiomatis,verùm & in alieni pronunciatione tanta ſeueritas eſt,vt ſit ipſa prolatio ſolo penè timenda ſono. Quin ſi Beato Rhenano creditur,vetus Germanica lingua tam rudis erat & aſpera, ægreque tractabilis, vt ſcripturam nullam admitteret. id quod hodie in Vaſconico penitiſſimoque Britonico idiomate experimur. Sed quid opus multis? cùm ſatis conſtet ex ſententia Cornelij Taciti, ipſos Germanos ſerò admodum literarum vſum habuiſſe: vt qui dicat ſua ætate literarum ſecreta viros pariter ac fœminas ignoraſſe. quo tamẽ tempore Satyricus ait vtriuſque literaturæ peritia illuſtres fuiſſe Gallos. At nulla re magis definitur barbaries, quàm literarum ignorantia. Quin & barbaros Strabo definit eos eſſe,qui difficulter, aſperè ac duriter loquantur:quibus etiam deeſſet literarum peritia. Vnde & barbarus pro fero craſſoq; vſurpatur, & indocto. Quæ res nulli propius adhæret, quàm his apud quos nullus eſſet literarum vſus.

Hîc commodùm ſeſe offert occaſio inquirendi, quiſnã fuerit priſcorum Gallorum idiotiſmus. Merula in ſua Gallia ciſalpina ſuum interponens iudicium, exiſtimat ante Romanorum tyrãnidem vtriuſque Galliæ, ciſalpinæ inquam & tranſalpinæ, vnum aliquod idioma fuiſſe

fuiſſe cõmune tam originis quàm viciniæ cauſa. Id ne præter rationẽ dixiſſe videatur, ex vocabulorum diuerſitate, quæ inter Romanos & Gallos eſt, rem totã coniectat. A corus radix eſt notiſsima: quæ Gallis eſt piper aquæum, Romanis radix nautica dicitur. Ploxenum latiale Galli veteres capſam dicebãt. Quæ Latinis perpenſa, Gallis bacchar erat. Quam purpurã alij, Galli dixere virgam: cui Maro alludens ait:

Virgatis lucent ſagulis. Aenei.8.

Pades, Plinio authore, vetuſto Gallorũ idiotiſmo arbor picea appellabatur. Vnde & Pado fluuio nomen obtigit, cùm huiuſce generis arboribus quibuſdam in locis cõſitus videatur. Sed & Alpibus à Gallis nomẽ inditũ eſt, lingua videlicet Seduna, quæ & Celtica: author Caſtillionæus: qui quos Latini mõtes, ipſi alpes vulgariter appellabant. Ocellũ quoq; in Alpinis oppidũ, lingua vetuſta Gallica adhuc remanẽte appellabatur Oulx: nos recẽtiori vocabulo oculũ dicim⁹, vulgo œil, & pluratiue yeulx. Argemona Gallorũ herba, Latinis eſt cordialis. Quẽ equũ Latini dicũt, Marcã Celtæ vocabãt, hinc Marcomãni, equeſtres homines. Hinc dicimus vulgò mareher, quod Latinis eſt incedere: citaturque in eam rem Pauſaniæ authoritas, aſſerẽtis marcã lingua celtica equũ ſignificare. Erat itaque ſuus Galliæ proprius idiotiſmus à reliquis Italis diſtinctus: qui tamen apud Celtas erat in vſu. Sed id notius euadit ex verbis Taciti, qui de Gotinis ait: Gotinos Gallica Oſos Pãnonica lingua coarguit. Ex quo colligit Rhenanus Gallicam à Germanica fuiſſe diſtinctã. At verò ea eſt (quod Rhenanus ſe ignoraſſe fatetur) quã in vulgari noſtro appellare ſolemus VVallon. quæ etiã à Rhomanenſi diſtinguitur. Romanẽſis enim eſt æmula Latinæ: vt cum dicimus, phlegma phlegme, cholera cholere, reſpirare reſpirer, facies face, & alia id genus iunumera. Gallonẽſis verò ea eſt, quæ in craſſiſsimo vulgari Belgis peculiaris eſt, vulgo appellata gros Picard. apud quos legũtur rerũ in Belgica geſtarum veteres hiſtoriæ. Plura de his docet Ioãnes Marius in Galliarũ illuſtratione. Eſt igitur Gallia polyglottis, nempe Romanẽſis, Gallonenſis, atque hodie quadantenus Teutonica: cùm prius peculiarẽ haberet idiotiſmũ, trãsfuſum tandẽ ac commixtũ ex commercio partim Romanorũ, partim Teutonicorũ. vt interim taceã de Vaſconico, deque penitiſsimo Britonico idiomate, quod nunq̃ vulgus antiquari paſſum eſt. Sunt tamẽ Gallica in noſtro idiomate fragmẽta, partim Hebraiſmũ, partim verò Græcitatẽ referẽtia: ex Hebraiſmo, bodet, & ſac, nomina nobis communia: ex Græco verò quænã ſint, facilè ex Budæo qui volet, intelliget. Sed hîc Rhenanũ ſua verba reſonãtem audiamus in rebus Germanicis li.1. Heluetij verò Sequani atque Mediomatrici Galli fuere: & hi ſimul cum iugo Romanorũ etiã linguã acceperunt. Neruij, Veromãdui, Condruſi, Verocaſſes, Eburones, Bethaſij, Tungri, & ceteri Belgarũ populi, qui longè ante Iuliũ Cæſarẽ è veteri Germania Rhenum trãſgreſsi fuerãt, non tam ſua lingua, hoc eſt Germanica, putantur vſi, quàm Gallica, præſertim interiores. Sed tamẽ poſtquã in Romanorũ ditionẽ conceſſerunt facti prouinciales, certum eſt pòſt Romanè locutos. Nam planè bilingueis fuiſſe ſuſpicor ad Rheni ripam habitantes Germanos prouincialeis Tribonos, Nemetas, Sebuſios, ac Vangionas, prius Gallicè, deinde Romanè & Germanicè loquenteis. Hæc propterea dicere cogor hoc loco, ne quis Germaniam veterem in prouinciis ſomniet aut quærat, etiam antequam prouinciæ factæ ſunt. Id quod de Transdanubianis & Sequanis veriſsimum eſt. Hæc ille. Eſt tamen in quo quis meritò ab eius ſententia diſcedat, veluti nimium temerè aſſerta, etiam ſi Cæſarẽ citet authorem, dum ait

tatem quã laudibus efferre nec ſani eſt hominis,ſed nec ipſe etiã inſanus laudet Oreſtes. Quis enim neſciat id omniũ mẽtibus inſitũ eſſe,

Candida pax homines,trux decet ira feras?

Id ſi cui ſubobſcurum videtur,audiat Plinium hæc in proœmio lib.7. proferẽtem. Cætera (inquit) animantia in ſuo genere probè degunt. Congregari videmus,& ſtare contra diſſimilia. Leonũ feritas inter ſe non dimicat. Serpentũ morſus non petit ſerpentes. Nec maris quidẽ beluæ ac piſces niſi in diuerſa genera ſæuiunt. At herculè homini plurima ex homine ſunt mala. Quid igitur dicturus erat de ſanguinaria gente,quæ in generis humani exitium tantũ nata videtur: in cuius moribus rituque viuendi nil aliud quã ferã humano exuuio contectã intelligere poſſis? Hic ſibi conſulat Althamerus,Gallico nomini plus ſatis infenſus: vt in cæteris fidem apud lectores inuenire mereatur. Quod quidem non prius aſſequetur,quàm deſierit vitiũ loco virtutis reponere,cùm ſcriptum legamus: Væ qui dicitis malũ bonũ,& bonũ malum: ponentes tenebras lucẽ,& lucẽ tenebras. Ideoque ipſum etiã Rhenanũ ſuppuduit plus iuſto laudibus extuliſſe illius gentis ferociã, vt ne dicã iniquitatẽ: qui in epiſtola in Procopiũ prælocutoria poſtquã dixerat: Noſtri ſunt Gotthorũ, VVandalorũ, Frãcorumque triũphi: ſe demum reprehẽdens ait: Non quod probẽ (vt ingenuè verum fatear) vrbiũ incendia,direptiones,euerſiones,agrorumque deuaſtationes: ſine quibus hoc genus victoriæ non contingũt (quis enim cordatus huiuſmodi inſanias non deteſtetur?) ſed quia vulgo commendari iſta ſcimus,vnde nobilitas omnis petatur. Hæc ille. Semel hanc viam ingreſſus, illud non prætèribo, non poſſe me non deſiderare in Cornelio noſtro,viro (vt cum bona omniũ venia loquar) eloquẽtiore quàm prudentiore,naturalis æquitatis prudentiã: vt qui tantum ſuo affectui tribuerit in ſua panegyri, vt non ſolũ virtutes cum vitiis confuderit,immò verò æquitati præpoſuerit iniquitatẽ, eximens ſcilicet à Germanorũ ordine & gradu quietos, trãquillos iuſtoſque poſſeſſores titulo præ cæteris, qui non niſi per vim etiam ſanguinariã alienis agris incubuerint. Non numeramus (inquit) inter Germaniæ populos,quanquã trans Rheum Danubiumque conſederint, eos qui decumates agros exercẽt. Leuiſsimus quiſque Gallorũ & inopia audax dubiæ poſſeſsionis ſolum occupauẽre. Mox limite acto,promotiſque præſidiis ſinus imperij, & pars prouinciæ habentur. At hîc te conuenio Corneli,vter pauperior eſt,iſne qui iacentes agros citra iniuriam poſsidet,an qui rapto viuens omnia debet,atque adeò ipſam animã? Quaſi vero nullus ſit præſcriptioni locus. An nõ præſtantius eſt,lõgo præſcriptionis vſu ſibi comparare ciuilitatẽ, quàm per vim ex aliena manu ereptã occupare poſſeſsionẽ? Id quantũ ſit à iuris & æqui repagulis ſemotũ, nec pueri quidẽ ignorant, niſi qui nondũ ære lauantur. Non hoc eſt eſſe in re aliena prodigũ raptorẽ, & rei contemptorem propriæ? Vtinam & in his tacitus fuiſſet Cornelius,qui ſe buccinatorem prẹſtat minacis vultus,maioris (ſed in exercenda rapina) vigoris animi. Quid autẽ abſurdius eſt,quàm ſibi vim inferre, ſeque ſqualore atterere,& conſtringere ferreo vinculo,donec violenta cæde ſibi cõparet libertatem? ſemper in rapinis verſari,donec exanguis ſenectus tam duræ, non dicam virtuti, ſed inferendæ iniuriæ impares faciat? Quid quòd neque attenditur quòd de iure Gentium eſt ex primogenitura ius hæreditarium,verùm ex ferocia (vt Tacitus ait) bellica. Sed pro his omnibus laudibus quanto illos proſequatur amore, ipſe viderit,quibus non niſi ſæuam ac perpetuam inter ſeſe diſcordiã pro ſalute non tam eorum quàm ſua vehementer deſiderat. Maneat (in-

Eſa. 5.

quit)quæſo,duretque apud eos(videlicet Germanos)ſi non amor noſtri,at certè odium ſui. Non hoc eſt porrigere pro melle venenum:& vna quidem manu panem, altera ſtringere gladium? Iam illud mihi

Prouerb. 27. ſuccurrit à Sapiente dictum : Meliora eſſe verbera diligẽtis,& ex veritate corripientis,quàm oſcula blandiẽtis. Ammianus Marcellinus 15. libro notam feritatis barbarieíve paucis verbis à Gallica natione depellit,dum à feris eam gentibus diſtinguit, ad hunc penè modum: Gallia vndique natura velut arte circũdata, à latere quidem Auſtrali Tyrrheno alluitur & Gallico mari:qua verò cæleſte ſuſpicit plauſtrũ, à feris gentibus fluentis diſtinguitur Rheni, vbi Occidentali ſubiecta eſt ſyderi, Oceano & altitudine Pyrenæi cingitur. Inde ad Solis ortus attolitur aggeribus Alpium Cottiarũ. Vides vt Gallicam ſuis diſtinctam limitibus gentem à Germanorum feritate diſtinguat? Ad eam rem vix ſatis intentus Diodorus Siculus lib. 6. vtranque gentem ſine delectu confuſim ſurſum deorſúmque conuoluens, modò Gallis Germanos, moxque Germanis Gallos nullo diſcrimine commiſcet. Ait enim inter cætera, apud eos barbam vſque adeò ſuccreſcere, vt corpus ſolidum tegat. atque inde ſequens eſſe fabulatur, quòd cùm bibũt,veluti per canale potus videatur inferri. Sed & perperam Danubiũ Gallicæ genti attribuit, cùm Rhenus illam ſecernat à Germanis. Tradit inſuper (quod in Gallia nunquam fuit auditum,nec vnde id hauſerit,ſcio) vẽtorum flatum tanto graſſari impetu,vt ſaxa etiam huc illucque propellens, ad ingentem nonnunquam cumulum redigat:ſed & detrahat obuiis quibuſque & arma & veſtes,immò & equitem quãdoque à ſuo equo vi deturbet. Omitto & alia,partim vt præpoſtera,partim vt commentitia. Tam enim parum Galliæ dotes attigit,quàm Niloticus canis. Suo ille,nos interim noſtro fruemur iudicio,quotidiano iam vſu nulli non cognito & perſpecto. Sed cœptum tandem repetamus iter. Iam ſi comitatem Gallicã cum cæteris conferas, ecce tibi ad manum quo quantum cæteras excellat nationes, liquidò oſtendere poſſis. De Hiſpanis ita ad verbum retulit is quem ſuprà citauimus cum Mũſteto,Michaël Villanouanus. Apud Gallos aduenæ humaniſſimè excipiuntur hoſpitiis,nullum eis denegatur officium,ad victum omnia parata proponũtur: apud Hiſpanos duriter & inciuiliter,vt itinere feſſus ſibi cibum vicatim quærere cogatur. Id efficit quòd Hiſpani non ſunt in itineribus ita frequentes, noluntque tam largiter pro eduliis pecuniã effundere: nec ad ſeruitia exhibẽda ita ſunt proni, vt nec principi cuiuis ruſticus operã dignetur impendere,ſi viſum non fuerit. Hæc illi. De Germanis verò quid tutò aſſerere poſsis,Eraſmus in colloquio cuius titulus eſt Diuerſoria:rem totam promptè expediet. Nemo de Lugdunẽſibus,inquiens,domi ſuæ tractatur melius,quã illic in pandochio. Præſtò aderit materfamiliàs iubens hoſpites hilares eſſe,& quæ apponuntur boni conſulere. Nec deeſt illis feſtiuitas, quæ vel Catonem ipſum exhilarare poſsit. Vnde agnoſcere cogũtur omnes Gallicæ gentis humanitatem. Quid quòd lautiſsimus offertur apparatus ipſis etiam grauior impenſis,ita vt plerunque malint hoſpites illic peregrè, quàm domi ſuæ aut edere, aut conuerſari. Quin & ſeipſos affabilitate vincunt,dum ingenti humanitatis affectu hoſpites à ſe dimittunt. Et hi ſunt Gallorum mores. Quid autẽ de Germanicis dicar, paucis referendũ. Sic enim ille ait: Aduenientem nemo ſalutat,ne videantur ambire hoſpitem. Id enim ſordidum & abiectum exiſtimant, & indignũ Germanica ſeueritate. Vbi diu inclamaueris, randem aliquis per feneſtellam æſtuarij (nam in his degunt ferè vſque ad ſolſtitium æſtiuum) profert caput,non ali-

ter quàm è teſta proſpicit teſtudo. Is rogandus eſt, an liceat illic diuerſari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus vbi ſit ſtabulum, mota manu commonſtrat. Illic licet tibi tuum equũ tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admouet. Si celebrius eſt diuerſorium, ibi famulus commonſtrat ſtabulum, atque etiam locum equo minimè commodum. Nam commodiora ſeruant venturis, præſertim nobilibus. Si quid cauſeris, ſtatim audis: Si nõ placet, quære aliud diuerſorium. Fœnum in vrbibus ægrè ac perparcè præbẽt, nec multo minoris vendunt quàm ipſam auenam. Vbi conſultum eſt equo, totus commigras in hypocauſtũ, cum ocreis, ſarcinis, luto: id eſt vnum omnibus commune. Neque omittendum quod ſequitur. Apud Gallos (inquit) deſignant cubicula, vbi ſeſe exuant, extergant, calfaciant, aut quieſcant etiam, ſi libeat. In Germania autem nihil tale. In hypocauſto exuis ocreas, induis calceos, mutas ſi voles induſium: veſtes pluuia madidas ſuſpẽdis iuxta hypocauſtum, ipſe te admoues vt ſicceris. Eſt & aqua parata, ſi libeat lauare manus: ſed ita munda plerunque, vt tibi pòſt alia quærenda ſit aqua, qua lotionẽ eam abluas. Huc uſque Eraſmus. Hic te iudicem lector appello, vtra gens alteram comitate ſuperet & vrbanitate? vnde & quæ longius à barbarie diſtet, facilè diſcernere poſſis. Hæc ſi cui minus ſufficiant, cætera ex eodem diſcere promptum erit: quæ perlecta, nauſeam (niſi totus ferreus es) communi opinione maiorem aduehent. De aliis quid attinet dicere, nempe aut Anglis, aut Italis, cùm magna ex parte mores retineant Germanicos? niſi forſan quadantenus ſint inciuiliores ob lethiferi quãdoque poculi lethale periculum. Quod ex eo plerunque accidit, quòd nunquam ſint iniuriarum acceptarum immemores. Apud eos enim quæ placuerunt abeunt: ſed inimica tenacius hærẽt. Hanc autem acceptæ iniuriæ memoriam indelebilem Gallica facilitas atque ingenuitas ſtatim veluti virulẽtum quoddam toxicum euomit, ſemel emiſſum nunquam reſumptura vomitum. Eſt enim ſermone affabilis, vt corpore ita & pectore candida gens: qua facilitate vix ſuauius quicquam, blandius, mellitiuſve reperias. Ex quo vno ſequens eſt, vt longè ſit ab omni barbariei vel nota, vel ſuſpicione. Qui igitur eos barbaros & cenſent, & prædicant: aut feros ſuos mores à ſe depellãt, aut ſibiipſis imputent quæ in alios dicteria coniicinnt, ne id vel inuiti audire cogantur: In quo alterum iudicas, teipſum condemnas.

Hanc Gallicæ nationi congenitam dotem egregiam non obſcurè tradidit ſcholaſticæ diſciplinæ author non prorſus aſpernãdus, quiſquis tandem ille fuerit, qui nomine Seuerini Boëtij de diſciplina ſcholarium paſſim circumfertur: reclamante tamen ac propemodum pugnãte ſtylo, ab eo qui de conſolatu philoſophico editus eſt, longè diuerſo. Niſi quis forſan exiſtimet ſuum ex induſtria depreſſiſſe ſtylum, cum pueris pueriliter verba faceret more nutricis, quæ lactenti arridens, nihil aliud quàm lallare ſolet. Is inquam exiſtimatus Boëtius Lutetiam ob aëris temperiem commendat, ritus Gallorum facetos pronũciat, matronarum colloquia pietatis nomine honeſtat. Quòd autem eam Iulij Cæſaris ciuitatem fuiſſe coniectat: id ea mente excipiendum eſt, non quòd eam fundauerit, ſed (quod credibilius eſt) quòd eam auxerit. Indicio ſunt thermæ Cæſaris, non leue venerandæ antiquitatis monumentum. Auget huius vrbis honorem eleganti ſuo carmine Architrenius, cui nullam quaqua latiſſimè patet orbis, ciuitatem conferendam eſſe mira confidentia aſſerit. Eſt (inquit)

- altera regia Phœbi   Parrhiſius Cyrrhæa viris, chryſæa metallis.

Græca libris, Inda ſtudiis, Romana poëtis:
Attica terra ſophis, mundi roſa, balſamus orbis,
Diues agris, fœcunda mero, manſueta colonis,
Munda domo, fortis domino, pia regibus, aura
Dulcis, amœna ſitu, volucroſa fluentis &c.

Pichimerus certe coſmographus huius ciuitatis Academiã nulli conferendam (vti ſupra dictum eſt) apertè teſtatur: vt quam omnium quę in orbe ſunt, quæ ad rem literariam ſpectant, officinarum præclariſſimam ac celebratiſſimam conſtanter aſſeueret. Accedit Sabellici teſtimonium ita inquientis: Liberales artes multis curæ ſunt, & in primis diuinarum artium ſtudia. Gymnaſium quod Pariſiis eſt, id declarat, omnium quę hodie ſunt in terris celeberrimum. Hęc ille, alioqui rei Gallicæ laudator parciſſimus, ac penè ieiunus. Vnde ergo huic Galliæ barbariem opponere poſſis, cum tot tamque magnificis titulis cæteris præluceat vrbibus, vt vel hac vna face reliquus illuſtretur orbis: quæque tam cæteras ſuperet, quàm à nulla ſuperetur? Ex germana ipſa vocabuli ſignificatione, id quod aſſerimus, conſtare poterit. Barbarum enim dicimus, aut raro aut nunquam antea ſeu viſum ſeu auditum: cùm nulla ſit in orbe natio, quæ non Gallico nomine glorietur. adeò eſt per mundum vniuerſum diſperſa ac propagata Gallica nomenclatura, vt nomen illud omnibus iam nedum commune ſit, immò & pro familiari habeatur. Huius certè appellationis fermento Aſia Europaque tota conſperſa eſt: vnde & omnes ſibi gratulantur nationes.

Sunt, vt hinc ordiar, apud Heſperios Portugalli Gallico portu ſibi mirè placentes, & ij quidem ad Occaſum. ad Auſtrum Gallæci, ſeu Gallaici, Gallicum redolentes nomen. Sunt etiam (quod negari non poteſt) in Galliæ Hiſpaniæque collimitio Celtiberi priſca origine Galli: de quibus ſcriptum legitur.

Profugique è gente vetuſta
Gallorum Celtæ iungentes nomen Iberis.

Qui quàm ſtrenuè bellaces fuerint, ex Valerio maximo facilè deprehenditur lib. 2. cap. I. aſſerente, nefas apud eos ſemper fuiſſe prælio ſupereſſe, cum is occubuiſſet, pro cuius ſalute ſpiritum deuouerant.

Celtiberos (vt ne illud leuiter pertranſeam) à Catone Cenſorino tandem prælio fractos, Florus Hiſpaniæ robur appellat. quos cum domuiſſet Metellus, Celtiberici cognomẽtum promeruit. Eſt etiam inter Hiſpaniæ Tarraconenſis vrbes non obſcura ciuitas, quæ Gallica Flauia appellatur: vt ne illud quoque omittã, Celticos ad Anam fluuium ſitos, qui hodie Guadiana dicitur. Eſt & Celticum promontoriũ, quod finem terræ appellant in Gallicia. Eſt enim ex Michaëlis Ritij ſententia in Hiſpaniis Galatia duplex. Gallicia vna mediterranea, maritima altera: ea eſt Portugallia. Sic enim ait ille in Sanctio: Cumque Galatiam Portugalliamque ſpe voraret, in prælio captus, ab hoſtium poteſtate exemptus, ſeruatuſque eſt. Is enim collectis ex fuga militibus, incompoſitos fiducia victoriæ Gallaicos adortus vicit. Nec multò poſt: Suſcepit Alphonſus Theraſiam, quæ nupſit Henrico comiti Lothoringiæ, dotatam Galatiæ parte, quæ Portugallia nunc appellatur, vnde Portugalliæ reges originem trahũt. Idemque Galatiam à Portugallia ſecernens ait: Ferdinandus viuens liberis ſuis regnum diſtribuit, Garſiæ Galatiam & Portugalliam habendam dedit. Vides vt etiam Hiſpanica tellus Gallici nominis ſit ſemente reſperſa, idque ad quatuor penè cœli cardines.

Neque huiuſmodi conſperſione nominis caret Albion inſula,quā nunc Angliam vocant. Nam cùm Galatæ lactei dicãtur à candore, quid aliud Albion quàm candorem deſignat?ſũt igitur Albiones Galatei,& Galatæ Albionei:vt interim taceam de Albaniæ principatu, lectiſsima Scotiæ portione: déque principatu VValliæ in Anglia ſeu Galliæ. Vnum enim in aliud recidit vocabulum,vnde & Cornugalliç nomẽ deſumptnm eſt. Quòd ſi Michaëlem Villanouanum audimus, profectò apparebit Angliam penè vniuerſam huius farina nominis deintegrò fuiſſe conſperſam.cuius verba referam: Britãniæ inſula diuiſa eſt in Angliam,VValliam,& Scotiam.Subdiuiditur VVallia,quç & Cambria:& populi VValles,in Cornubiam, ſiue Cornuualliã, quæ ab ipſis Corneuualle dicitur, ad promontoria quæ Ptolemæus vocat Damnonium & Ocrinũ, quos populos ipſe Cornabios appellat. Itẽ in partem eam quæ eſt inter Sabrianam & Deunam fluuios,vbi regio quçdam dicta Venodocia,hodie Northuuallia & populi Northuualles,id eſt ſeptẽtrionales VValles, ab aliis dicti Norgales:& regio altera ſiue prouincia dicta Demecia, hodie Sonthuuallia, & populi Sonthuualles,id eſt meridionales VValues: & prouĩcia alia dicta VVeſtuuallia,id eſt occidentalis VVallia,& populi VVeſtuualles. Angliç & VValliç rex vnus imperat, Scotiæ alter. Et paulò mox: Nunc Anglia ab Anglis Saxonibus Germaniæ populis, qui eam incoluere, & Britones ferè omnes in VValliam expulere, tertiam inſulç partem, quæ olim Cambria à Cambro Bruti filio vocata eſt. Partem vero inſulæ inferiorem in Septentrionem vergentem(quç antiquitus Albania ab Albanaco Bruti filio) Scoti occupant, à pictura corporis ſic nuncupati,à quibus Scotia dicta,Gallis amiciſsimi,Anglorúmque regi maximè infeſti. Hçc ille. Vides Albionem ab albis rupibus, Albaniam, VValliam ſeu Galliam,nullo diſcrimine haberi. Non tot volitant per aëra muſcç aut atomi, quot ſunt in Italico receſſu à Gallis ciuitates extructç. Vnde & ipſa Galliç Ciſalpinæ apud eos nomen accepit ab Alpibus ad Rubiconem fluuium. Quòd ſi quç, quótve ſint ciuitates, earúmve numerum ſi quis fortè requirat, is per mare quçrit aquam. Eſt enim in Trãſpadanis locis Gallia Cenomanica, inſuper & Veneta à Venetenſibus Gallis, vulgò Vennes,eo nomine appellata. Tamẽ Strabo in ambiguo relinquit,an à Venetenſibus Britonicis, an verò à Paphlagonibus Græcis gẽs illa originem traxerit. Merula nobiſcum ſentit,& alij complures. De Ciſpadana,quç eſt baſis Galliç Ciſalpinç, nemo hçſitat. Teſtis Senogallia, Inſubria & ea pars quam Boij occuparunt Gallorum populi. Reperio ex Caſtillionçi ſententia Nouariã dictam,quaſi nouam Gallorũm aream,& Gallareatum à Gallorũ conuentu,quaſi Gallorum fuerit area,ſic appellatum. quod hodie oppidum eſt vrbeculç effigiem prçſtans. Eſt & Carnagum vulgo appellatum, Carnutum olim Colonia. Qua de re quid ſenſerit Bonauentura Caſtillionçus, ſuis ipſius verbis explicabo. Inter tot municipia & vicos Occidentem verſus ſecundo lapide oppidum Carnutum viſitur, vulgò Carnagum nuncupatum. Eo in tractu Carnutes vlterioris Galliæ populos olim conſediſſe arguunt ſoli fertilitas, nominis cognatio,& Inſubrum Gallorum vicinia. Facilè enim cum Belloueſo,quem tot hominum millia in Italiam traduxiſſe cõſtat, & Carnutum copiæ Alpes tranſcenderunt, & haud longe ab Inſubribus ſedes locarunt. Durat gẽs Carnutũ in Celtica Gallia Oceano proxima,olim in clientela Remorum:& totius ferè Galliæ media eorum ciuitas epiſcopalis vulgò Chartres nuncupatur. Hæc ille. Ciſrhenanos omnes Galli-

ci eſſe nominis in re ſua Germanica author eſt Cornelius Tacitus,qui Germaniam à Gallis Rheno fluuio diſſecat, eamque ad Danubium vſque prorogatam aſſerit: Germania,inquiens, omnis à Gallis Rhetiſque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus ſeparatur. Quo fit,vt Vangiones,qui & VVormacenſes:Nemetes,nũc Spirenſes:Tribochi,qui & Argentinenſes (aliàs rectius, Argentheithetenſes) Vbij Germanorum conſanguinei appellati, & Ciſrhenani accolæ omnes Gallico nomine cenſeantur. Ad quam etiam Galliam pertinent Vſipetes,qui Menapiorum,quos Iuliacenſes vocant, agros occuparunt. atque adeo Gueldrenſes,qui & Galli Rhenenſes: & qui in vſum præliorum ſepoliti,veluti tela atq; arma,bellis reſeruati ſunt Batavi, Treuiri quoque Mediomatricibus Auſtraſianis finitimi,Ciſrhenanę Galliæ indigenę. Heluetij quoque Gallica gens. Germania verò tametſi extra Gallię fines ſita ſit: eſt tamen illi Germanici vocabuli neceſsitudine iuncta,ipſo etiam Strabone irrefragabili teſte, qui libro.7.ſuæ Geographiæ ſic ait: Propter formæ,viuendi ritus,& morum ęqualitatem cum Gallis communem,Germanos,id eſt, fratres Gallorũ à Romanis dictos affirmat. Eius verba ſubiiciam: Statim igitur regionem trans Rhenum ad ortum vergentem Germani colunt,nationem Gallicam pauliſper mutantes & feritatis abundãtia, & proceritate corporum,& colore flauo,cum reliquis in rebus & formã & moribus & viuendi ritibus pares exiſtant,quales Gallos diximus. Ideo Romani hoc illis nomen iure mihi indidiſſe videntur, perinde ac eos fratres legitimos Gallis eloqui voluerint. Legitimi nanque fratres Romano ſermone germani intelliguntur. Quo fit,vt vtraque gens mutuo gaudeat nomine, Gallica inquã,& Germanica. Hi enim Gallogermani, illi verò Germanogallici merito appellabuntur. Abſit autem vt altera alteri barbara cenſeatur, fraterni vtraque nominis inuicem neceſsitudine iuncta. Quis enim inter fratres vllam ſuſpicari poſsit barbariem? Sed & in media Germania ſedes ſuas tenuiſſe Gallos omnibus eſt in confeſſo, authore etiam Tacito, qui ait: Validiores olim Gallorum res fuiſſe diuus Iulius tradit, eóque credibile eſt etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Igitur inter Hercyniam ſyluam, Rhenúmque & Mœniam nes Heluetij, vlteriora Boij, Gallica vtraque gens,tenuere. Hi ſiquidem (vt eſt apud Strabonem libro ſuę geographię quinto) Gallia excedentes, Hercyniæ ſyluæ incinctos incoluerunt campos: quæ regio ab illis Boiohemia,quaſi Boiorum patria dicta eſt: qui demum expulſi apud Iſtrum vagantes, in Noricum agrũ irruperũt: expulſiſque Noricis,Boiariã,quę nũc Bononia,aliquãdo vero Felſina dicta eſt,appellarũt,vti ſuprà attigimus. Vetus autem Boiorum ſedes ea quondam fuit, quæ nunc Romandiola dicitur, vulgo la Romaigne.

Sunt tamen qui Germanicę neceſsitudinis nomẽ inter Gallos & Sueuos obliterare cupiẽtes,nobis obtrudere velint Germanicum vocabulum à vulgari Teutonico deductum,Guerman, quaſi dicas totus vir. Guar enim totum,man vero virum ſignificat. id quod ſubindicat Tacitus,dum ait: Germanię vocabulũ recens,& nuper additum: quoniam qui Rhenum trãſgreſsi Gallos expulerint, ac nunc Tungri,nũc Germani vocati ſunt: ita nationis nomen, non gentis, paulatim eualuit,vt mox à ſeipſis inuento nomine Germani vocarentur. Hæc ille. Videtint autẽ huius etymi inuentores,quàm odioſa ſit exteris,quámque ſibi aut ridicula,aut noxia hæc ſignificatio: vt hoc nomine Guerman intelligatur totus vir, vel prorſus virilis. Sic enim fiet,vt cæteræ

nationes quæ omnes ſtrenuis viris abundant, meritò ſibi Germanicũ nomen tribuant: niſi dicas (quod odioſum plus ſatis foret) apud exteros nuſquam reperiri viriles. Quicunque ſanè commentum iſtud effinxerunt, ſibiipſis aduerſantur. Aiunt ſe dictos Gerthmanos, quaſi totos viriles, ridiculo certè etymo. Hac enim ratione exulare facient filios, filias, & vxores. Hi enim quomodo toti viriles dici poſſunt, partim deterioris ſexus, partim nondum adultæ ſed imbecillioris ætatis? Carebit hac ratione Gerthmanus pater Germana vxore, & liberis: niſi ſi quis fortè ad adultam peruenerit ætatem. Et qua (quæſo) mente appellãt Gerthmanum literę ſenſum, hoc eſt gneſium, & genuinum, niſi ea communione, quæ inter Gallos Germanóſque intercedebat? Fuere igitur Galli apud nos Ciſrhenani & Tranſrhenani inuicē Germani. In ſumma Gallus eſt indigena, quiſquis in Gallia ortus Galliã incolit. Qui verò animo in Gallico ſolo vitæ peragendę gratia Gallias penetrauit, Gallus aduena dicendus erit. Quo fit vt Gallorum nomine cenſeãtur hi omnes in vniuerſum, qui intra Rheni, Alpium, Pyreneorúmque montium limites orti ſunt & aliti. His enim limitibus Gallia clauditur. Nec aliter Gallus ſolidè appellabitur funditúſq; ac radicitus niſi à natali ſolo. Nec obſtat linguę varietas, aut ditionis alteratio. hæc enim accidentaria ſunt, quę non mutant ſubſtantiam rei. Italia ſemper manet Italia, etiam ſi ſępius omni numero à Gallis, Vãdalis, Gothis, Hũnis, & alia tyrannorum fece fuerit lacerata. Anglia à Normanis Neuſtriis continua Regum ſerie à Guillelmo notho occupata, in hunc vſque diem in ſuo nomine perſeuerat: alioqui Neuſtrij dicerentur inſulares potius quàm Angli. Quid de Hiſpaniis referam, quæ adhuc aliquid barbaricæ appellationis retinuerunt? déque Luſitanis? adhuc enim dicũtur Cathalauni, quaſi Gothi Alani: perſeuerat nihilomin⁹ nationis Hiſpanicæ appellatio. Manebit igitur perpetuò ſuum Galliæ Belgicę nomen, etiam ſi ſexcenties alterata tranſmigratio ac ditio alia aliam explodat aut expellat. Succedat quantumuis Teutonica ditio Romanenſi, vocent vt volent Romani prouincias Germanicas duas, primam & ſecundam: nunquã erit vt dicas excluſam ſuis limitibus Galliam Belgicam. Sed teutonicè (inquies) alij, alij gallicè loquuntur: quid tum? Gallia nobis tranſalpina, eſt ab Alpibus ad Rubiconem fluuium, & tamen lingua vtuntur Italica. Aulici omnes Angli gallica vtuntur dialecto, an ob id Angli eſſe deſinunt? nequaquam. Solum attendendũ eſt, ſoli cœliq; gneſium nomen, cætera fortunę committenda, quæ ſolum conſtans mobilitate ſua eſt. Gallus erat in profunda Gallia natus & alitus, imò & à Gallia oriundus Auſtraſianis parentibus Pipino & Martello Carolus ille cognomēto magnus, natus in Engelim Galliæ Belgicæ cis Rhenum oppido. Id omnes tabulæ coſmographicæ docent. Sedit imperitãs Aquiſgrani profundę Belgicę ciuitate: qui ſuę ditioni ſubiecit Germaniæ vetuſtiores incolas, Rheniq; vlterioris accolas Saxones trigeſies ſignis collatis ſuperatos ac domitos. Eorũ ceruicibus impoſuit præſules & hierarchas ex noſtra Belgica. Conſule tabulas Ptolomæi etiã vetuſtiſsimas, necdum à neotericis deprauatas & adulteratas, quales ſunt Nicolai germani, Paulo ſecundo pontifici dicatæ. Illic inuenies ſecundum citeriorem Rheni ripam omnes has ciuitates. Nihil itaque ineptius eſt, quàm ex diſcrimine idiomatis gentem vnam ab alia ſecernēdam iudicare. Hoc enim eſſet dicere, Galliam non eſſe Galliam. Eſt enim Gallia ipſa polyglottis: cùm Gallos conſtet varios in ſeſe complecti idiotiſmos: qui tamen omnes vnicam conſtituunt Galliam, ſubque

vna natione comprehenduntur Gallogermani, & Germanogallici.

Sed ne ad tranuerſum quidē vnguem à recta aberrauerit, qui Gallicam gentem nec decurtato nimiū,ſed neque plus iuſto extenſo vocabulo Panomphæam dixerit, hoc ſaltem ſignificatu,quòd ſit omniuocalis,non ſolum polyglottis. Nolim tamen dicas Panōphæam (id quod ſoli deo competit) quòd ab omni lingua colatur. Loquitur gens illa Britonicè. Gens Franca Germanicè. Ciſalpina gallia Italicè. Celtiberica Hiſpanicè: addo & Cantabricè. Gallogręcia Gręcè. Auenionenſium pars Hebraicè. Narbonenſis Romanogallicè: Apud Anglos Vvallia, quæ & Gallia eſt, bona pars totius inſulę, Anglicè. Sed & illyricè galli Scordiſci loqui didicerūt, qui apud Thracię fines ſedem tenuerunt, authore Strabone: vbi de Scordiſcis & Tauriſcis gente gallica hiſtoriam texuit. Et vt in hòminibꝰ Gallis loquela, ita & in cibario genere gallus quem capum vocant, pro eſca habetur œcumenica, omnem auiarij generis eſcam in ſe retinens. Nihil enim in popinis adferunt reliquæ altiles probi alimenti aut obſonij, quod non vna caro gallinacea in ſeſe retineat, ſiue aſſam ſiue elixam velis apponere mēſis. Huius ſiquidem auis patina ventriculū iuuat, pectus lenit, corpus ſucco admodum congruo fouet, & nutrit: facilè concoquitur, parum recrementi, nutrimenti vero multū in ſe habet, cerebri vires ſupra communem modum adauget. Inde prodiit illud diſtichon:

Ponitur Auſoniis auis hæc lautiſsima menſis:
Cuius lautitiam mandere ſæpe iuuat.

Quid quòd hoſtis Gallus ſuo tantum terrore aquilam fecit de clinica fugacem, dum etiam ante victoriam epinicium caneret? Nam de galli aduerſus leonem energia quid attinet dicere? cum & Plinius & philoſophi omnes agnoſcāt vnum inter cætera animalia gallum terrere poſſe & abſterrere Leonem: vti alio edito carmine ſuo teſtatum eſt loco. Quod ergo eſt in herbis Panacea ad omnem morborum medelam efficax, hoc eſt in totius generis auiarij alimēto gallinacea eſca, quam merito Pantrophiam dixeris, atque etiam pancarpiam. Quòd ſi quis mihi diffidat, teſtem huius ſeñtentiæ habeo in alimentorum facultatibus Nicolaum Pletium Vimacum, in eo genere ſcientiæ & dicendi peritum, & experientia multa probatum. Quid quòd Galenus ſatis habuit phaſiani carnem coctione & nutrimento gallinis æquiparare: tametſi dicat guſtu tantum ſuauiorem? Non tantum igitur gētilitia Gallorum gens œcumenica eſt, imò & nomenclaturæ gallicę cibus copięcornu vicem ſuſtinet. Nam cum ſoli fœcūditas ex tribus potiſsimum deprehendatur: videlicet ex arualis primum culturæ vbertate: ex locis deinde arboribus amœniſsimè conſitis adusque aquarum fluenta: demum ex paſcualibus agris quaquauerſum latiſsime patentibus: quibus omnibus ad ſatietatem vſque ex larga dei beneuolentia Gallica tellus abundat: iure optimo, niſi ingratitudinis
pſal.22. nota inuri velit, profiteatur neceſſe eſt: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: In loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam refocillauit. Ideoque nihil mirum videri debet, ſi vna ex omnibus gentibus Gallia multos habuerit riuales, cæteris nationibus à tergo relictis ob locorum ſterilitatem. Id enim argutiſsime Æneas Syluius attigit: Multi (inquiens) de Scytharū gente glorioſiſsimè triumpharunt. Quod autem ad interiora eorum & vltima verſus Boream nō eſt itum, paupertas ſoli fecit, & itineris aſperitas, atque intolerabile frigus, & nullum vincentis præmium. Multos Romani populos (vt Appianus tradit) ſeſe ſponte dedentes reiecere,

quòd nullo eſſet emolumẽto eorum imperium. Quis arma ſumat, & cum mortis periculo dimicet,cum ſciat victoriam ſterilẽ eſſe?Id perinde eſt,ac ſi quis laudis cauſa cũ beſtiis pugnam inear.Nec Scytharũ robur inſuperabile eſt magis quàm Elephantum & Taurorum, quos ingenio vincimus:ſed in his ineſt aliquid vtilitatis.Scythas illos exteriores ſi prælio ſuperaueris: non tam tibi quàm illis viceris pane alendis,qui multis eſt incognitus,vbi ſeruitia eorum quæras. Fatemur tamẽ ab his exiſſe quamplures,qui res magnas geſſère.Facilè enim migrant,quibus ſterilis ſedes eſt,& melioris ſoli fama multos trahit.Hic tandem finem inueniat præſens perioche: nunc ad aliam propetandum eſt, quæ nobis erit numero quarta.

DE TEMPORVM CHRONOGRAPHICA ratione, Perioche quarta.

ENTRA huius vetuſtæ ætatis limites,ínque ipſo venerandæ antiquitatis meditullio,proximus à Belloueſo Brennus Gallorum Senonum dux illuſtriſsimus,rerũ geſtarum gloria nulli non ſuſpiciendus enituit, poſt duas à Bellouesi in Italiam expeditione annorum centurias. In cuius geſtis recẽſendis plerique omnes hiſtoriographi tã ſonori dicacéſque fuere, quàm in commemorandis Belloueſi actis, præter vnum aut alterum muti,ínque retinendo ſilentio pertinaces.Primùm itaque, quod ad temporũ chronographicam rationem attinet,annus agebatur ab vrbis natalitio quartus ac ſexageſimus ſupra trecenteſimum, qui ob vrbem non tam obſeſſam,quàm portis reſeratis, vno dẽpto Capitolio, poſſeſſam (tantus Romanorũ animos ſtupor inuaſerat, & occupauerat metus) fuſámque, incenſam, ac diſcerptam, & ad ima vſque penetralia ſpoliatam, penè fuit vltimus: vltimus inquam Romanæ ditionis ac gentis, fuſis fugatíſque partim ciuibus, partim verò anguſtiſsimo Capitolinæ arcis ergaſtulo concluſis. Extitiſſet vtique annus ille nouiſsimus Romanis, niſi Gallica iracundia ob ius gentiũ violatum meritò accenſa, (vt eſt gens illa ad ponendum odium facilis ac propenſa) in clementiam conuerſa fuiſſet:vt quę modico contenta pretio,fugientibus ſpem, libertatem obſeſsis, vna talentorum auri chiliade mira facilitate conceſsiſſet,longè imparem conditionẽ,ſi fors inuerſa fuiſſet,à Romanis,vt eſt gens illa vindictæ cupidiſsima, conceptique ſemel odij tenaciſsima,haud dubiè receptura.

Vt autem cœptum chronographiæ perſequamur iter,illud præfari habeo ex Dionyſio Halicarnaſſeo,quod mox ſequitur.Vltimã verò (inquit ille) habitationem,ſiue conſtitutionem,ſiue quouis modo Timæus Siculus (neſcio qua vſus regula) eodẽ tempore fuiſſe dicit, quo Carthago eſt condita: octauo & trigeſimo anno ante primam olympiadem.Lucius autem Cincius, vir ſenatorij ordinis, anno ait fuiſſe quarto duodecimæ olympiadis. Quintus Fabius anno primo octauæ olympiadis.Portius autem Cato tempus Græcum nõ diſtinguit: verùm perdiligens (ſi quis eſt alius) circa collectionem hiſtoriæ priſcarum originum, annis eam aſſerit quadringẽtis triginta duobus rebus Iliacis poſteriorem.Tempus autem Eratoſthenis deſcriptionibus dimenſum,ſub annum primum ſeptimæ Olympiadis cadit. Quoniam autẽ incorruptæ extant regulæ quibus vſus eſt Eratoſthenes, & quẽadmodum dirigere poſsit aliquis tempora Romanorum ad Græca, in alio ſermone declaratum eſt à me.Non enim cenſui ſicut Polybius

Megalopolitanus,hoc ſolum dicendum, quòd ſub annum ſecundum ſeptimæ Olympiadis Romam eſſe conditam credo. Neque vti ſuper tabula apud Anchitenſes poſita,vnius & ſolius fidem, quæ non ſubiaceat quæſtioni,eſſe poſteris relinquendã: ſed rationes ipſas quas propoſui,obnoxias futuras conſiderantibus,in medium afferre conſtitui. Certitudo igitur in illo demonſtrata eſt ſermone. Dicẽtur autem hoc quoque tractatu ea quæ ſunt valde neceſſaria.ſunt enim huiuſmodi. Gallorum inuaſionem per quam capta eſt Roma,fuiſſe ferè inter omnes conſtat imperante Athenis Pyrgione, anno primo octauæ & nonageſimæ Olympiadis. Tempus autem ante eam deductum ad Lucium Iunium Brutum , & Lucium Tarquinium Collatinum , primos Romæ conſules poſt regni diſſolutionem, annos cepit centum & viginti. Oſtenditur autem hoc cùm ex multis aliis, tum ex monumentis cenſuariis vocatis,quæ filius à patre ſuſcipit. Magníque æſtimant hi viri,ea poſteris ſuis tanquam ſacra paterna tradere. Multi verò ex cenſoriis ſunt domibus viri illuſtres,qui ea conſeruãt: in quibus quidem inuenio,anno ante vrbem captam luſtrum ſecundum à populo Romano factum : cui adſcriptum eſt , ſicut & aliis, hoc tempus conſulibus Lucio Valerio Potito, & Tito Manlio Capitolino , poſt eiectionem regum anno centeſimo decimonono:ita vt Gallicam inuaſionem,quam ſecundo anno eius luſtri fuiſſe inuenimus,centum & viginti annis expletis fuiſſe appareat. Si autem hoc tẽporis ſpatium, triginta Olympiadum eſſe inuenitur: confiteri neceſſe eſt,qui primi creati ſunt conſules imperante Athenis Iſagro,conſulatum iniſſe anno primo octauæ & ſexageſimæ Olympiadis. Atqui ab eiectione regum vſque ad Romulum primum regem relatum tempus ducentos & quadringentaquatuor explet annos. Hoc autem cognoſcitur ex ſucceſſoribus regum,& annis quibus vnuſquiſque imperium tenuit. Nam Romulus quidem vrbis conditor ſeptem & triginta annos tenuiſſe imperium dicitur: póſtque eum ſine rege vrbs fuiſſe tẽpus annuum: Rex deinde creatus à populo Numa Pompilius tres & quadraginta regnauit annos. Tullus Hoſtilius poſt Numam annos duos & triginta. Qui verò poſt eum regnauit Ancus Martius, quinque & viginti. Poſt Martium Tarquinius Priſcus vocatus octo & triginta: Succedens Seruius Tullius quatuor & quadraginta: Seruium autem interficiens Lucius Tarquinius vir tyrannicus,& ob iuſtitiæ contemptum ſuperbus cognominatus,ad quintum vſque & vigeſimũ annum produxiſſe dominatum dicitur.Annis autem ducentis & quadragintaquatuor quibus reges imperarunt, vnam & ſexaginta Olympiadas conficientibus,neceſſe eſt omnino primum vrbi imperantem Romulum anno primo ſeptimæ Olympiadis imperium ſuſcepiſſe, præſidẽte Athenis Charopo,decennij annum primum.Hoc enim computatio annorum exigit. Quod autem ſuprà ſcriptos annos vnuſquiſque regũ imperarit, illo altero ſermone declaratũ eſt mihi. Hæc qui legit intelligat:quod vt facilius fiat,illud præfari opportunum viſum eſt,in conciliandis Grẹcorum per Olympiades calculis vnà cum vrbis Romæ natalibus,primum obſeruandum eſſe, vtra earum alteram præceſſerit,quãtóve annorum interuallo. Quod vt breuibus abſoluam, id pro comperto habendum eſt,à prima Græcorũ Olympiade ad exordium vrbis cõditæ annos interceſsiſſe quatuor & viginti,qui ſex perficiunt Olympiades.Id quod Eratoſthenem non latuit, qui ad primũ ſeptimæ Olympiadis annum,excluſo tamen termino, natalem vrbis Romæ prorogauit. Recte enim ait Dionyſius incorruptas extare regulas

regulas,quibus vſus eſt Eratoſthenes, quemadmodũ dirigere poſſet aliquis tempora Romanorum ad Græca. Minime itaque Lucius Cincius audiendus eſt,qui in quartum duodecimæ Olympiadis annum, vrbis natalem retruſit.Sed nec ſcopum attigit Fabius primum octauæ Olympiadis annũ deſignans. Polybius vero Megalopolitanus dũ annum ſecundum ſeptimæ Olympiadis vrbis natalitio adfigere tentat, duobus,ſi terminum includas,fallitur annis. Rectè igitur Dionyſius rem totam concluſit hoc axiomate,Annis ducentis quadraginta quatuor quibus reges imperarunt,vnã & ſexaginta Olympiadas con ficientibus:neceſſe eſt omnino primum vrbi imperantẽ Romulum, anno primo ſeptimæ Olympiadis imperium ſuſcepiſſe, imperante Athenis Charopo.hoc enim computatio annorum exigit.

A prima Olympiadum inauguratione ad vrbis natalẽ, poſteriori termino excluſo,ſex interſunt Olympiades, ſeu anni quatuor & viginti. Ab vrbis natalitio ad creatos conſules,Iunium ſcilicet Brutum & Lucium Tarquiniũ Collatinum,poſt exploſos reges, anni centum & viginti,ſeu Olympiades triginta.Id approbat Dionyſi⁹ his verbis:Si autem hoc temporis ſpatium triginta Olympiadũ eſſe inuenitur,confiteri neceſſe eſt &c. Quo ſpatio centum & viginti enumerat annos. Ab vrbe condita ad exactos reges,ſeu primum creatos conſules,anni ducenti & quadraginta quatuor:ſeu Olympiades ſexaginta:qui attingunt octauæ & ſexageſimæ Olympiadis annum primum, excluſo termino.Qui numerus annorum colligitur ex verbis Dionyſij ſingulorum regum tempora enumerantis.

His adiunge à prima conſulum inauguratione ad ruinam vrbis Romæ à Gallis vaſtatæ & dirutæ, annos centum viginti, qui triginta ex æquo perficiunt Olympiades. protinus occurret annus octauæ & nonageſimæ Olympiadis, quo primum à Gallis diruta Roma fuit. Anno igitur primo octauę & nonageſimæ Olympiadis, vt recte Dionyſius ſupputat,(& id quidem fere inter omnes cõſtat) imperãte Athenis Pyrgione,Roma ſeptem obſeſſa imò & poſſeſſa præter capitolium menſibus,excidium paſſa eſt. Et hic fuit annus ab vrbe condita 364.ſex Olympiadibus extra numerum abiectis. Quem calculum Plutarchus in Camillo(tametſi non prorſus exactè)ſecutus,ait,Anno trecenteſimo & ſexageſimo,& paulo plus, nempe quatuor annis adiectis,ab vrbe condita,Roma à Gallis capta eſt.Cui etiam ſummæ accedit Plinius libro 33. cap.1.Hoc ipſum teſtatur Paulus Oroſius libri tertij cap.1.Anno inquiens ab vrbe condita 364. quem annum ſicut grauiſsimum,propter ignotam ſibi captiuitatem Roma perſenſit, ita magnificum propter inſolitam pacem Græcia habuit.Neque id diffitetur Eutropius libro 2. qui anno 365. ab vrbe condita, poſt captam autem Romam primo,mutatas fuiſſe dignitates aſſeuerãter pronunciat. Et hæc eſt æra cladis Romanæ à Gallis Senonibus acceptæ: quæ incidit in annum ab orbe creato iuxta calculum in Iſagoge noſtra chronographica probatum ac demonſtratum, 3662. vno plus minus anno, cum ducentis ante hunc annis Bellouęſus Gallorum dux (cuius meminit Liuius) Ciſalpinam Galliam hucuſque ita appellatam tranſcenſis Alpibus occupaſſet. Quod ſi ab hoc numero vrbis cõditę annos exemeris ducẽtos,occurret tibi vrbis natalitius 164.cui in ſeculauribus annis reſpõdet numer⁹ iuxta noſtrã ſupputationẽ 3462. anno plus minus vno. Parũ enĩ refert,an terminũ excludas,an potius includas:& hic quoq; annus eſt ante Chriſtianũ natalẽ octogeſim⁹ ſeptim⁹

D

à trecenteſimo:cui ſummę ſi adieceris ducẽtos à Belloueſi trãs alpes profectione annos,conficies annos 587.quem calculum agnoſcit Bonauenrura Caſtillioneus in ſuæ de Inſubribus hiſtoriæ contexru. Liuius ad hoc tempus rrecentos tantum ac ſexaginta annos reponit:cũ ramen quatuor ad cumulum perficiẽdum ſuperſinr ex calculo nuper probato:quem etiã Plurarchus numerum in ambiguo reliquir.Sed id frequẽter accidit apud authores, vt deſcripta craſsiore ſumma, fragmẽtum aliquod negligatur: addendũ alioqui fuerat quatuor annorum excrementum.Hæc igitur erit paucis cõcluſa, annorũ vrbis,vnà cum Olympiadum ſerie,nulla ex parte ſubſultans,ſymphonia.

Anni vrbis conditæ ad Brennum	364
Conſtituunt Olympiades	91

Adde Olympiades ſex anre vrbis natalem emergentes, exurget numerus olympiadum 97. Sic fir vt Brennus Romam occupauerit Olympiade nonageſima octaua inchoante,ſeptima vero complera.

Aufer Olympiades quinquaginta,qui ſunr amni ducenti:remanẽt Olympiades quadraginta ſeptem,quibus elapſis Belloueſus tranſcendit Alpes,Olympiade ſcilicer quadrageſima octaua inchoante.

ADVERSVS GALLICI NOMINIS AEMVLATOres Apologetica Perioche quinta.

Dec.1.lib.5. NVNC reſtat Liuiana ſubtexere verba,quæ ad hunc modũ ſe habent. Tum Senones recentiſsimi aduenarum ab Vſente flumine vſque ad Atheſim fines habuere. Hanc gẽtem Cluſium,Romámque inde veniſſe comperio : id parũ certum eſt,ſolám ne, an ab omnibus Ciſalpinorũ Gallorum populis adiutam.Cluſini nouo bello exterriti, cum multitudinẽ,cum formas hominum inuſitatas cernerent,& genus armorum:audiréntque ſæpe ab his cis Padum,vltráque, legiones Herruſcorum fuſas : quanquam aduerſus Romanos nullũ eis ius ſocietatis amicitiæve erat, niſi quòd Veienres conſanguineos aduerſus populum Romanum non defendiſſenr,legatos Romam, qui ab ſenatu auxilium peterent,miſere. De auxilio nihil impetratum.Legati rres M. Fabij Ambuſti filij miſsi,qui Senatus populíque Romani nomine agerent cum Gallis, ne à quibus nullam iniuriam accepiſſent, ſocios populi Romani atque amicos oppugnarenr. Romanis eos bello quoque, ſi res cogar, tuendos eſſe:ſed melius viſum,bellum ipſum amoueri, ſi poſſet, & Gallos nouam genrem pace potius cognoſci,quàm armis.Mitis legatio,ni pręferoces legatos, Gallíſque magis quàm Romanis ſimiles habuiſſet. quibus poſtquam mandata ediderunt in cõcilio Gallorum, datur reſponſum: Erſi nouum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes eſſe,quorũ auxiliũ à Cluſinis in re trepida ſit imploratũ. & quoniã legatione aduerſus ſe maluerint quàm armis tueri ſocios, ne ſe quidem pacem,quam illi afferant,aſpernari, ſi Gallis egentibus agro,quem latius poſsideant quàm colant Cluſini, partem finiũ concedant:aliter pacem impetrari non poſſe.& reſponſum, coram Romanis ſe accipere velle:& ſi negetur ager,coram iiſdem Romanis dimicaturos,vr nuntiare domum poſsint quantũ Galli virtute cæteros mortales præſtarenr.Quodnã id ius eſſe,agrũ à poſſeſſoribus petere, aut minari arma,Romanis quærẽtibus, ecquid in Hetruria rei Gallis eſſet?cũ illi ſe in armis ius ferre, & omnia fortiũ virorũ eſſe ferociter dicerent,accenſis vtrinque animis ad arma diſcurritur,& præliũ con-

ſeritur, ibi, iam vrgentibus Romanam vrbem fatis, legati contra ius gentium arma capiunt: nec id clàm eſſe potuit, cũ ante ſigna Hetruſcorum, tres nobiliſsimi fortiſsimíque Romanæ iuuentutis pugnarẽt. tantum eminebat peregrina virtus. Quinetiam Qu. Fabius euectus extra aciem equo, ducem Gallorum ferociter in ipſa ſigna Hetruſcorum incurſantem, per latus transfixum haſta occidit: ſpoliáque eius legentem Galli agnouere, pérque totam aciem Romanum legatũ eſſe, ſignum datum eſt. Omiſſa inde in Cluſinos ira, receptui canunt, minantes Romanis. Erant qui extemplo Romam eundum cenſerent. Vicere ſeniores, vt legati prius mitterentur queſtum iniurias, poſtulatúmque, vt pro iure gentium violato Fabij dederentur. Legati Gallorum cum ea ſicut erant mandata expoſuiſſent: ſenatui nec factũ placebat Fabiorum, & ius poſtulare barbari videbantur. ſed ne id quod placebat, decerneret, in tãtæ nobilitatis viris ambitio obſtabat. itaque ne penes ipſos culpa eſſet cladis fortè Gallico bello acceptæ, cognitionem de poſtulatis Gallorum ad populum reiiciunt. vbi tanto plus gratia atque opes valuere, vt quorum de pœna agebatur, tribuni militum conſulari poteſtate in ſequentem annum crearentur. quo facto haud ſecus quàm dignum erat infenſi Galli, bellum propalam minãtes, ad ſuos redeunt. Tribuni militum cum tribus Fabiis creati P. Sulpitius longus, Q. Seruilius quartũ, P. Seruilius Maluginenſis. Cum tãta moles mali inſtaret (adeo obcæcat animos fortuna, vbi vim ſuã ingruentem refringi non vult) ciuitas, quæ aduerſus fidenatem ac Veientem hoſtẽ, alióſque finitimos populos vltima experiens auxilia, dictatorem multis tempeſtatibus dixiſſet: ea tunc inuſitato atque inaudito hoſte, ab oceano terrarũque vltimis oris bellum ciente, nihil extraordinarij imperij aut auxilij quęſiuit. Tribuni, quorũ temeritate bellum contractum erat, ſummæ rerum præerant: delectúmque nihilo accuratiorẽ, quàm ad media bella haberi ſolitus erat, extenuantes etiam famam belli, habebant. Interim Galli, poſtquã accepere vltro honorem habitũ violatoribus iuris humani, eluſámque ſuã legationẽ eſſe, flagrantes ira, cuius impotens eſt genus, confeſtim ſignis conuulſis, citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum prætereuntium raptim tumultum cũ exterritæ vrbes ad arma concurrerent, fugáque agreſtium fieret: Romam ſe ire magno clamore ſignificabant, quacunque ibant, equis viriſque longè ac latè fuſo agmine immenſum obtinentes loci. Sed antecedente fama, nuntiiſque Cluſinorum, deinceps inde aliorum populorum, plurimum terroris Romã celeritas hoſtiũ tulit, quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto ægrè ad vndecimum lapidem occurſum eſt, quà flumen Allia Cruſtuminis montibus præalto defluens alueo, haud multum infra viam Tiberino amni miſcetur. Hic Liuius ſuo more, nempe ſcorpionico, Gallicã gentem aculeato vulnere pungit: quam vt iniuriæ impatientem obliquè taxat. qui ſi in ſeipſum ſuorũque mentem deſcendiſſet, planè agnouiſſet, candidioris eſſe animi, temere conceptam iram cito deponere, quàm ſemel conceptum odium, neque ſumpta etiã vindicta, ad extremum vitæ terminum prorogare: id quod eſt ſuæ genti admodum peculiare, ac prope quotidianũ. Ambuſtus (inquit ille) Fabius ſimiles cum Gallis mores induit: ſed vtinam nõ deteriores attuliſſet. nempe & tenacem iniuriæ animũ, & iuris gentium violati iniuriam indelebilem: multáque cæde & ſanguine vix ſatis expiatam. Quæ iniuria quanti illis conſtiterit: vno omnes ore pronuntiant authores, inque his potiſsimũ poſt Trogum Pompeium Iuſtin⁹. Hic cũ quanta

maxima animi attentione, apud me conſidero Liuianã energiam: inquirens qua forte ratione malè audire queat Brenno duce Gallicus exercitus, inuenio tandem illud potuiſſe vitio verti, ꝙ nihil cõmune cum Hetruſcis habens toto penè orbe diſsita gens ab eis armis (niſi pacẽ malint) nouas eò loci ſedes extorquere contẽderint: quaſi vero ius tantum ſit in armis. Id certe non caret iure expoſtulationis æquiſſimo, ſi ab his fieret, qui non grauiore multo ſcelere laborarent. Quis enim libens audiat Gracchos de ſeditione querentes? ſeu ſi Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegũ? Hi certe ipſi accuſatores Romani, ſi ob oculos quod à tergo eſt manticæ reponerent: ſibi haud dubiè perpetuum indicerent ſilentiũ, propria cũ gente tot annos continua bella gerentes, ínque ſua ipſorũ viſcera ſtringentes gladiũ, & (quod dici ſolet) falcẽ mittentes in meſſem alienã. priſcos etiã poſſeſſores, noui ipſi homines, ac latronũ vndecunque congeſtorũ fœda colluuies, lupina quadã rabie vicinos omnes à ſuis ſedibus exturbantes, aut vulpina fraude ſub vafro quodã prætextu allectam viciniã in propriã (vti piſcatores ſolent) naſſam ſagenámve leuiter propellentes. Teſtes ſunt Sabin, Fidenates, teſtes Volſci, Veij: & qui ad annorũ pluſq̃ chiliadẽ, vſque ad Syllæ tẽpora, peſsimè habiti ſunt Samnites: adeo vt hodie quæratur in Samnio Samniũ. Et tamen ſi ſuperis placet, hoc eos malè habet, quòd externi & peregrini viri pacẽ prius offerentes quàm bellum, ab ipſis etiã inuitati Hetruſcis obnixè requirant agros vacantes, atque etiã redundãtes, qui aliàs in nullius bonis eſſent, quos nec Cluſini ipſi (tanta apud eos cultorum erat inopia) oberrare vt ne dicã colere potuiſſent, ideoque iure gentiũ cõmuni efficiuntur occupantis. Non hoc eſt colare culicem, & vorare elephantum? Hic ſiquando aliàs, obſeruare debuerant eum qui vocem reprimit, digitóque ſilentia ſuadet, cum fraterno apud eos primi maduiſſent ſanguine muri. Non quòd hac in parte laudẽ Gallicę gentis feritatem, cui Chriſtianæ pietatis ſplendor nondũ illuxerat: ſed quòd eos à Romanorũ in vicinos pluſquam barbarica feritate iuſtificandos aſſerere auſim. Aut igitur ab improperiis deſiſtant, aut ſibiipſis ius dicentes, larua æquitatis reiecta ac ſemota ſe primum accuſent, ſi nolint pro lamiis haberi: quæ cum ſint domi cæcæ, foris ſe præbent oculatas. Quod autẽ ad rabiem lupinam attinet: audiendus eſt in hac parte Iuſtinus Hiſtoricus. ſic enim ille ait lib. 38. Romani (inquit) tales reges habuerunt, quorum ipſi nominibus erubeſcunt, aut paſtores Aboriginũ, aut Aruſpices Sabinorum, aux exules Corinthiorum, aut ſeruos vernáſque Thuſcorum: aut, quod honoratiſsimum nomẽ fuit inter hos, ſuperbos: atque vt ipſi ferunt cõditores ſuos lupę vberibus alitos: ſic omnem illum populum luporum animos habere, inexplebiles ſanguinis atque imperij, diuitiarúmque auidos ac ieiunos. Porro de vulpina vafritie quid attinet dicere? cum Romanæ parens eloquentiæ Cicero diſertis eam verbis damnauerit calumniæ, Qu. Fabium Labeonem his verbis traducens officiorũ primo. Nec noſter quidem probandus eſt, ſi verum eſt Quintum Fabium Labeonem, ſeu quem aliũ (nihil enim pręter auditum habeo) arbitrũ Nolanis & Neapolitanis de finibus agri à ſenatu datum, cum ad locũ veniſſet, cum vtriſque ſeparatim locutũ, vt ne cupide quid agerẽt, ne quid appeterẽt: atq; vt regredi q̃ ꝓgredi mallẽt. Id cũ vtrique feciſsẽt, aliquãtũ agri in medio relictũ eſt. Itaq; illorũ fines ſicut ipſi dixerãt terminauit: in medio qđ erat relictũ, populo Romano adiudicauit. decipere hoc quidẽ, nõ iudicare eſt. Quocirca in omni re fugiẽda eſt talis ſolertia. Huiuſmodi itaq; culpa, aut certè gra

uiori carere oportet,q̃ in aliũ dicere paratus eſt: ne id audire cogatur.

Cum tua peruideas oculis male lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Porro quàm perpetuò fuerint ad excitãda diſsidia proni, teſtatur Halicarnaſſeus. Erat (inquiens) circulare hoc vrbi & conſuetum, vt bellum gerens concors eſſet, pacem agẽs ſeditioſa. Sic fieri neceſſe erat, vt vel domi vel foris bellum gereret. propter quod & illud ſubiungit. Quieſcentibus aduerſariis, parabãt Romani expoſtulationes, materiamq́ue bellorum: vt qui viderenr per bella ingentem felicémque euadere vrbem, per ſeditiones autem humilem ac imbecillẽ. Dies me deficeret enarrantem ac enumerare volẽtem, vrbes à Romanis ſolo æquatas, prædas ac ſacrilegia, direptiones, orbitates, flagitiáque innumera nullo nõ ſæuitiæ feritatíſque genere perpetrata: ídque in eos qui innocentiſsime ſemper vixiſſent, neque aliud contenderẽt quàm quæſitam ab omni æuo tueri libertatem. Atqui non bene pro toto libertas venditur auro. Quanto minus à nolente innoxióque ac inuito per ſummam improbitatem extorquetur. Nec ob aliam cauſam manus eorum erant contra omnes, manúſque omnium aduerſus eos. Quin eò quoque deuentum eſt, vt in propria ipſi viſcera gladiũ ſtrinxerint. Vnde & illud decantatiſsimum carmen prodiit:

Heu quantum terræ potuit pelagíque parari
His quæ fraterno maduerunt ſanguine dextræ?

Sed id longo pòſt tẽpore accidit, vt interim de Coriolani Martiíque ducum illuſtriſsimorum, aduerſus Romanos paratiſsima vindicta taceam. Adeò irrequieto ſemper fuerũt animo, vt perpetua inter ſe ſeditiõe laborarẽt. Sed de hac re plus ſatis. Non ſum ego neſcius, illud apud coniuratos Gallici nominis hoſtes, eſſe receptiſsimum (cui tamen ſententiæ non lubens acceſſero) quod aiunt Camillum pauca interiecta mora, poſteaquam Galli pactum auri pondus in ſuo lucro numeraſſent, prędam illam vi ſubita ac inſperata è manibus eripuiſſe. Ego vero in diuerſum, nõ leuem quæ ex Polybio in manibus eſt, proferre poſsim coniecturam: quæ ſi in totum non euincat, rem tamen in ambiguo relinquere poſsit, tutiúſque perſuadeat rem ipſam in medio relinquere, quàm in vtramuis partem temere inclinare. Boij (inquit ille) gens Gallica ſimul dant fidem, ſe ſocios belli futuros, res geſtas maiorum ſuorum in memoriam reuocant, eos nõ ſolum prælio olim fudiſſe Romanos, verumetiam poſt pręlium incredibili celeritate vrbem poſſediſſe: dehinc rebus omnibus quarum ea vrbs refertiſsima, potitos: cum in ea menſibus ſeptem imperaſſent, ſpõte reſtituto Romanis imperio, integris omnibus fortunis ſuis fœliciter in patriã reuerſos. Sed hæc (inquies) iactantes commentitiè effutiebant Galli, (de ſe ſi creditur illis) Ego vero contrà, ſi vetuſta illa ætas fidem apud auditores nullam inueniſſet, quid conduxiſſet iácere rete ante oculos pennatorũ? aut cur potius fidem merebũtur hoſtilia cõmenta, q̃ in re quæ neminẽ latebat, Gallica aſſertio? Ad hoc facit, quod nec Liuius ipſe id ꝓ certo haberi velit, qui illud ante omnia prȩfatur ſe nihil prȩter auditũ habere, ſuã in hoc fidẽ liberans, ínq; monitorẽ, quiſquis ille fuerit, in hiſtoriã relata reiiciens. Satius itaq; fuerit huiuſmodi facin⁹, an ita, ſecúſve geſtũ fuerit, in medio relinquere. Alioquin quid attinebat de recepto auri prætio gloriari, ſi veluti corui hiantes deluſi ingeſtum cibũ ſtatim reuomere cõpulſi fuiſſent? Atqui ex Silio conſtat Chrixũ multo pòſt tẽpore magno faſtu hoc nomine gloriatũ, q̃ ꝓgo-

nitores ſui auro olim Romano ditati fuiſſent. Sic enim ait in qu arto.

Boiorum ante alias Chrixo duce mobilis ala
Arietat in primos, obicítque immania membra:
Ipſe tumens ataui Brenni ſe ſtirpe ferebat
Chrixus: & in titulos capitolia capta trahebat,
Tarpeioque iugo demens & vertice ſacro
Penſanteis aurum Celtas vmbone ferebat.

Sed nec illud vanitate caret, quod quidã aiunt, Piſaurum oppidum à penſando auro fuiſſe appellatũ: cũ cuiuis vel è triuio cõſtet, à fluuio ſubiacente Piſauro dictum fuiſſe, qui fluuius ante oppidum perennis erat. Tu igitur cordate lector crimine ab hoc vno cętera diſce. Romę enim penſatũ fuit aurũ, non vſquam alibi. Sed & illud obiter dicendũ occurrit, non tam ære proprio, quàm Gallico Romanos fuiſſe redẽptos. Debent itaque Romani Gallis Senonibus, eorúmq; clementiæ, vitæ & opum ſuarũ redemptionẽ: Gallis vero Maſsilienſibus, ſuæ redemptionis precium. Sícque Gallica vna manus illis vulnus opémq; tulit. Quid igitur non debent, qui opes ſuámque libertatẽ, atque adeo ipſam debent animã? Mira & omnibus antea ſeculis inaudita ingratitudo, iſthæc hactenus diſsimulaſſe, ac pro gratia, cõuitia retuliſſe. Si ingrati eſt hominis nõ profiteri à quo beneficiũ acceperit, q̃ immane eſt pro beneficiis acceptis cõuitia repẽdere? Quòd ſi quis id quod dictum eſt diffireatur, teſtẽ proferam hac in re locupletiſsimum Trogi epitomatarium Iuſtinũ, qui lib. 43. ſic ait: Parta pace, & ſecuritate fundata, reuertentes à Delphis Maſsilienſium legati, quò miſsi munera Apollini tulerant, audiuerant vrbem Romam à Gallis captam incenſamque. Quam rem nunciatam domi publico funere Maſsilieſes proſequuti ſunt: aurúmque & argentum publicum & priuatum contulerunt ad explendum pondus Gallis, à quibus redemptam pacem cognouerant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus ſpectaculorũ in ſenatu datus, & fœdus æquo iure percuſſum. Meritò

Pſal. 34. igitur Gallia cum ingratis expoſtulare poterit his verbis. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem. Vt autem ſuæ impoſturæ fomenta adaugeant, ipſi alioqui penitus inexcuſabiles, nihil aliud quàm fumos offundere oculis ſumma cura nituntur. Aiunt fidem violatam in repetendo per vim etiam apertam pacto ac iurato redẽptæ libertatis pretio, ita demum iure excuſari potuiſſe, & quæ inconſulto principe ac dictatore fiunt, etiamſi ſacramento firmata fuerint, rata non haberi. Furius autem (vt videri volunt) Camillus, inter moras obſidionis Capitolinæ per internuntium quendam dictator declaratus eſt. Sed hanc fabulam vnico verbo confutat Polybius: veritati potius quàm aſſentationi addictus: qui ait Gallos domeſtico bello auerſos, fœdere cum Romanis percuſſo, reſtitutáque libertate vrbi domũ abiiſſe. Sabellicus (ne in luto diutius hæreat) non audet fateri aurum Gallis fuiſſe appenſum, ſed cœpiſſe appendi. Alioqui (inquit) neceſſe eſt fateri Romanos auro fuiſſe redemptos. quod (inquit) gratiæ miror à Liuio fuiſſe traditũ. Vides vt hæc vacillantia verba, ſibipſis fidẽ derogent. Procedat igitur directa in aduerſariũ acie iſtud dilemma: Polybius nullo aduerſus quempiã liuore perfuſus, vnam pro ſcopo veritatem retinens, planè aſſerit Gallos recepto redemptæ captiuitatis auro in propria conceſsiſſe. Liuius Gallico nomini nunquam non infenſus, id modo ait, modo negat. Qui & ipſe Camillum ita loquentem refert: Ob gentium ius à legatis noſtris violatum, à vobis cum vindicari deberet, negligẽtia deorum

prætermiſſum,victi,captique ac redempti,tantum pœnarum diis hominibuſque dedimus, vt terrarum orbi documento eſſemus. Ex his quis nō colligat manifeſtam in Liuio antilogiā: qui vno loco ait Romam fuiſſe redemptam: alio vero antequam redimeretur liberatam? Vincat igitur in Polybio veritas, faceſſatque in vacillante Liuio technis obumbrata vanitas. Quod ſi Polybium vera referentem audimus: protinus euaneſcet fictitium illud ex Plinio commentum Liuio prodromo in lucem emiſſum lib.33. his verbis: Romæ quondam non fuit aurum niſi admodū exiguum,longo tempore. Certè cum à Gallis capta vrbe pax emeretur, non plus quàm mille pondo effici potuere. Nec ignoro M. Craſſum duo milia pondo auri rapuiſſe ſuo, & Pompeij tertio conſulatu,è Capitolini Iouis ſolio, à Camillo ibi condita,& ideo à pleriſque exiſtimari duo milia pōdo collata. Sed quod acceſsit, Gallorum præda fuit, detractumque ab his in parte captæ vrbis delubris. Gallos autem cum auro pugnare ſolitos, Torquatus indicio eſt. Apparet ergo Gallorum templorumque tantundem nec amplius fuiſſe. Quod quidem in augurio intellectum eſt, cum Capitolinus duplum reddidiſſet. Splendidum iſtud perſpicuumque de auro à Gallis per Romanos ſurreptitiè recuperato,promptiſſimè eliditur & eluditur ex deflorata à vetuſtis authoribus per Hugonē Floriacenſem, perque Raphaëlem Volaterranum, luculenter hiſtoria. Ait Hugo ille Foriacenſis: Hac tempeſtate trecenta millia Gallorum ad ſedes nouas quærendas profecti, duce Brenno vrbem Romam inuaſerunt: & plurimis Romanorum interfectis, arcē Capitolij obſidione cinxerunt, ibique diu morati ſunt: ſed mille libras auri præmiū diſceſſionis à Romanis ſuſcipientes,mox diuerſis agminibus alij Græciam,alij Macedoniam,alij Thraciā petiuerunt: & ſua prole, velut quodam examine,totam Aſiam repleuerūt. Tantuſque terror Gâllici nominis, & armorum inuicta fœlicitas erat in illis diebus, vt non reges Orientis ſine mercenario Gallorum exercitu vlla bella gerere præſumerent, neque pulſi regno ad alios quàm ad Gallos confugerent. Non enim aliter maieſtatem ſuam tutam, neque amiſſam recuperare ſe poſſe,niſi Gallica virtute arbitrabantur.Itaque in auxilium à Rege Bythyniæ vocati, regnum cum eo peracta victoria diuiſerunt: eamque regionem Gallogræciam cognominauerunt. Hæc nunc de Gallis,quorum virtus ſilentio tegenda non erat, breuiter ingeſſiſſe ſufficiat. Hactenus ille. Si ergo aurum illud inter ſe Galli diuiſerūt,qui fieri potuit vt Camillus in ipſo redemptionis Romanorum momēto, ſubitò aurum illud abſtulerit,vt pſeudographi illi in literas retulerunt? Qui & ipſi mendacium mendacio tegere volentes,aliam ſibi rimam ſubterfugij quæſierunt, dum aiunt Claudium Cepionem poſt multa tempora redemptitium illud aurum recuperaſſe à Gallis Tectoſagibus. Quomodo igitur recuperatū eſt poſt multa tempora aurum obſtāte Camillo ſurreptitiè dum ponderaretur ablatū? Hanc pſeudographi illi antilogiam, ſi poterunt,diſſoluant: aut pudore ſuffuſi, palpabilem ſuum errorem agnoſcant. Credendum igitur Polybio ſinceram veritatem narranti potius quàm Plinio poſt Liuium à recta deflectenti. Pari cenſura expungendum videtur, quod quidam aiūt duas illas auri chiliades clàm ſurreptas fuiſſe ſuppoſito eiuſdem pondere ære maiore quàm apud Delphicū templum ſacrilegio. Sic enim acceſſit ſacrilegio impoſtura, cum in templo Saturni, Romaniſque ſacroſancto ærario, pro Chryſeis chalcea clandeſtina ſupponuntur. Alioqui iuſtificatur apud Delphicum templum,à Gallis per-

petrata expilatio. ad illud enim neceſsitas compulit, iſtud auri ſacra fames à ſummatibus Romanorum animo concepta perſuaſit. Vt autem ω ad α redeat, non eſt vnde gloriari Camillus poſsit ſuper ſurrepta potius quàm aperto marte adepta victoria: cum Manlius ipſe Torquatus id vitio verterit: ita enim pro Manlio Capitolino rhetoricatur Sabellicus, patriàm à Camillo nunquam recuperari potuiſſe, ſi non Capitolium defenſum eſſet. Gallos præterea inter aurum accipiendum & ſpem incautos, velut inſidiis ab eo oppreſſos, è Capitolio ex arce iam capta deieciſſe.

An non id erat fraudem texere potius quàm ſtrenuum bellum gerere, videlicet inter colloquia pacis, inita iam conuentione, ex inſidiis imprudentem hoſtem adoriri? Quod autem ait Gallos ad octauum lapidem Gabina via ſeſe ex fuga tranſtuliſſe, duduque Camilli ita cæſos proſtratóſque fuiſſe, vt ne nuncius quidem cladis relictus ſupereſſet: id certè pugnat cum eo quod non multo poſt ex verbis Camilli ſequitur: Quid reſtat niſi vt ſi iam nouis copiis veniãt, (conſtat enim vix credibilem multitudinẽ eſſe) & habitare in capta ab ſe, deſerta à vobis hac vrbe velint, ſinatis? Non igitur fuſi tum temporis erant, funditúſque ad internecionẽ perempti Galli: cum multo poſt tempore Brẽnus vſque ad templi Delphici direptionem ſuperfuerit: quandoquidem vt ex Trogi ſententia Iuſtinus ait, Galli abundanti multitudine, cum eos non caperent terræ quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedes nouas quærẽdas velut peregrinatum miſerunt. Ex iis portio in Italia conſedit, quæ & vrbem Romam captam incendit: & portio Illyricos ſinus ducibus auibus (nam augurandi ſtudio Galli præter cæteros callẽt) per ſtrages barbarorum penetrauit: & in Pannonia conſedit: gens aſpera, audax, bellicoſa: quæ prima poſt Herculem (cui ea res virtutis admirationem, & immortalitatis fidem dedit) Alpium inuicta iuga, & frigore intractabilia lòca tranſcendit. Ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella geſſerunt. Hortãte deinde ſucceſſu, diuiſis agminibus alij Græciam, alij Macedoniam, omnia ferro protetentes, petiuere: tantúſque terror Gallici nominis erat, vt etiam reges non laceſſiti vltro pacem ingenti pecunia mercarentur. Quòd autem Romulus alter non ſine ingenti faſtu appelletur Camillus, id quidem non recuſamus, verùm alia longe quàm ipſi hactenus exiſtimauerint ratione. Prior enim Romulus parricidio Romam condidit, iſte fœdifragio à Gallis dirutam reſtaurauit. Authore priore Romulo, Fraterno primi maduerunt ſanguine muri: veteratore Camillo potius, quàm dictatore, iure gentium violato, vltima de ſuperis terram hanc aſtræa reliquit. Primus ille rex fuit ſanguinariorum latronum: hic dictator primus fraudíſque dolíque. Fabius Ambuſtus per ſummum nephas ex legato pacis verſus eſt in hoſtem: Camillus Furius turpi fœdifragio contra ius naturæ, quo pacta ſeruanda erant, ſuam apud Romanos fœdauir dictaturam, notáque inuſſit, atque atro carbone notauit. Eant nunc & glorientur vtroque & rege Romulo & dictatore Camillo præpoſteré. Quin potius, attentius ſecum cogitent, longo iam vſu detritum adagium, Mendacem memorem eſſe oportet. Si enim liberi non erant in contrahendo Romani, vnde illis libertas in dictatore eligendo? Quid quòd dictatoris electionem pacta ac iurata de penſando auro conuentio præceſsit? Quî igitur fieri potuir, vt ſanctum ac inuiolabile fœdus nullo adhuc dictatore ſuperſtite infirmari potuerit? Dictaturam certè præceſsit obligatio, non dictatura obliga-

tionem. Vides quanta ſit in libidine mentiendi cæcitas: adeò vt nec ſeipſos audiant loquentes, qui huiuſmodi technas aſtruunt. Nullius certè ſubiacebant imperio, niſi Gallorum, quamdiu forent anguſta capitolij captiuitate detenti. Iuſtũ erat bellum, ob violatum ius gentium aſſumptum. Mitiſſimum erat redemptionis precium, plus gratiæ quàm rigoris in ſe continens, multis Romanorum precibus efflagitatum, piè clementerque conceſſum, potius quàm à Gallis extortum. Nullo aut inſtrumẽto aut teſtimonio publico conſtare poterat ſupereſſe quempiam, qui ſuo iure præſtitam fidẽ irritare poſſet. Cenſebantur itaque Romani ſuarum rerum domini ad pactũ conſtituendum: quãdoquidem (ex. l. Barbarius Philippus, iuxta quam communis error facit ius) præſumpta illa poteſtas etiam ſi non vera fuiſſet, in ſuo robore permanebat. Ad hæc tam multa accedit & iſtud, quòd dictatori (ſi vera refert Halicarnaſſeus) id oneris incumbit, vt ea iubeat & dictet, quæ dictanda viderit, quæ etiam iuſta pulchraque cæteris quemadmodum ei viderentur. Si quid ergo cæteris minus iuſtum videatur, id omnino dictare non poterit. Quis autem tam mentis eſt inops, vt dicat non eſſe ſtandum conuentis etiam perſanctè iuratis? Populo itaque Romano quod ſemel placuerat, ante electum præfectum dictaturæ magiſtratum, cum ſui iuris eſſet, omnino diſplicere non potuit. Si enim (vt Paulus ait) quæ ædificaui, iterum deſtruo: præuaricatorẽ me conſtituo. Et ſemel rite facta, pro infectis haberi nequeunt. Minimè itaque potuit Camillus populi Romani cum Gallis conuentionem ſubſequente etiam traditione, nutu ſuo aut renutu irritare. Neque enim ſeruis dictator imperat, ſed liberis. Eſt autem dictatura, regia quædam poteſtas, ſed exemptilis & temporaria, & quidem in homines liberos, ſed nec adeò ſeruos, vt de rebus ſuis ipſi diſponere nequeant. Potuit igitur rem ſuam quiſque familiarem pacto iurato obligare, obligatamque alienare, præſertim libertatis comparandæ, propriæque ſalutis conſequendæ gratia. Rei enim priuatæ dominium eſt in liberi hominis poteſtate, non principis. Seruus non ſibi ſed domino acquirit: liber autem ſibi, non item principi. Fixum ergo ſolidumque perſtabat de auro Gallis penſando præſtitum iuramentum, nullius poteſtatis interuentu irritabile. Qui contrà ſentiũt, nihil aliud quàm nubem in media ſolis ſtatione quærere videntur. Nam quod aiunt irrita eſſe pacta quæ iniuſſu principis fiunt, bis errãt. Primùm quòd ante creatũ principatũ dictaturæ ſtabilia eſſent: deinde quòd cum liberi forent Romani, de re quiſque ſua diſponere poterat & paciſci propriæ ſalutis aut quærẽdæ aut tuendæ gratia. Quòd ſi dicas intereſſe reipublicæ ne quis re ſua malè vtatur, id extra hãc cauſam eſt: cum ipſi Romani ipſiſſima eſſent reſpublica, cui ſcienti & volenti non fit iniuria neque dolus. Quòd ſi metum obiicias, quo interueniente videri poſſit ob voluntatis defectum extingui obligationem: ad id iam reſponſum eſt, poſt contractum factum & rei traditionem in accipientem tranſiiſſe dominium, præſertim poſt ius quæſitum à victoribus in victos in iuſto bello ob ius gentium violatum attentato. Id autem bona Liuij Patauini venia dictum velim, quòd quo ipſe ad nomen Gallicum arrodẽdum fuit propenſior, eo poſt Trogum Iuſtinus ad amplificandam fouendamque Galliæ cauſam erectior fuit atque attẽtior. Ille in arbitrio lectoris relinquit, an vini Rhetici guſtandi libidine Gallus allectus, Alpium ſumma iuga tranſcẽderit: cum tamen in cauſa Gallica candidior poſt Trogum Iuſtinus teſtatiſſimũ relinquat, vrgentiſſimæ neceſsitatis cauſa com-

ff. De off. præt.

Gal. 2.

pulſum,propriis relictis peregrinas ſibi quæſiſſe ſedes. Mědacij argui poteram, niſi id ex Iuſtini diſertis verbis paulò antè teſtatū reliquiſſem: nempe in Trogi ſententia & Iuſtini paraphraſtæ enarratione.
Matth.18. Atqui in ore duorum vel trium, ex certo & liquido quippiā aſſerentium,ex Chriſti domini ineluctabili ſummæ veritatis teſtimonio,ſtare debet omne verbum.Sed hoc eſt Liuio peculiare,vt ſit ad rem augendam Gallicam aut parum attentus,aut lubricus: ad extenuādam vero plus ſatis vigilans, & propenſus:ideoque ſuſpectum merito fuerit ipſius in cauſa Gallorum teſtimoniū. quod & ſupra me monuiſſe memini.nunc autem nec vanè nec ocioſè repetendum duxi. Si quid occurrit nota cenſoria dignum,vt nihil in orbe eſt vſquequaque perfectum, id pleno ore intonat Liuius ſuo more liuidus. vbi vero quod omnino negari non poſſit, ad Gallici nominis gloriam ſpectans ſe quippiam offert,literis commendandum: id omne vel cunctāter vel hæſitanter,aut certe tanquam obiter dictum,vix ſummis labiis attingere ſolet: ad conuitia buccinator pluſquam ſonorus: ad referenda quæ ad decorum ſpectant, aut mutus vt piſcis, aut certe vel piſtillo obtuſior,vel languidus totus, ac penè elinguis.

Mirum ſanè cuiuis videri debet,quòd cum ſaxea etiā monumenta fatiſcant, vulnus hoc vnum aduerſariorum pectori indiuulsè ſemper hæreat,imò perpetuo ſemper repullulet & reuireſcat,non tam à Gallicæ partis genio, qui acceptæ iniuriæ memoriam tam facilè à ſe ablegant,quàm leuiter conceperunt:quàm eorum qui conceptum ſemel odium vt à ſeipſis dimittant,perſuaderi non poſſunt. Huius rei teſtimonium ſi quis deſideret, Liuium audiat decadis quartæ lib. 8. Non ſum (inquit ille) poſtulaturus à vobis patres conſcripti, vt quæ communiter de immanitate gentis Gallorum, deque infeſtiſsimo in nomen Romanorum odio ſcitis: ea de illis quoque qui Aſiam incolunt exiſtimetis. Vides vt vbique occurrat Gallici nominis felle tincta memoria: quam pro comperta recenſet lib. 11. Silius Italicus hoc carmine.

Iam vero Eridani tumidiſsimus accola, Celtæ,
Incubuere malis iterum: veteriſque doloris
Tota ſe ſocios properarunt iungere mole.
Sed fas id Celtis,fas impia bella referre
Boiorum fuerit populis,Capuæ ne furorem
Quàm Senonum genti placuiſſe, & Dardana ab ortu
Mœnia barbarico nondum ſatiata tyranno?

Argumento ſunt quæ apud eos ſunt ſemper in ore buſta Gallorum, & Allienſis pugnæ dura ac dira memoria: quam ſecuta eſt in annalibus dierum qui nefaſti apud eos atrique dicuntur, plus ſatis ſuperſtitioſa religio.Sed hæc omnia facilè ſuperat eius qui Liuiani liuoris (vt ne aliud dicā)deflorator eſt,Lucij Flori canina facundia: qui in belli Gallici Epitomate nihil aliud quàm Gallicū nomen aut mordet aut arrodit libri primi cap. 13. Quo fit vt operæpretium me facturum exiſtimem ſi aſpergines illas plus ſatis vehementes, leui quadam apologetica ſpōgia detergere atque obliterare curauero. Primum itaque iræ impotens,nec ſe ſuis limitibus continēs, in deos ipſos inuehitur: idque in odium Gallici nominis, & merito illud quidem: quanuis id ipſe ignorauerit, orthodoxæ religionis expers: quoniam omnes dij
Pſal.95. gentium dæmonia, dominus autem cælos fecit. Similes itaque illis fiant,qui faciunt ea:& omnes qui confidunt in eis. In hoc tamen ſeque ſuoſque inſueto vicit errore: quòd cum illi nunquam audeāt ſuis

diis maledicere, præter morem ſua numina inuidiæ notare auſus ſit: cum tamen ſcriptum legamus: Tranſite ad inſulas Cethim &c. Sed non habet ira verecũdiam, neque erumpens furor:ſic ergo ait. Hinc ſiue inuidia deûm ſiue fato rapidiſſimus procurrentis imperij curſus parumper Gallorum Senonum incurſione ſupprimitur. Quid audio bone Flore? itáne audes Deos tuos modò inuidiæ ac liuoris, modò impotentiæ imprudentiæque ac ſtuporis inſimulare?tantæne animis cœleſtibus iræ,vt aut tabeſcant,aut rumpantur inuidia? Quòd ſi fati quadam neceſsitate, catenaque indiſſolubili hæc inferiora regantur, quid niſi ſtupida ſint, immaniáve portenta, quæ tantopere ſuſpicis tua numina: vt quæ præter fatalem legem nemini vel prodeſſe queãt vel obeſſe? Adeóne ſtringũtur fatalibus ſuis repagulis,vt ne ad latum quidem vnguem ab omni æuo ſtabilita tranſilire queant? Quid niſi impotens dicatur Iupiter ille tuus, ſi fato eſt alligatus, ſi inuidiæ vinculis irretitus? miſer cenſendus, non beatus. Qui enim inuidus eſt, quî fieri poteſt vt cenſeatur optimus?Quem vero fata vinctũ tenent, quomodo maximus? quandoquidem deterius inuidia nihil eſt, quæ protinus ipſum authorem torquet diſcruciatque ſuum.Inuidus enim ipſa etiã fœlicitate torquetur.Aut igitur fateare vaniſsima tua numina:aut nega vlla poſſe cruciari inuidia.Rurſum,ſi caſus humani fatali ſubiacent neceſsitati: vbi eſt deorum omnipotentia, honor, virtus, fortitudo, & gratiarum actio? cum nihil poſsint vltra fatale præſcriptum aut adferre beneficij,aut auferre?Nulla benignitas expectanda ab inuido:nullum ſperandum auxilium ab impotente aut ſtupido. Id agnouit in lib.de nat. Deorum Cicero. Si Deus(inquit)humana non curat:iam non Deus dicendus eſt,ſed immane quoddam monſtrum. An tibi parum videatur moleſtum eſſe hominibus:niſi & diis quoque tuis moleſtiam inferas? id enim eſt eſſe pluſquam atheum. Qui enim Socratem negat eſſe ſuperſtitem,nullo illum probro afficit. qui verò eum ſupereſſe fatetur, quem tamen vel ſtuporis incuſat, vel liuoris: grauius offendit. Vincis ergo teipſum, non atheitate ſolum, verum aperta quoque blaſphemia. Hieremiæ. 2.

Quin videſis potius, ne dum in gratiam Romanorum deos tuos inuidiæ nota iuuris, à Gallorũ parte ſtare videaris. Cum enim æqua ſuperi perpendant omnia lance:ſequens eſt vt Gallicæ gentis conditio potior fuerit quàm Romanæ, quæ deorum gratiam demeruerit ac fauorem.Itáne audes Iouem more Gigantum è ſua æquitatis ſede velle deturbare? Hoc ergo tibi debet Gallia, tametſi inuito, quòd deos ſibi fauentes ſenſerit, deſerta Romanorum cauſa. Niſi te fatearis poëticè potius laſciuire, priuatiſque ſeruire affectibus, quàm ad veritatis lineam hiſtoriam texere. Sed verſo iam velo, ais neſcire te an tempus illud Romanæ captiuitatis, clade funeſtius fuerit: an virtutis experimentis ſpecioſius. Ea (inquis)certè fuit vis calamitatis,vt in experimentum illatam putem diuinitus, ſcire volentibus diis an Romana virtus imperium orbis mereretur. At quænam eſt iſta virtus, omnium mentibus inſitum ius gentium violare, & perſanctè iurata reſcindere pacta? Quid? quòd facis ignorantes deos tuos:vt qui ſcire deſiderarint an orbis imperiũ Romani aliquando mererentur? An mererẽtur neſcio:vnum ſcio, prauis his quas commemorauimus artibus rem tantam non potuiſſe mereri. Iam toto ore conuitia euomens,vix tui compos, guttur & linguam dira in conuicia laxas.Galli (ais) Senones gens natura ferox,moribus incondita,ob hoc ipſa corporum mole perinde ac armis ingentibus adeò omni genere terribi-

lis fuit, vt planè nata ad hominum interitum, vrbiumque ſtragem videretur. Primum excutiendum occurrit, quínam hi fuerint quos Gallos Senones appellas. Non defuere qui dicerēt hos origine fuiſſe Germanos. At hic error facilè eliditur ex apertiſsima beati Rhenani omni ex parte bene fulta ſententia: quam omni ſuſpicione carere vel eo ipſo probatur, quòd teſtis ſit minimè familiaris: quodque rationibus innitatur, quæ nulla refelli queant calumnia. ſic ille ait: Rerum Germanicarum lib. primo Tacitus, qui ſub Veſpaſiano militauit in Germanis prouinciis, & ſub Traianum ad ſcribendum ſe contulit, vt ſit nobis veriſimile, ac Liuius hoc paulo vetuſtior, diſtinctè de populis loquuntur, neminem appellantes Gallum, niſi qui inſtitutis, ſermone, moribus denique Gallus dici mereatur. Proinde ſatis admirari non poſſum ambitioſos illos Germanorum dilaudatores, qui etiā Senonum Gallorum ſpecioſos triumphos ſtudeant vendicare Germaniæ, hoc tantū prætextu, quòd Celtarum vocabulum amplum ſit, & quòd Senonum Sueuorum meminerint Chorographi. Satis laudū habet Germania, quantum ad bellicam gloriam attinet, etiam ſi ſuas Gallis nulli ſuffuremur. Quin potius Liuio credendū, qui libro quinto ab vrbe condita, Celtarum, inquit, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperij fuit. Ij regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit. Vide quā exactè rem diſtinguat. Poſtea de Belloueſo Ambigati nepote loquens, quem auunculus in Italiam miſſurus erat, Is, inquit, quod eius ex populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos exciuit. Mox de tranſitu cæterorum Gallorum in Italiam ſubiūgens, Deinde Boij, inquit, Lingoneſque trāſgreſsi, quum iam inter Padum & Alpeis omnia tenerētur, Pado ratibus traiecto, non Hetruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. Intra Apenninum tamen ſeſe tenuere. Tum Senones recentiſsimi aduenarum ab Vſente flumine vſque ad Atheſim fineis habuere. Hæc Liuius. Igitur Senones eos qui Romam ceperunt, nemo Germanos eſſe putet, nemo Boios, tametſi hi trans Rhenum conſederunt, medium fermè Germaniæ tractum incolentes, quem Hercynius ſaltus circumquaque obſepit. A quibus regio Boioheim nomen accepit. Dionyſius Halicarnaſſeus alterato aliquantiſper nomine aliam rationem ſequutus, Cænones Gallos appellauit, tranſmutato ſigma elemento in cappa: verbo cænos, nouos Gallos intelligens. vnde & encænia dicta ſunt, quaſi dicas inaugurationes & renouationes. Qua etiam ratione Cænomanos dicere poſsis nouos homines. Verùm iſtud parum facit ad rationē hiſtoriæ: cum qui olim noui dicerentur, poſt multam ſeculorum reuolutionem aut priſci merito appellari poſsint, aut vetuſti. Nos Senonem gentem eam appellamus, cuius regio toto etiamnum orbe notiſsima eſt, quæ duce Brenno, belliq́ue ſociis ac comitibus Carnutibus, Aruernis, Tectoſagibus, Belgis in media Gallia, quam Tranſalpinam vocant Itali, natis & alitis, penetratis Alpibus Galliam à ſe Ciſalpinam denominarunt, domitoſque Romanos imperata facere compulerunt. Hi ſunt in quos Lucius noſter Florus totis conuiciorum plauſtris inuehitur, gentem appellans natura ferocem, moribus incōditam, ac planè natam ad hominum interitum. Qui niſi luſcus fuiſſet, ac ſiniſtro tātum lumine oculatus, ſeu (ſi malis) præpoſterè ingeniatus, diuerſum ex diametro aut ſenſiſſet aut pronuntiaſſet, habita ſaltem cum reliquis extra Galliam natis & alitis nationibus ratione. Ferocem appellat gentem, qua nulla eſt toto manſuetior orbe. Quæ quanuis ſubito, dum ne-

dum neſcis,ità colligat: temere tamen aſſumptã deponit,& mutatur ad horam. Eſt enim ſuapte natura Gallus in effundẽda ira cereus ac mollis,in que ſeruãda fide amicitiáve cõtinẽda adamãtinus. Quantũ inter Romanos Galloſque interſit, docent tincta fraterno ſanguine mœnia Romæ,Vicus ſcelerat⁹, Calẽdæ Martiæ, Sylla & Marius,inq; Syllæ albo conſcripti diſcipuli tres:quos continuò ſequuta Tiberiana crudelitas,Neroniana rabies,& in his qui ad Domitianũ vſque perue nerũt,plurima mortis imago. Huius rei à parte Gallorũ teſtẽ proferã in ſua Ciſalpina Gallia Metulã, ita loquentẽ ad verbum. Sunt hi quidem,nempe Galli,omnes bellaces,& ſtudio Martis exardẽt.ſumptis armis quãprimũ animorũ feruent impetu:conferendæ pugnæ alacritate impigri: alioqui ſimplices, & nulla morũ malignitate degentes. Idcirco irritati exaſperãtur maximè, & pugnas ineũt intrepidi:nullo tamen negotio ferè placantur. Hac noſtra tempeſtate ad diſciplinas maximè excoluere ingenia:& agrũ habent frumenti præcipuè & pabuli feracẽ:amœnũ ſaltibus:venationibus,quibus maximè Galli oble ctantur,idoneũ:noxio animaliũ genere minimè euitandũ,fluminibus & fontibus irriguũ,omniũ denique ad vſum animantiũ fœtu beatiſſimum. Totius autẽ Galliæ longitudo eſt 420. mill. paſſ. latitudo vero 313.mil.paſſ.nõ excedit. Hic non agã de hac Galliæ ſeu longitudine, quæ eſt à Pyrenæis montibus ad Rubiconẽ,deq; ea quæ à mari infero ad oceanum eſt latitudine. de ea enim alio loco longius diſſeretur & latius. Hæc autem cò adſcripſimus:vt nemini non pateat Lucij Flori in dicẽdo elegantior quàm verior amatulentia. Vbicũque enim de re Gallica illi dicẽdum occurrit,tincta Lycãbæo ſanguine tela madent. Tantũ verò abeſt vt ſit moribus incondita Gallia,vt omniũ rectè ſententiũ iudicio,meras ſemper apud ſe retinuerit hoſpitalitatis comitatiſque delicias. Cæteræ autẽ per vniuerſum orbẽ diſperſæ nationes, dum ſibi ſedes nouas exquirunt,nihil aliud q̃ mortaliũ cladem,agrorum vaſtitatẽ,ciuitatũ à fundamentis ruinã, ciuiũ familiarũque direptionem poſt ſe reliquerũt. Teſtis in Vandalis Genſeticus,in Herulis Odoacer,diuerſæ Italiæ nomen in Odoacriã mutare auſus:in Gothis Theodoricus nõ focis tantũ, verumetiã aris religioniq́ue infenſus: & qui cæteros ſui infamia nominis ſuperauit,Totilas,is qui Romam eò vſque exinaniuit,vt dies totos 40. cultoribus vacua Roma maneret, diebuſque 13.cõtinuis vrbis ædes vorax flãma cõſumeret. Quos tamẽ omnes longo interuallo præceſſit Hũnorũ tyrannus Attila, palã ipſe ꝓfeſſus ſe in hoc natũ fuiſſe & alitũ, vt diceretur & eſſet metus orbis, diuinitatiſq; flagellũ. Eius opus, Aquileiæ totius euerſio,& Galliæ quã Ciſalpinã vocãt,deſolatio. Hos ſequutus eſt in Lõgobardis Albuin⁹. Quos Gallica ſub Carolo magno man⁹ radicit⁹ extirpauit. Hi omnes nulla magnificẽtiæ ſuæ poſteritati monumẽta relinquẽtes, ſola vaſtitate cõrenti,digna factis receperũt:cũ noſtra hac ætate videamus extinctã progeniẽ,& cum nomine ac ſemine germẽ. Gẽs vero Gallica etiãdũ orthodoxæ religionis expers,familiari primũ neceſſitate compulſa,à Cluſinis inuitata Hetruſcis, quocũque ꝑgeret,pacẽ prius,nõnunq̃ venalẽ,q̃ bellũ Europa Aſiaq; teſtibus offerre ſolita,agros iacẽtes mãſueta quadã animi dexteritate modeſtiaq; petebat. In æqui iuriſq; naturalis violatores, vltrix & acerba, erga reliquos nõ manſueta modo,imò vero magnifica. Indicio ſũt caſtra,vrbes,opida,toto Italię tractu ab Alpib⁹ ad Rubiconẽ,imò aduſq; Senogalliã tã Trãſpadanis q̃ Ciſpadanis locis vel à fũdamẽtis erecta,vel poſt acceptã ruinã elegãtiſſimè inſtaurata. Quocũque em̃ pergerẽt,ſuæ magnificẽtiæ veſtigia perennia reliquerũt,nullo tẽporis interſtitio oblitterãda:adeò vt victi-

victorũ impenſis tecto,foco,& lare fouerētur atque alerētur. Id teſtā-tur ciuitates per eos conditæ. De exteris verò ſuprà memoratis nationibus,nil aliud aut dicere poſſis,aut credere q̃ quod apud prophetam ſcriptũ eſt. Quaſi hortus voluptatis terra corā eis,& poſt eos ſolitudo deſerti,neque eſt qui effugiat eos: ante faciē eorũ ignis vorans: & poſt eos exurens flamma. Galli verò,Iuſtino teſte,duce Belgio,ad tentādos Macedonũ animos,legatos ad Ptolomæũ miſere, offerētes pacē ſi emere velit. Sed Ptolomæus inter ſuos belli metu pacē Gallos petere gloriatus eſt: nec minus ferociter ſe legatis quàm inter amicos iactauit,aliter ſe pacē daturũ negando,niſi principes ſuos obſides dederint,& arma tradiderint: non enim fidē ſe niſi inermibus habiturũ. Renũciata legatione riſere Galli, vndique acclamātes breui ſenſurũ ſibi an illi conſulentes pacē obtulerint. Interiectis diebus prælιũ conſeritur. Victi Macedones cædũtur. Ptolomæus multis vulneribus ſaucius capitur. caput eius amputatur, & lancea fixũ tota acie ad terrorē hoſtiũ circũfertur. Paucos ex Macedonibus fuga ſeruauit: cæteri aut capti,aut occiſi. Vides Gallici animi dexteritatē pacē prius offerētis quàm bellũ. Dixiſſes audiſſe eos Moſis præcepta iubētis Deuter. 20. Siquando acceſſeris ad expugnādam ciuitatē, offeres ei primũ pacē. Si receperit,& aperuerit tibi portas: cunctus populus qui in ea eſt ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum,oppugnabis eam &c. Et inde ſequutũ eſt vt inito cum rege Bithyniæ fœdere, Gallorũ gens & Græcorũ nullo diſcrimine haberetur. Hinc Gallogræci dicti ſunt & Galatæ,quos diuus Paulus tanto honore dignatus eſt, tantoque affectu proſequutus, vt lachrymis obortis proprioque autographo conſcripta ſcheda, gentē illam perpetuo beneficio honeſtauerit. Gallogræcorũ magna cum laude meminit Iuſtinus hiſtoricus lib. 25. Gallorũ (inquit ille) ea tempeſtate tantæ fœcũditatis iuuentus fuit, vt Aſiā omnē velut examine aliquo implerent, denique neque reges Oriētis ſine mercenario Gallorũ exercitu vlla bella geſſerint,neque pulſi regno ad alios quàm ad Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis,ſiue armorũ inuicta fœlicitas erat: vt aliter neque maieſtatē ſuam tutā,neque amiſſam recuperare ſe poſſe ſine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bithyniæ rege inuocati,regnum cum eo parta victoria diuiſerunt: eamque regionē Gallogræciā cognominauerũt. Neque id omiſerim ex Ptolemæo tabula Aſiæ prima ca. 4. in Galatis,qui & Gomeritæ à Gomer filio Iapher dicũtur Ioſepho,inſignes in ſe habere ciuitates,mōteſque ac fluuios, in quibus ſunt Climax,Theutrania,hodie Tripoli,& Maritima extrema Charamnis,Calliſtratia, item nũc Caſtellas. Sinope(vnde rubrica Sinopenſis) Mithridatis patria & ſepulchrum. Chonica,nunc Chymiata,Mithridatis caſtellũ,& in Paphlagonia Amiſus Sabellico dicta. Vnde Eneti & Veneti Gallogræci prodierũt ab ortu. aliàs verò Veneti ſeu Venetēſes ab occaſu. gal. Vēnes. Eſt præterea Germanopolis in Paphlagonia caput prouinciæ Turcarum. Pompeiopolis itē,& Andrapa,quæ & noua Claudiopolis. Fuere ergo in tres claſſes diſtincti, triplici appellatione inſignes: nempe Toliſtobogi,Trocmi, & Tectoſages vetuſti Galli: vbi Thermæ Colonia & Theſſenus,quam Peſinũtem, & à Dindymo mōte Dindymenum vocant, vbi Gordii nodus ab Alexandro reciſus eſt: quem olim Gordius nexuit, atque Iouis Phrygii ſuſpendit ad arā. Sunt & Tectoſagæ quorum Metropolis Ancyra,nunc Mediacus. Hi retinent vetuſtum nomen & germen. Sunt & Trocmi,quorum ciuitas Tanũ ſeu Tania. Item & Claudiopolis. Hi inq̃ in ſuas claſſes diuiſi ac ſemoti,non tam

Iohelis. 2.

in ſuperbia, vt inuidioſis quibuſdã æmulis viſum eſt, verùm potius in viriũ animi,corporiſque dexteritate ſpẽ ponẽtes, neque in religionis (vt falſo aiunt)contemptu (qui etiã teſte Liuio in religionem ſemper procliues, & bene affecti fuerũt, pacem enim prius offerebant quàm bellum) aſperrimã Illyrici oram,Pæoniã, inde & Thraciã pugnando cum ferociſsimis gentibus, (quarum tamen nulla par armis Gallicis) emenſi,tantũ terroris omnibus gentibus iniecerunt,vt Byzantium & orã Propontidis vectigalem haberent.Cupido inde eos in Aſiã tranſeundi cepit,cum tantã Aſiatici ſoli vbertatẽ audirent.Fraude itaque capta Lyſimachia,& tota Cherſoneſo,Thracia armis oppreſſa,traiecerunt primũ in Bithyniã, deinde eam terrã ceperunt, quæ etiamnũ Gallogræcia dicitur. Porrò fluuij ſunt Parthenius,qui & Pille,& Gallus Fluuius cognomẽto caſtus, potores ſuos ad caſtitatẽ inuitans:cui addicti erant ſacerdotes deæ Cybeles. Fluuius Zaliſcus & Halys & Sangarius,atque in Paphlagonia fons vinum redolens: quem ſi quis hauſiſſet,ebrietatẽ incurrebat,non ſecus titubans,quàm ſi meta vina bibiſſet. Conſequens eſt vt cætera quæ ad rem Gallicã & Galaticam pertinent,proſequamur:qua in re citãdus nobis eſt lib.2.ac trigeſimo Trogi paraphraſtes epitomatarius Iuſtinus. Galli (inquit ille) bello aduerſus Delphos infœliciter geſto, in quo maiorem viui numinis q̃ hoſtium ſenſerant: amiſſo Brenno duce pars in Aſiã,pars in Thraciã extorres fugerunt.Inde per eadẽ veſtigia quà venerãt,antiquã patriã repetiuere.Ex his pars quædã in confluẽte Danubij & Sani conſedit: Scordiſcóſque ſe appellari voluit.Tectoſagi autẽ cum in antiquã patriã Toloſam veniſſent,comprehẽſique peſtifera lue eſſent: nõ prius ſanitatem recuperauere, q̃ Aruſpicũ reſponſis moniti,aurũ argẽtúmque bello ſacrilegiſque quæſitũ in Toloſenſem lacũ mergerẽt.Quod omne magno pòſt tempore Cæpio Romanus Conſul abſtulit. Fuere auri pondo centũ decẽ milia:argẽti pondo quinquies decies centum milia. Quod ſacrilegiũ cauſa excidij Cæpioni exercituiq; eius poſtea fuit. Romanos quoq; Cimbrici belli tumultus velut vltor ſacræ pecuniæ inſecutus eſt. Ex gẽte Tectoſagorũ nõ mediocris populus prædæ dulcedine Illyricũ repetiuit: ſpoliatiſque Iſtris in Pãnonia conſedit. Vides vt non Gallorũ virtutẽ maſculam Aſiæ tãtum & Gallogræciæ ſenſerint regiones,imò & Thraciç & Illyrici.Sedes enim illic ſuas tenuerũt,qui à Strabone hiſtoriographo clariſsimo Scordiſci appellati ſunt lib.7. Adfertur(inquit)Homeri teſtimoniũ,quo ait gẽti Myſorũ equas mulgentes (hi ſunt hippomulgi) & lactophagos & abios quaſi dicas nullius victus,accolas illis adiũgi:qui pro domo plauſtris vtẽtes ſunt Scythæ ac Sarmatæ.Hæ enim nationes Thraeibus hac tẽpeſtate ſunt promiſcuæ,cúmque his miſcẽtur Gallicæ gentes & Boij & Scordiſci & Tauriſci. Meminit & Scordiſcorũ, qui ex Gallica natione ꝓdierunt,eodẽ ipſo volumine. Cæterũ(inquit)Autariatæ Triballos,ab Agrianis vſque ad Iſtrũ pertinẽtes,aliquando deleuerunt.Erant autẽ dierũ quindecim iter ex alijs Thracibus & Illyricis protenſi. Extincti vero prius à Scordiſcis fuerunt,poſtea autẽ à Romanis,qui etiã Scordiſcos diutius potẽtiſsimos debellarunt. Enimuero ij penes Iſtrũ habitarãt duas in partes diuiſi.nã & alij magni Scordiſci appellati ſunt, alij vero parui. illi quidẽ duos inter fluuios habitabãt, Iſtrũ illabẽtes, alter Noarus appellatur,præter Segeſticã fluens, alter Martus,vel(vt alij)Barg⁹.Parui autẽ vltra Iſtrũ incolebãt,Triballis & Myſis finitimi. Quaſdam etiã inſulas habebãt Scordiſci:eò autẽ magnitudinis aucti ſunt,vtvſq; Illyricos & Pæonicos & Thracios prouecti ſint terminos. Complures igitur iacentes in Iſtro inſulas occupauere.Ipſi etiam vr-

bes habuere Heortem & Capedunum. Poſt Scordiſcorum agrum ad Iſtrum quidem adiacet Triballorum & Myſorum plaga: de quibus ſuperius mentio à nobis facta eſt. Scordiſci itaque quorum Strabo meminit & Iuſtinus, gens Gallica ea eſt quæ agrum illum incoluit in quo hodie viſitur ciuitas Albagræca, aliàs Belgradum, vulgo dicta Viſſembourg, olimque Taurinium: non multis antè annis aduerſus Turcæ Mahumetis ſæuiſſimam tyrannidem à Ioanne Huniade, qui & Coruinus dictus eſt, ſtrenuiſsimè defenſa: nouiſsimè tandem per rectorum ignauiam à Solymanno infœlicisſimè occupata, ſita eſt in confluente Sani ac Danubij fluminum: illo ab arcto, hoc vero ab occaſu ciuitatem alluentibus, à continente duplici vallo, foſſa, mœnibuſque munita. Rerum tunc potiebatur Ludouicus Rex, nihil præter regium nomē habens. ad annum partæ ſalutis. 1521. Et hæc de Scordiſcis gente Gallica quantum ad præſens ſufficere videbatur, obiter dicta ſunt. Sed quid opus multis? teſtis erit nobis Liuius, nulla in rem Gallicam nimij fauoris ſuſpicione notandus: qui vi tandem agnoſcēdæ veritatis impulſus, hæc ad verbū retulit in literas decadis quartæ lib. 8. Profecti (inquit) ex Bithynia in Aſiam proceſſerunt. non plus ex 20. milibus hominum, quàm decem armata erant. tamen tantum terroris omnibus quæ cis Taurum incolunt gentibus iniecerunt, vt quas adiſſent, quaſque non adiſſent, pariter vltimæ propinquis imperio parerent. Poſtremò cum tres eſſent gentes, Toliſtobogij, Trocmi, Tectoſagi: in tres partes, quà cuique populorum ſuorū vectigalis Aſia eſſet, diuiſerunt. Trocmis Helleſponti ora data. Toliſtobogij Æolida atque Ioniam, Tectoſagi mediterranea Aſiæ ſortiti ſunt, & ſtipendium tota cis Taurum Aſia exigebant. ſedem autem ipſi ſibi circa Halyn flumē ceperunt. tantuſque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna ſobole aucta, vt Syriæ quoque ad poſtremum reges ſtipendium dare non abnuerent. Primus Aſiam incolentium abnuit Attalus, pater regis Eumenis: audacique incepto præter omnium opinionē affuit fortuna: & ſignis collatis ſuperior fuit. non tamē ita infregit animos eorum vt abſiſterent imperio. Eiſdem opes vſque ad bellum Antiochi cum Romanis manſerunt. tum quoque pulſo Antiocho, magnam ſpem habuerunt, quia procul mari incolerent, Romanum exercitum ad ſe non peruenturum.

Addam & illud ex eodem.

Quia peruētum erat ad Toliſtobogiorum fines, Galli magna hominum vis, ſeu inopia agri, ſeu prædæ ſpe, nullam gentem per quas ituri eſſent, parem armis rati, Brenno duce in Dardanos peruenerunt. ibi ſeditio orta, & ad 20. milia hominum cum Lomnorio ac Lutario regulis, ſeceſsione facta à Brenno, in Thraciam iter auerterūt. vbi cum reſiſtentibus pugnando, pacem petentibus ſtipendium imponendo, Byzantium cum perueniſſent, aliquādiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis eius vrbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Aſiam tranſeundi, audientes ex propinquo quāta vbertas terræ eius eſſet, cepit. & Lyſimachia fraude capta Cherſoneſoq; omni armis poſſeſſa, ad Helleſpontū deſcēderūt. ibi verò exiguo diuiſis freto cernentibus Aſiā, multo magis animi ad tranſeūdum accenſi: nuntioſque ad Antipatrū præfectū eius oræ de tranſitu mittebant. quæ res cum lentius ſpe ipſorū traheretur: alia rurſus noua inter regulos orta ſeditio eſt. Lōnorius retro, vnde venerat, cum maiore parte hominum repetit Byzātiū. Lutarius Macedonibus per ſpeciē legationis ab Antipatro ad ſpeculandū miſsis duas tectas naues, & tres lembos adimit. His alios atque alios dies noctéſque tranſuehendo, intra paucos dies om-

nes copias traiecit. Extat in hunc vſque diem huius in Helleſpontũ profectionis perenne monumentũ ciuitas Gallipolis:quæ etiamnum appellatur à vulgo Stretto de Gallipoli.quam ante aduentum Turcæ in Europam cum Genuenſes tenerent, magno rei Chriſtianæ incommodo,vecturæ nomine capitatim recepto aureo nummo centũ Turcarum chiliades ex Aſia in Europam traiecerũt.author in chorographia Munſterus. Quid non mortalia pectora cogit auri ſacra fames? Sed vtinam non fuiſſet pecunia illa vnde tãta malorum ilias ſequuta eſt, vt vix quò vltra progrederetur haberet. Admirabilis potius orbi cẽſebatur quàm imitabilis Gallici roboris ſtrenuitas. Vnus illi ſupererat à ſummo faſtigio mollis quidem ſuccifiuuſque à ſummis ad media,à mediis adima deſcẽſus.Id quod ex Liuiani liuoris indicio facilè deprehenditur decadis quartæ lib. 8. qui ad arrodendam Gallici nominis famam,vndecunque mendicata occaſione,nunquã non attentus & peruigil obiter & quaſi aliud agens in Cnei Manlij cõſulis perſonã qui in Gallogræcia bellum geſsit, eo ipſo qudo mox citauimus volumine ad hunc modum rhetoricatur.

Maioribus noſtris cum haud dubiis Gallis in terra ſua genitis res erat. Hi iam degeneres ſunt,mixti, & Gallogræci verè, quod appellantur.ſicut in frugibus pecudibuſque non tantum ſemina ad ſeruandam indolem valent,quantũ terræ proprietas, cœlique ſub quo aluntur,mutat.Macedones qui Alexandriam in Ægypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quique alias ſparſas per orbem terrarũ colonias habent,in Syros,Parthos,Ægyptios,degenerarunt. Maſsilia inter Gallos ſita, traxit aliquantum ab accolis animorum. Tarentinis quid ex Spartana dura illa & horrida diſciplina mãſit? Generoſius in ſua quicque ſede gignitur: inſitum alienæ terræ, in id quo alitur, natura vertente ſe,degenerat. Phrygas igitur Gallicis armis oneratos ſicut in acie Antiochi cecidiſtis,victos,victores cædetis. Hæc ille liuore madens Liuius,& maledicendi prurigine hebetatus. Ex his enim quæ protulit, ſi mens illi non læua fuiſſet, nullo negocio intelligere poterat admirabiles ſuo tempore fuiſſe Gallorum & vires & mores, vniuerſoque orbi formidabiles. Si enim in imo iacuiſſent,vnde caderẽt non habebant. Nulla ſupereſt niſi ab alto ruina. Quod autem eſt excæcatæ mentis præſentiſſimum indicium, aduertere ſtatim debuerat in ſe ſuique temporis Romanos cœlum hoc retorqueri poſſe. Quæ enim aut vnquam aut vſquam (quaqua orbis latiſsimè patet) aut gẽs, aut patria fœdiore lapſu ab auitis moribus degenerauit, quàm Romana ipſa ciuitas,totuſque Romanenſis ager circũſtans?Quod cum omnibus lippis ac tõſoribus notum ſit, omniumque authorum poënatibus decantatum, Liuius (quæ ſua eſt hallucinatio) dedecus ipſe ſuæ domus,videt vltimus. qui ſi aliquando in ſe eſſet reuerſus, videre potuiſſet id genus improperij in ſe ſuóſque ſine ſudore & puluere cõtinuo potuiſſe retorqueri. Sed liuor edax rerum præſertim inſigniorum cum aliis nihil permittat,vni ſibi cuncta licere putat. Nulli nota magis domus eſt ſua, ꝙ Romanæ vrbis, omni numero frequentior, ſupraque omnem mẽſuram ingens clades & vaſta ruina non tam in ædibus quàm in moribus.Quid opus in ea re teſtibus? cum ab omnibus vna præ omnibus per totum orbem diffuſis ſit deploratiſsima ciuitas,etiam vſque ad deſperationem? Id agnoſcit qui ait:

Omne in præcipiti vitium ſtetit.

Eadem facient cupientque minores.

Et illud:Nucibus facimus quæcunque relictis,Cum ſapimus patruos.

Alius item: Vos ô Romulidæ ſummi, quos viuere fas eſt,
Occipiti cæco poſticæ occurrite ſannæ.
Alius Græcam vrbem appellat Romã, alius turbidam. Sic enim ait:
- Non ſi quid turbida Roma
Eleuet, accedas, examénve improbum in illa
Caſtiges trutina, nec te quæſiueris extra.
Vnde & illud: Quid Romæ faciam? mentiri neſcio: verſum
Si malus eſt, nequeo laudare.
Naſo Ouidius mores Romanos his verbis naſutiſſimè depinxit à priſcorum patrum frugalitate ſupta communem hominum aleam degenerantes.
Pluris opes nunc ſunt, quàm priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
Dum caſa Martigenam capiebat parua Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis vlua torum:
Iuppiter anguſta vix totus ſtabat in æde,
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc capitolia gemmis,
Paſcebatque ſuas ipſe ſenator oues.
Nec pudor in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Nec fœnum capiti ſuppoſuiſſe fuit.
Iura dabat populis poſito modò prætor aratro,
Et leuis argenti lamina crimen erat
At poſtquam fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit ſummo vertice Roma deos,
Creuerunt & opes, & opum furioſa cupido,
Et cum poſſideant plurima, plura petunt.
Quærere vt abſumant, abſumpta requirere certant.
Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit ſuffuſa venter ab vnda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc eſt. dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper vbique iacet.

Denique quis non aut telo Romam appetiit, aut dente corroſit, aut immenſa clade vaſtauit? Fuit Ilium, & ingens gloria Dardanidûm, quantaque Roma fuit, ſola ruina docet. Quam non tam terra tegit, quàm eruta ab imis terræ viſceribus lacera ac mutila marmorum monumenta probant. Negari non poteſt Romam omnium gentium prædam fuiſſe, quæ omnes gẽtes deprædata fuerat, digna factis recipiens æquiſſimo & inſcrutabili Dei iudicio. Væ (inquit propheta) qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? cum prædari deſieris, ipſe præda efficieris. Hinc & in ſacris literis Babylonis nomine cenſetur, de qua ſcriptum eſt: Cecidit, cecidit illa Babylõ. Vti olim moribus antiquis ſtabat res Romana viriſque, ita & antiquatis moribus illis penitus collapſa eſt, inque vaſtam verſa ruinam. Quid autem Beda caballiſticè ſuper vrbis Romæ ruina præſagierit, alio dictum eſt loco. Proinde ſi veritati vni inſeruire velimus, non tam habet Roma vnde gloriari poſſit, quàm vnde potius ſuam ipſius calamitatem infœliciſſimaque fata defleat, atque etiam lachrymis deploret obortis. Quid enim hæc obſunt vetuſtæ ac primææ Gallorum genti? quæ ex collatione cum poſteritate facta commẽdatur potius, quàm vituperetur: vti virtus collata vitio, tanto fœlicior apparet, ac quodammodo illuſtrior ex oppoſitæ conditionis comparatione. Quis neſciat oppoſita

Eſa.33.
Apocal.14.

inuicem collata magis eluſcere?

Quid niſi collato ſplendeſcit crimine virtus?

Vides præpoſterum in omnibus inuidiæ iudicium, quæ dum inuiſa quæque denigrare molitur, præter intentionem dealbat.

At fors præſtiterit tantos componere fluctus,

Inque ſuo cœptam calle redire viam.

Mirabitur (niſi me fallit vehementer iudicium) quiſquis veterum etiam aduerſariorum perluſtrata quæ ad rem gallicam pertinet hiſtoria, æquum ſe iudicem præſtare velit, ſemota omni priuati affectus amaritudine, Gallici genij indolem, ac inter innumera diſcrimina rerum communi opinione fœliciorem ſucceſſum. Galli enim ineluctabili neceſsitate cõpulſi peregrinas ſibi quærere ſedes ſtatim à ſua profectione tranſcenſis nondum vlli hominum peruiis Alpibus, nõ tam externos agros vaſtarũt, quàm cultoribus vacuos, oppidis, ciuitatibus repleuerunt, ampliter auxerũt, ac magnificè ornarunt. Teſtis vnus nobis inſtar erit omnium Iuſtinus comite Pompeio Trogo libr. 20. His (inquiens) Gallis cauſa in Italiam veniendi, ſedéſque nouas quærẽdi, inteſtina diſcordia, & aſsiduæ domi diſſenſiones fuere: quarum tædio cum in Italiam veniſſent, ſedibus Thuſcos expulerũt: & Mediolanũ, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiã condiderũt. Thuſci quoq; duce Rhero auitis ſedibus amiſsis alpes occupauere: & nomine ducis gentẽ Rhetiorũ condiderũt. Reliquæ nationes obuia quæque diripiebant, funditus euertebant, nihil aliud q̃ cædem meditantes ac ſanguinem, vna locorum ruina contentę. Gallica vero ſubſtructis quocunque pergerent oppidis, ad hanc vſque noſtrã ætatem indelebilis ſuæ gloriæ perpetua monumẽta reliquerunt. Argumento eſt Gallia illa, quam Itali Ciſalpinam vocant, ab alpibus ad Rubiconem longiſsimè extenta: in latum verò, ab Apenninis iugis ad Cottias, Rheticas, Iuliáſque alpes prorogata, adeo vt in tranſpadanam ciſpadanámque in hunc vſque diem diducta dignoſcatur. Ne quid autem ad magnificentiam deeſſet, regiam apud Inſubres condidit Mediolanum: in Hetruria Senogalliam vice Gerõtocomij, atque etiam valetudinarij, pro his qui aut ſenio aut valetudine quapiã confecti eſſent, alẽdis ac fouendis, magnificentiſsimè extruendam curauit. Sed nec immemor ipſa humanę mortalitatis, Polyandrium, quod Liuius ipſe Buſta Gallorũ appellat, in perpetuas retro generationes memorabile circunſcripſit, ne ſcilicet cadauerum contagione qui ſuperſtites erant offenderentur. Sic & in Græcia Buſta fortium, literarũ monumentis prodita ſunt. Extat & Gamalielis Polyandrium, cui nomen inditum fuerat bonorum virorum poſſeſsio. Huc adferre libet, quid de buſtis Gallicis Andreas antiquarius in Roma ſua illuſtrata poſteritatis memoriæ commendarit. Inter hortos nunc. S. Mariæ nouæ, Coloſſeum, & Exquilias fuerunt olim buſta Gallica, qui locus hodie ab imperito vulgo dicitur corrupto vocabulo portus Gallus, extat rei teſtimonium Turris & ædes S. Mariæ, & S. Andreæ in portu Gallo. Eruditiores autem buſta Gallica appellant ita dicta quòd illic Galli Senones ſepulti dicuntur, qui Romam præter capitolium diripuerunt, partim morbo, partim ferro interfecti: Gẽs, vt ſcribit Liuius, humori & frigori aſſueta. languore & morbo tanta vis hominum breui abſumpta, vt humandi tædio plura corpora in vnum coaceruata concremarentur. Quæ res ad poſteros nomen loco dedit, vt Gallorũ ſint buſta nuncupata, atq; ipſa media in vrbe nũc buſta Gallorũ ſunt. Hic nihil eſt quod non commendatione dignum cenſeatur, quòd ſci-

licet non ſuos tantum debita, prout neceſsitas ferebat, ſepultura honeſtarint: imò vero ſuis etiam hoſtibus conſulentes, cadauerũ incendio, aëris peſtilentis contagionem à vicinia tota propulſandam curarint: in virtute potius bellica, quàm in ingruentis peſtilentiæ incommodis ſpem ponentes. Hæc ergo iuſtius dixeris ac verius: iuſta funeralia, quàm buſta Gallica. Quid enim abſurdius foret, ſi mortui ipſi alioqui imbelles, viuos ſua contagione ſecum ad mortẽ traherent, non nocentes tantum, imò vero & innoxios, nullo aut ſexus aut ætatis habito delectu? Ob eam cauſam aiunt ſacrorum oraculorũ interpretes diuinam prouidentiam in ſtrage illa quæ facta eſt ſub Theomacho illo Sẽnacherib, ſolas fauillę reliquias ſuperfuiſſe: ne ſcilicet qui ſuperſtites erant, cadauerum putore interficerentur. Quin & maximorum omnium principum corpora in cineres redacta mittebantur in vrnã. Hinc illud vulgatum:

Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.

Id quoniam in publica ſua neceſsitate à Romanis minus obſeruatum eſt, quantam in media etiam Roma ſuorum cladẽ acceperint, ex Halicarnaſſei hiſtoria quiuis deprehendere poterit. Annis ab vrbe cõdita trecentis expletis, Publioque Oratio & Sexto Quintilio cõſulatũ ſuſcipientibu, ſpeſtilentia Romam inuaſit omniũ antea memorię traditarum maxima, ſub qua famuli penè omnes ſunt amiſsi, aliorúmque ciuium pars ferè dimidia, non amplius ad auxilium ægrotantium ſufficientibus medicis: nec propinquis nec amicis neceſſaria ſubminiſtrãtibus. Nam qui languentium aliorum morbis auxiliari vellent, tangentes corpora eorum iacentia, ſimúlque viuentes, iiſdem & illi morbis corripiebantur: ita vt multæ domus deſertæ eſſent ob inopiã curatorum. Erat autem non minimum malorum vrbi. Ac ne citius peſtilentia quieſceret, cauſa, id quod fiebat ad eiectiones mortuorum. A principio enim pudore & copia opportunorum ad ſepulturam, cremabant humíque mandabant corpora: poſtremò vero alij negligentia honeſti, alij opportuna non habentes, multos mortuos ferentes in cloacas compitorum proiiciebant. Multóque adhuc plures in fluuium immittebant. A quibus maximè putreſcẽtibus plurima inficiebantur: Eiectis enim ad ripas rupéſque cadaueribus, grauis & male olentis aëris attractio incidens etiam robuſtis, celeres afferebat corporibus conuerſiones. Nec erat amplius potatu vtilis ex flumine allata aqua: partim fœtoris abſurditate, partim quia mala faciebat alimenti incrementa. Nec in vrbe tantum hęc mala, ſed in agris quoque erãt omnia peſtilentia repleta: & cũ ouibus aliiſque quadrupedibus ſimul infectis peribant. Quandiu igitur ſpei aliquid multis inerat tanquam deo laturo ſibi auxilium, ad ſacrificia & expiationes omnes cõuertebantur. Súntque multa innouata quæ non erant Romanis in conſuetudine, in honores deorum inſtituta non decentia. Hęc ille. Quæ certè incommoda Galli buſtorum ſuorum vredine prouidè euitarunt. Hactenus de buſtis Gallorum dictum ſit. Sed & ad nauigia etiã exercenda in penitiſsima Græcia nauale quoddam ſibi ſtruendum curarunt: quod hodie vocant Gallopolim. Vides vt Gallica gens quocunque pergeret, ſuæ apud omnes magnificentiæ veſtigia reliquerit.

Lib. 10. circa finem.

Liquet ex his ſplendidiſsimum Liuiani liuoris commentum, citra omnem pudorem aſſerentis Gallicam gentem ad hominum interitũ atque vrbium ſtragem natam videri: cum nemo nõ videat ex his quæ à probatiſsimis authoribus teſtata docuimus, Gallos ſuæ magnificentiæ quocunque pergerent perpetua monumẽta reliquiſſe. Nam quod

apud Cluſium eos feritatis inſimulat, id tam parum verum eſt, vt nihil minus. Galli enim non tam ſponte, quàm ciuium Cluſinorum voluntate (à quibus vocati inuitatique fuerant) vrbi incumbebāt. Quod autem omnem iniuriæ ſuſpicionem detergit, Galli (vt ſatis conſtat) agros tantum poſtulabant Cluſinis ſuperfluos adeò, vt minimè ſufficerent eorum culturæ, ideóque pro vacantibus haberentur: eo quòd nō eſſent colendo: & tamen id euomere audet (tanta in eo feruebat liuoris impotentia) vt id quoque euomeret eloquentia magis quàm animi ſinceritate floridus Florus, ac luſcioſus potius quàm Lucius: Tum Cluſium obſidebāt pro ſociis ac fœderatis. P. R. Interim miſsi ex more legati. Sed quod ius apud Barbaros? ferocius agunt. Mouent exinde certamen. Quod ius (inquit) apud Barbaros? imò quid iniuriæ reperitur apud Gallos? Et quam non iniuriā exercuere Romani? Qui iuris gentium fœdere rupto, fœdifragi Fabij Ambuſti, iuſtóque incendio digniſsimi, iniuriam vindicare neglexerunt. Hic Clodius accuſat mœchos: Catilina Cethegum. imò (vt rectius dicam) rectum loripes incuſat, & æthiops candidum. & non pudet innoxium inſectari eum qui ipſe ſit vlceribus ſcatens, in ipſo etiam recentiſsimi fœdifragij exercitio: vt ſi quis ſanguinarius eum quem interemiſſet, crimine cædis inurere ſe poſſe ſperaret. Hic quis fronti pudor multo iam vſu perfrictæ? Pergit autem ſui ſemper eſſe ſimilis, nil niſi alba denigrans: aut nigra loquendo dealbans. Qui poſteaquam propria crimina in innoxios reiecit: ex muſca, ſi queat, nititur facere elephantum. Tum igitur (inquit) aut nunquam aliàs apparuit vera illa Romana virtus. cum tamen vix deprehendi poſsit vel minima quidem vmbra virtutis. In curulibus (ait ille) ſellis ſe poſuerunt: vt cum veniſſet hoſtis, in ſua dignitate morerentur. Egregiam ſcilicet laudem & ſpolia ampla reportaturi, ſi hiſtrionico more laruati perſonatique interirent. quaſi vero magni referat, imbelles ac deſides, aut pannoſam aut certe purpuratam oppetere mortem. Hinc nihil colligi poteſt, quàm aut vana ſuperſtitio, aut excors deſidia. Longè vtique aberant ab eo qui ait:

Pulchrumque mori ſuccurrit in armis. *6. Aeneidos.*

Vni (fateor) Lucio Albino vera tantum deerat religio, qui ſe proprio periculo, caſtitatis præſtitit propugnatorem, vt depoſitis vxore & filiis Veſtales virgines in plauſtrum receperit. Laudem certe merebatur non tam religionis (quæ nulla erat) fouendæ, quàm tuendæ caſtitatis. Rurſum, quid abſurdius, quàm vecordiæ inſectari eos qui nec reſponſione quidem dignabantur hoſtem eorum ceruicibus imminentem? An neſciebat Florus ſcriptum eſſe,

Tu regere imperio populos Romane memento
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem:
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos?

Scire debuerant quòd leuis reſponſio frangit iram, quódque corpora magnanimo ſat ſit proſtraſſe leoni. Pugna enim ſuum finem dum iacet hoſtis, habet. Quod autem Fabium pontificem ab arce capitolina ad ſolēne ſacrum conficiendum iiſſe rediiſſéque narrat per medios hoſtes illæſum: ſi quid in ſe candoris Florus habuiſſet, id genus humanitatis ac lenitatis (Liuium ſuum imitatus) in religionis Gallicæ fauorem retuliſſe debuerat. religioni enim Gallicam gentem ſemper fuiſſe addictam nec Liuius ipſe diffiteri auſus eſt.

Non præteribo ſilentio, quàm temere (vt ne mēdaciter dicā) Zoilus noſter Lucius aſſerere auſus ſit Gallicos proceres in penſando libertatis à Gallis precariò redemptæ auro, adieciſſe ad ſuperpondium

à ſua parte lancis,qui lateri hærebat gladium.Polybius certe ſua ſemper antiquitate & authoritate venerandus,hanc iniuriam minime tacuiſſet:qui tamē ne verbum quidem minimum in eam rem protulit. Credendum itaque potius Polybio omnium qui de hac re ſcripſerunt minime ſuſpecto: quàm huic peſſimè (vt ſi quis alius) in rem Gallicā affecto Lucio Floro. Sed quid opus multis?cum in huiuſmodi impoſtura,perſpicua ad oculum cernatur antilogia: cum ex parte vna,pondo auri mille (nec amplius quicquam) appenſa dicantur cum à cæteris tum etiam à Plinio,ex alia acceſſerit inſuper pondus gladij : quod ſi eſt, planè ſequens fuerit factam fuiſſe ad hanc ponderum chiliadē, ex gladij ſuperpondio liberalem acceſsionem. Adeò vero verius eſt, quod aiunt,mendacem memorem eſſe oportere.

Illud quis nō ſubſannatione dignum exiſtimet in veteratore iſto, quòd agendas dicat eſſe gratias diis ſuis(non ſine perpetuo cruciatu immortalibus)cladis à Gallis acceptæ nomine? Quòd ſcilicet humiles Romanorum caſas,miſerámque ac calamitoſam Romuli egeſtatem vorax flamma deleuerit. Quin igitur gratias agunt homines alioqui ingrati Gallis vrbis epurgatoribus? Fœlix ne iactura dicenda venit,,quæ tales meruerit habere expiatores? Ait Florus (nemine ad id eum compellente) ciuitatem non tam deletam ac obrutam quàm expiatam potius & illuſtratam videri potuiſſe. At id cui potius tribuatur quàm Gallicæ clementiæ, cuius benefica manſuetudine precio intra modum exiguo ſe ſuóſque penates redemere Romani? Agant igitur gratias Gallicæ clementiæ, niſi & haberi velint & dici dati & accepti beneficij parum aut grati aut memores. Actū enim aliàs fuiſſet (ſuo ipſorum teſtimonio) de Romanorum & ciuitate & poſteritate. Verùm, quid non mortalia pectora cogit liuoris cæca libido,cum altis ſemel radicibus animo inſederit?Quod enim ſplendidius mendacium efferri potuit,ipſiſque lippis tonſoribúſve notius, eo quod his verbis imprudenter (vt ne dicam impudenter) euomuit, dum Camillo duce fuſos fugatóſque adeo fuiſſe Gallos dicit, vt nulla hodie Senonum veſtigia ſuperſint?Id ſi verum eſt,vaniſsimè ſcripſiſſe authores reliquos fateri neceſſe eſt,qui omnes vno ore prędicāt,poſt Romanam cladem Græciam penè vniuerſam penetraſſe gentis Gallicanæ proceres,imò & magnam Aſiæ partem peruaſiſſe ac tenuiſſe. Sed neque ſeipſum ab antilogiæ nota liberare poterit, qui ſecundi libri cap.II.vltro aſſeuerat Gallorum reliquias, quibus etiā Brenno duce vaſtata fuerat Græcia (quam potius dicere debuerat viris viribúſque inſtauratam, roboratam, & auctam) mox orientem ſequutas, in media etiā Aſiæ parte ſedete.Porro quî conuenit,ô bone Flore,quòd in media Aſia ſedeant Galli,tranquilla nimitū pace fruentes,& quòd eorū veſtigia nulla ſuperſint?Porro ſi(vti ais) mutua Gallogræcæ propaginis mixtio gentem adulterauerit: quænam hodie ſub cœlo natio aut viſitur aut auditur vno Romano populo collectitia ſeminū commixtione confuſior,& vt ſic dicam,euiratior?adeo vt nō tam dicatur ipſa indigenarum quàm ex omni natione alienigenarum ciuitas.Rectius dixeris orbem eſſe in vrbe,quàm vrbem vnam in orbe.

Quòd ſi Romanorum qui hodie extant propagationē paulo altius repetas,nec procul admodū reuoluas,omnigenas verius dixeris Romanos,quàm Indigenas,ſunt enim progenitura Gallici, Gotti, Vandali,Germanici,Græci,Latini,Barbari.Habet ex toto orbe Roma vt ſpectatores,ita & progenitores.Mixtura vnica fecit Gallogræcos:omnimoda autem commixtio vndecunque compacta atque conflata

orbigenas potius reddidit quàm vrbigenas Romanos. Quòd ſi res ita ſe habet, Scythigenas rectè eos dixeris ac Æthiopigenas, ſi vera Valerius Martialis enarrat hoc epigrammate, hæc ad verbũ pronuntians.

Quæ tam ſepoſita eſt, quæ gens tam barbara, Cæſar,
  Ex qua ſpectator non ſit in vrbe tua?
Venit ab Orphæo cultor Rhodopeius Hæmo,
  Venit & epoto Sarmata paſtus equo,
Et qui prima bibit deprenſi flumina Nili,
  Et quem ſupremæ Tethyos vnda ferit,
Feſtinauit Arabs, feſtinauere Sabæi,
  Et Cilices nimbis hic maduere ſuis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
  Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diuerſa ſonat populorum, eſt vox tamen vna,
  Cum verus patriæ diceris eſſe pater.

Hæc (ſi verum fateri volumus) ipſa eſt Africa, ſemper aliquid monſtri adferens, prodigioſiſque fœtibus redundans, eo conuenientibus cunctis quę ſub cœlo ſunt nationibus, potúmque ex turbido Tyberis fluēto cateruatim haurientibus, vti de feris ad Nilum confluentibus conſtans opinio eſt. Noua aſsiduè monſtra gignit aliţque. Et vnde quæſo prĩmam Roma traxit originem niſi ex contaminatiſsimo ac ſacrilego ſanguinariorum aſylo, hominúmque forſan vulgo natorum contubernio? à quorum moribus nō lōge aberrat diui Bernardi ætate Romanenſis (vt ne Romana dicam) poſteritas, ea quæ ſequuntur liberè veluti è plauſtro toto ore pronuntiantis. Hi (ad Eugeniũ inquit) impij, in ſancta temerarij, inuicē ſeditioſi, in vicinos æmuli, in extraneos inhumani, ſuperioribus infideles, inferioribus importabiles, ad petendum inuerecundi, ad negandũ infrontoſi, hi importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperint, docuerunt linguam ſuam loqui grandia, cũ operentur exigua, largiſsimi promiſſores, parciſsimi exhibitores, blādiſsimi adulatores, & mordaciſsimi detractores, ſimpliciſsimi diſsimulatores, & maligniſsimi proditores. De Romanenſibus quoque, enarrante Probo ex gloſſemate in cap. fundamenta, lib. 6. Decretalium, hæc memoriæ commendata leguntur.

Quid ſit Roma petis? caput orbis, & ampla vorago
  Nummorum atque hominum, quà licet omne nephas.
Exulibus portus breuis, orbis falſa voluptas,
  Fortunæ ludus, præcipitánſque rota:
Perpetuus ſcorti thalamus, tumulúſque piorum,
  Omnibus eſt mater, ſola nouerca bonis.
Eumenidum latebræ: ſtultorum curia, cunctis
  Hoſpita: ſed nullo non peregrina loco.
Eſt vitiis ſtimulus, virtutum pallida imago:
  Curarum pelagus, ſemiſepulta quies.
Quam venus atque aurum, fraus & fortuna gubernant,
  Dat mala pauperibus: dat bona diuitibus.
Vita incerta, labor certus, ſudore paranda
  Virtus: in dubiis libera vita placet.

Tuos itaque ſentícoſæ maledicentiæ flores Flore ſolus habeto. Gallogræcis ſua ſorte contentis, cognationem ne inuideto: quibus nō minus grata eſt ſanguinis vtrinque cōmixtio, quàm ouibus ſua lana decori eſt. Sat ſcio te ea quæ profers, ex Liuio verba hauſiſſe: verũ in fœliciori argumento ingenij tui vires explicare debueras. reſorbendus

enim tibi erit vomit⁹ iſte tuus: nc de te tuíſque peius audias, quàm in alios pronunciaueris. Qui voluit ſaxum,(vt eſt in arcanis literis) recidet in eum. Qui fodit foueam: incidet in foueam quam fecit.

Illud amplius dicam: Gallorum Senonum partem non minimā nedum huic cladi Romanæ fuiſſe ſuperſtitem, imò incolmem ipſam, ſpoliíſque onuſtam, lares proprios repetiiſſe. id de Scordiſcis déque Tectoſagibus ac Toliſtobogiis vnà cum reliquis primæ claſsis authoribus Strabo teſtatur. teſtatur & ipſum quod prouerbio locum dedit aurum Toloſanum, partibus è variis, vt ne etiam veſtris dicam, peregriníſque regionibus compilatum & congeſtum, magnóque Romani Cæpionis malo è ſua lacuna detractum. Eat nunc Florus, & dicat nulla Senonum poſt Camilli impoſturam ſuperfuiſſe veſtigia. De torque Gallo detracto, déque Satyria alite Coruini partes tuente, quoniam alibi diximus abunde, id ſolum pronuntiare libet, victoriam non tam Coruino quàm coruo aſſcribendam eſſe. Qui ſi ſuas ab eo repetierit pennas: nihil aliud ſupereſt quàm quòd Gallis omnibus moueat nudata Coruina cornicula riſum. De Dolobella ſuo dicetur loco. Habes Gallico nomini ſtudioſe lector, quibus facilè retundere poſsis hominum male feriatorū aduerſus Gallicæ memoriæ nitorem ac ſplendorem nihil non obſcutitatis molientium, peruicaciā atque improbitatem: pergendū nunc ad reliqua. Arguitur Gallicę gentis genius leuitatis nimię, quòd ſit omni Euripo inſtabilior. Id quod conſtituere ſe poſſe exiſtimat quidam ſolo natalitio Gallus. Qui etiam hoc nomine ſuam ipſius, vnde ortus eſt, gentem nota inurit, dum ſuis ipſe Brabantinis ob animi leuitatem, ac ſenilis ętatis ſtuporem, cū Moria ipſa familiare indiuulſúmque commerciū tribuit. Ne igitur ſocietate deſtitutus videatur in delirio vltrò confeſſo & agnito, Gallicam in vniuerſum gentem ea nota inurere cupiens, citat locum Pauli in cauſam ob facilitatem nimiam Galatas trahentis, dum ait: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati? vnde colligit eo nomine Gallos malè audire: minimè aduertens, quòd mutato nomine de ſe fabula narratur: cum ipſe ſit Gallus Ciſrhenanus, natali ſuo genio in leuitatem aut certe ſtuporem, ex communi adagio, quod de Brabantinis circunfertur, pręter aliorum morem mirè propenſus. Sed de hoc ipſe viderit. Quod ad rem noſtrā attinet: id ego tutò aſſerere auſim, nulla etiam præfata ob temere aſſertionis ſuſpicionem venia, nulla cum gente mitius egiſſe diuum Paulum q̃ cum Galatis, contrà verò cum nulla durius & acerbius, quàm cum Romanis: vt qui in ipſo ſtatim ſuæ inſtitutionis epiſtolaris frontiſpicio ab increpatione exorſus, nullum non vitij genus ad retundendam (id enim reor) illotum improbam animi elationem improperando diſsimulāter omittit. Quid enim aptius quàm quod aſſerit ad Romanos primo? eos eſſe, aut certè fuiſſe, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. Qui cum iuſtitiam dei cognouiſſent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Qui autē plenitudinem opponit omnigenæ iniquitatis, ne minimum quidem relinquit tectæ excuſationis locum: cum Galatæ non tam indocilitatis (vt verba ipſa præferunt) quàm ſimplicitatis arguantur, de qua apud ſapientem: Qui cito credit, leuis eſt corde. Et rurſum: Simplex credit omni verbo. Sed longè grauius eſt quod ipſis non

Eraſmus ī Moria.

ad Gala. 3.

Eccli. 19,

Prouerb. 14.

non vno loco Hebræis opponitur, nempe analphabetica penè inſcitia. Sic enim Paulus ait ad Hebræos cap. 5. De quo nobis grandis ſermo & non interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini quæ ſint elementa exordij ſermonum dei, & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum, qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Verùm id longe deterius, quod eiſdem opponit in faciem, ita inquiens eiuſdem epiſtolæ cap. 6. Impoſsibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum dei verbum, virtutéſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium dei, & oſtentui habentes. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à deo: proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem. Confidimus autem de vobis dilectiſsimi meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur. Iam ſi cui percurrere libet, quibus cæteræ ad quas ſcribit Paulus, nationes inurantur notis: inueniet procul dubio pro næuo habendam eſſe Galatarum obiurgationem, cum cæteræ grauioris vulneris plagam infligant. Corinthios non elationis tantum & tumoris incuſat, verum & indocilitatis, & ſeditioſæ contentionis, ac proinde carnalitatis arguit, cum ait epiſto. prima cap. 3. Non potui loqui vobis quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis. Adhuc enim carnales eſtis. Cum enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Quid autem Epheſiis, Coloſſenſibus, Theſſalonicenſibúſve opponat, quid attinet dicere, cum quiuis vel è triuio legere poſsit? Et ad Philippenſes quidem ait capite tertio. Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Quid autem apertius eo in quo taxantur Theſſalonicenſes ſecundæ epiſtolæ tertio capite, cum inquit: Cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim quoſdam ambulantes inter vos inordinatè, nihil operantes, ſed curioſe agentes. His autem qui huiuſmodi ſunt, denunciamus & obſecramus in domino noſtro Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. Ex his quiſque apud ſe iudex eſſe poterit, meritò quidem taxari Galatas facilitatis nimiæ: id quod nec ipſi diffitemur: ſed id vitij ſi cum cæteris iuſto æquilibrio conferatur, facilè occludetur os per æmulationem & inuidiam loquentium iniqua. Habet certè (nec inficior) vnaquæque gens quod altera alteri obiiciat, non tam vt exprobret, quàm vt altera alterius onera portet.

Duo hoc loco ſe offerũt cõſiderãda, leuitas Gallorũ, & eorũ lenitas: quæ duo ſi apud ęquũ iudicem iuſto cõpenſentur ęquilibrio, inuenie-

tur leuitatis vitium facilè ſuppleri poſſe per lenitatis officium. Qui enim negant ſe eſſe leues, videāt ne plus iuſto ſint vſque ad ferociam inſuaues, & diſcant à ſua ipſorum potius conſcientia, quàm ab æmulorum pendere conuitiis: inuenient tandē quòd gallicæ lenitatis candor obtegere poterit prætenſæ leuitatis improperium: vti multis iam argumentis externorum teſtium probe oſtenſum eſt.

ALIA PERIOCHE, DE GALLICAE GENtis media ætate, numero ſexta.

DECVRSO à gemino (quod dici ſolet) ouo priſcæ Gallicanæ originis ſtadio, ac ſubinde antiquæ ſobolis, quæ priſcæ attigua eſt, area peragrata: conſequens eſt mediæ ætatis diducere riuos. Necdum enim ſat prata biberunt. A bello itaque Macedonico, ſeu etiam Gallogræco, ad Cæſaris ætatem: ac deinde ab ipſo Cæſare ad inclinantis imperij ſua mole ruinam proroganda erit diſſertatio totius Gallicanæ mediæ ætatis. Primum itaque præſtruendum cenſeo, quod ad refutandum Lucij Flori cōmentum nō parum habet momenti, id quod Munſterus Chronographus in ſua Galatia recte collegiſſe videtur, in hæc verba:

Sunt qui ſcribunt, Gallos ante hanc cladem vix magna pecunia à regulis Græciæ & Aſiæ potuiſſe conciliari ad pacem. tanta ſæuitia peruaſtabant omnia. Trepidabant primum ingredi Græciam, quouſque Brennus eorum dux eos perſuaſit, aſſerens Græcos eſſe homines imbelles & effœminatos, abundare autem pecunia, iocalibus aureis & argenteis, nobiliáque donaria habere in templis deorum: quibus promiſsionibus illecti, ſecuti ſunt ducem ſuum, ſpoliatiſque hominibus, interfecto Atheniēſium rege, deſolatis Thermopylis, etiam deorum templa ſunt aggreſsi. Sed dum Apollinis ædem apud Delphos ſpoliare cœpiſſent, partim terręmotu obruti, partim grandine & frigore diſsipati, reliqui ab accolis vſque ad internecionem cæſi ſunt. Brennus autem in prælio vulneratus, cum dolorem ferre non poſſet, pugione vitam finiuit. Quod an poſt Macedonicum bellum an poſt Delphicum fecerit, incertum eſt. Si poſt Delphicum bellum ſibi mortem conſciuit, neceſſe eſt vt Macedonicum præceſſerit. Eo autem mortuo, ſuperfuerunt adhuc reliquiæ Gallorum, 15. milia peditum, & tria milia equitum: qui cum à rege Bithyniæ vnà cum Græcis in auxilium veniſſent vocati, partem regni tenuerunt, & ab vtriſque populis Gallogræci ſunt dicti.

Minimè igitur audienda eſt Flori impoſtura, qua perſuadere nititur, (fruſtra iaciens rete ante oculos pennatorum) ſtatim à Camilli non omnibus deintegro confeſſa victoria, ad nihilum redactā fuiſſe Brenno duce aciem militarem. Cæterum quod ad bellum Macedonicum pertinet, non ſolum per id tempus emicuit Gallicæ gentis maſcula virtus, imò vero virilis in debili ſexu animus heroico facinore ſplendidiſsimè illuſtratus enituit. Meminit Florus lib. 2. cap. 11. Alligati (inquit) quodam miraculo fuere. Nam Orgiagontis regis vxor à Centurione ſtuprum paſſa, memorabili exemplo cuſtodiam euaſit, reuulſumq; militis caput ad maritū ſuū retulit. Fuit & mulier ex Galatia oriūda Chiomara nomine, cuius certè facinus, Lucretię immeritò laudatæ exemplū magno ſuperat interuallo. Nā (vt Auguſtinus ait) ſi nocens erat, cur laudata? ſi innocens, cur occiſa? Nec eſt vnde gloriari

De ciuita. dei lib. 5. cap. 19.

poſsint in hoc prælio victores. Nempe aggreſſores iniuſti: id atteſtāte Floro his verbis: An fuiſſet cupidus triumphi Mālius, an eos inuiſos ſimulauerit, dubium: negatus eſt victori triumphus: quia cauſam belli non approbauit ſenatus. Fuit itaque Romanis indecora victoria.

Verū ita aridè ac ieiunè (qui ſuus in rebus Gallicis peculiaris mos eſt) vt ſatius fuerit ipſum in ea re aphonum fuiſſe, quàm (vt ſic dicam) monoſyllabum. Ait ille paucis magna complectens. Verum profuſiorem ſe ac liberaliorem præſtitit pro rei dignitate autographus, protographúsve enarrator Liuius, qui ad hunc diſſeruit modum.

Orgiagontis reguli vxor forma eximia, cuſtodiebatur inter plures captiuos, cui cuſtodiæ Centurio præerat, & libidinis & auaritiæ militaris. is primò eius animum tentauit: quē cum abhorrentem à volūtario videret ſtupro, corpori quod ſeruū fortuna erat, vim fecit. deinde ad leniendam indignitatē iniuriæ, ſpem reditus ad ſuos mulieri facit: & ne eam quidem, vt amans, gratuitam, certo auri pondere pactus, ne quem conſciū ſuorum haberet, ipſi permittit vt quem vellet, vnum ex captiuis nuntium ad ſuos mitteret. locū prope flumen conſtituit: quò duo, ne plus, neceſſarij captiuæ cum auro venirent nocte inſequenti ad eam accipiendā. Forte ipſius mulieris ſeruus inter captiuos eiuſdem cuſtodiæ erat. hunc nunciū primis tenebris extra ſtationes Centurio educit. Nocte inſequēti & duo neceſſarij mulieris ad conſtitutū locum, & Centurio cū captiua venit. vbi cum aurū oſtenderent, quod ſummam talenti attici (tanto enim pepigerat) expleret: mulier lingua ſua, ſtringerent ferrum, & Centurionē penſanrem aurum occiderent, imperauit. Iugulati præciſum caput ipſa inuolutum veſte ferēs ad virum Orgiagontem, qui ab Olympo domum refugerat, peruenit. quē priuſquam cōplecteretur, caput Centurionis ante pedes eius abiecit. mirantiq; cuiuſnam id caput hominis, aut quod id facinus haudquaquam muliebre eſſet, & iniuriā corporis, & vltionem violatæ per vim pudicitiæ confeſſa viro eſt: aliáque (vt traditur) ſanctitate & grauitate vitæ, huius matronalis facinoris decus ad vltimum conſeruauit. Deca. 4. lib. 8.

Minime tamen probandus venit in eo quod rhetoricando potius q̄ vti ſe res haber enarrando, ficta declamatione Cæpionis perſonam induens, nec tam ex fide, quàm ex impoſtura cōminiſcitur. Cū enim Gallici famam nominis obſcurare contendit ac denigrare, re ipſa nigra (quod minime ſperat) in candida vertit. Sed de hoc aliàs dictū eſt: nunc aliò nos dicendorū ſeries inuitat. Retundēda venit aduerſus Brittomarum Geſſatarum regulnm (quorū mihi perſonam ex armorum vſu induiſſe videntur Heluetij) aduerſariorū inſolentia. Egregium, ſi diis placet, (ſed inferis potius q̄ ſuperis) ductu & auſpicijs Marcelli patratū aduerſus Gallos facin⁹ ſeſe offert. Sternitur Britromarus Geſſatarum, hoc eſt Gallorum tantum alpinorū regulus: minime autem aut Senonū aut Celtarum qui in penitiſsima Gallia degūt: eorum funditnr exercitus. recipitur Mediolanū, non ſine collegæ pudore & ſanguine: quę Ciſalpinorum erat Gallorum regia: Ioui Pheretrio trophæa tertio iam poſt Romulū loco ſupplicibus votis dicata & oblata (tantæ molis erat Gallorū ſternere gentē) maiore faſtu q̄ religione appenſa, è longinquo viſenda ac ſuſpiciēda in ſublime tolluntur. Sed hæc omnia fœdiſsime cōtaminauit immane parricidij facinus. Litarū enim eſt innocētiū ſanguine vtriuſq; ſexus Græci & Gallici. Et his tā nefariis criminibus audēt viri ſtupidiſsimi quęſitæ victoriæ gloriā adſcribere. Quid enim fœdius turpiúsve eſt, q̄ facere de crudelitate ludū?déq; horrenda innocentū morte, omni ſacrilegio execrabilius lu-

crificium? expiare nocentes innocentium morte nefanda, ne ea quidem leui aut momentanea, verum per omnes ſæuitiæ gradus ac numeros execranda & abominãda? Tantáne laruis iſtis diuinitatis barbaries, vt nolint ſua pacari numina, niſi ſumpto de viris innoxiis ſupplicio? Et cur potius Gallorum Græcorúmve delectantur nece & ſanguine, quàm vel Afro vel Scythico? An quia Philellenes à Strabone appellati ſunt Galli? An quia gẽs vtraque odioſa ſit Romanis, Romani verò pro ferocientis animi cæca libidine diis ſuis ius dicere poſſint? Rurſum quod genus hoc hominum quæúe hunc tam barbara morem inuexit patria? Deſinant improperare Romani priſcæ Gallorum ętati, quòd humano quandoque ſanguine litauerit. Primùm quis Cæſarem docuit huiuſce cõmenti authorem, de ſe ſi creditur illi? illi inquam, hoſti ex profeſſo gentis Gallicæ: aut cedat liti, aut teſtẽ ſuæ proferat aſſertionis à quo id didicerit. cæteri enim ab eo: ipſe verò à nullo, quod ſciatur, didiciſſe cõperitur. Meminit Halicarnaſſeus, ſed non modico poſt Cæſarem tempore. Vt autem id ei condonemus vltro: quid ſi quis negauerit humano litaſſe ſanguine Gallos: niſi forſan animaduertẽdo in eos quos culpa propria nõ ſineret abire innoxios? Eſt autem victima grata deo, manifeſti pœna nocentis. Et hoc quidẽ genus immolationis deo vero placuiſſe, arcanæ literæ non ſemel teſtantur. Sit ciuitas Hiericho (ait Ioſue) anathema, & ea quę in ea ſunt. *Ioſue. 6.* Aliàs vero Gallicæ mentis genium etiam ab hoſtium ſanguine abſtinuiſſe, in hoc ſaltem genere libaminis, vel hinc perſpicuum eſt, quòd cum nullo negocio retaliare potuiſſent à Romanis acceptam iniuriam, vt ſcilicet Romanum & Romanam viuos foderẽt, diutino inediæ languore mortem præcurrente: à tanto támque nefando crimine abſtinuerint. Semper enim abhorruit ſæuitiam illam pluſquàm barbarieam, quæ ſimplici morte non ſolet eſſe contenta: & vix etiam gemino ſatiari poteſt ſupplicio. Tolerabilius forſan fuerat, profundis aquarum gurgitibus, vt ferociæ ſuæ vix explebilem furorem implerẽt, immerſiſſe vtriuſque ſexus & Gallos & Græcos, potius quàm defodiendo viuos, poſt multa ſuſpiria vitam extorſiſſe miſeram. Eſt enim languor mortis, ipſa morte deterior. Verùm quid facias animo nec poſt vltionem quidem ipſam acceptam placabili? Quid illis optes, niſi quòd recipiant dignam ſuis meritis mercedem? A qua tamen (vt dictum eſt) Gallos abhorruiſſe conſtans apud omnes opinio eſt. Sed vnde Romanis tam peruicax in nos odium? nempe quòd timidus ſemper animus, quem maximè metuit, odit. Eſt enim odium proles indiuulſa timoris. Porro quàm formidabilis ſemper fuerit gens illa Romanis, nec ipſe quidem Plutarchus diſsimulat: qui in Marcello ait. Galli maximè Romanis terrori eſſe videntur: vt qui olim ab eis vrbe deiecti ſpoliatíque ſint. *Galli Romanis ſemper terrori fuere.* Quamobrem decretum eſt, vt ſacerdotibus militiæ munere vacare liceat, niſi denuo Gallicum bellum ingrueret. Eorum formidinem vel ipſe declarat apparatus. Nunquam enim tot Romanorum milia ſimul in armis extitiſſe, ac tam nouos ſacrorum ritus factos memoriæ proditum eſt. Illud ſubit admirari, quòd hanc iniuriam barbarie ipſa barbariorem grauis alioqui author Plutarchus in literas referens, nulla cenſoria nota inuſtam aut obiurgatione reprehẽſam obrepere ꝑmiſerit. cur id cõniuẽter pręterierit, incertũ, niſi ꝙ forſan minime tutũ apud ſe cogitabat in eos ſcribere, qui poſsẽt proſcribere. Sic enĩ ille ait: Qua in re nihil ĩmane aut inhumanũ ab eis ſpõte pactũ eſt: quippe cũ maximè græcanico more pij ac mites rẽ diuinã faciãt. Verũ enim tũc eo ingruẽte bello, quibuſ-

dam monitis ſibyllinis cedere coacti ſunt. Quapropter duos Græcos virum ac vxorem, totidémque Gallos in foro Boario viuos defodêre: quibus hodiéque Nouembri mẽſe clam quidẽ Græcis & Gallis dantur inferiæ. Bella videlicet tam nefarij alleuiatio criminis, & tanti viri indigna relatu: vt quę non tam culpam attenuet, q̃ oraculi authorem, quiſquis fuit ille deorũ, perſpicuę arguat feritatis ac tyrãnidis. Rectius itaque dicturus erat, ſuæq; philoſophicæ profeſsioni congruẽtius, ſuppoſititium fuiſſe hunc oraculi fœtũ, & à pſeudo quodã hieroſcopo doloſe excogitatũ. Ignorare non potuit, quid de huiuſcemodi ſanguinariis cædibus execrandiſque ſacrilegiis verius quàm ſacrificiis, vno omnes conſenſu peculiares eorum poëtæ aperta voce intonarent: inter quos non ignobilis author Ouidius, ita ad verbum conqueritur.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
 Fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Si igitur nullus quãuis pellucidus aut fons aut fluuius innoxium ſanguinem expiare poſsit: qua tandem ratione innocẽtis cruore, hoc eſt maiori ſcelere, facinus aliud expurgabitur? ſtupor iſte craſsiſsim⁹ nulla tegi potuit conniuẽtia, aut tergiuerſatione celari. Gentes enim quę legem non habent, ſibiipſis lex ſunt. Nõ igitur mirum, ſi à diuo Paulo dicantur ita euanuiſſe in cogitationibus ſuis, vt putantes ſe eſſe ſapiẽtes, ſtulti facti ſint. Secundum hæc non negauerim hunc cædis humanę priſcum morem ſacrificij velamine adumbratum, vetuſtiſsimis olim tam Latinis q̃ Gallis fuiſſe communẽ, id aſſeuerante Halicarnaſſeo, cuius mox verba reponã. Id autem quis non vitio vertat, q̃ abiectum ſemel ram inuiſum horrendũque immanitatis exemplũ, ínq; extrema & inhoſpita Phœbo loca relegatũ, denuo reſumpſere Romani, & eo impudẽtius, addo & execrabilius, q̃ ſui inuidiam criminis nõ ſine incredibili animi ferocia perpetrati, in ſuorũ capita deorũ, ipſorũve laruata oracula irrito tamen conatu operáq; ridicula reiicere nõ erubuerunt. Itáne lutũ luto abluitur, & fex fece delctur? Dicẽtes ad id fuiſſe cõpulſos, nõ aliud cogitarunt, q̃ q̃ abſconderẽt laqueos, dicturi, quis videbit eos? Verùm ſagittæ paruulorũ factæ ſunt plagę eorum, & conuerſæ ſunt cõtra eos linguæ eorũ. Accedant quantũ velint ad cor altum, altius tamẽ exaltabitur deus, & veritas ipſa dignoſcetur: qua liquido conſtat hęc prætexentes Romanos, ſéque ſuáque numina vna eadéque opera traduxiſſe, diriſq; (vt ne aliud dicã) nõ obſcure deuouiſſe. Nunc Halicarnaſſei citanda ſunt verba. Dicũtur (inquit) etiã ſacrificia pfeciſſe veteres Saturno per cædes hominũ: ſicuti fiebat Carthagine donec ea vrbs ſtetit. ſitq; adhuc apud Gallos, & alios quoſdã occidentaliũ nationũ: cohibitúmque eſſe dicunt hunc morẽ ſacrificij ab Hercule, volente aram quę eſt in Saturnio erigere, initiúmque eſſe caſtarum victimarum igni puro combuſtarum. ac ne quis eſſet hominibus metus aut ſuſpicio tanq̃ patria relinquẽtibus ſacrificia, docuiſſe quoq; eũ ferunt incolas, placãtes irã dei, pro hominibus quos deligatis pedibus & manibus pręcipitabãt in Tiberim, ſimulacra fingerẽt in ſpeciẽ hominũ, adornarẽntq; pariter: eáque in profluentẽ more conſueto iacerẽt: vt quicquid eſſet quoquo modo in animis quorũcũque religionis eximeretur ſeruata adhuc imagine priſcarũ inferiarũ. Hoc nũc etiam Romani peragunt haud multo poſt æquinoctium vernum idibus Maiis, volentes eam diem eſſe menſis mediam: qua ſacris prius de more perfectis, hi qui pontifices vocantur, ſacerdotum excellentiſsimi, & cum eis æternum ignem ſeruantes virgines, ducéſque, & reliquorum ciuium ij quos adeſſe ſacro operi fas eſt, ſimulacra ad

ad Roma. 2.
ad Roma. 1.
Lib. 1.

imaginem hominum formata triginta numero, ex ſacro ponte deiiciunt in vortices Tibetis, Argiuos ea vocantes. Hunc execratiſsimũ ſacrificandi morem, ſi per fas & æquitatem recipiendus erat, Romani cur abiecerũt? Si vero crudelis & impius, ipſáque immanitate immanior, cur in Geſſatatum odium, ſuæ humanitatis obliti, non ſine perpetuo eorum probro ſopitum penéque extinctum reſumpſerunt? Sed vbi inteſtinum furit odium, omnem neceſſe eſt exulare rationem: ita lucem omnem eliminant tenebræ, longéque propulſant.

Deterſa iam magna ex parte Lucianę carbonariæ fuligine: quæ ſuperſunt quiſquiliarum reliquiæ, breui apologiſmo ventilandę veniũt. Quid non atrodere tentat cacozeli improbitas, & inexplebile maledicendi deſiderium? Florus ſiquidem noſter ex vngue modico leonẽ metitur, canibus catulos conferens, & matribus hœdos: dum tenui pugillo Gallicæ gentis Inalpinæ, totius Galliæ vaſtitatem cõcludere nititur. Hoc eſt anguſto reticulo totius Oceani amplitudinem comprehendere. Is itaque lib. 2. cap. 4. ſuis affectibus plus nimio indulgẽs, Gallis (inquit) Inſubribns, & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora plnſquã humana erant, ſed experimento deprehenſum eſt: quippe ſicut primus impetus eis maior quàm virorum eſt, ita ſequens minor quàm fœminarũ. Alpina corpora humenti cœlo educata, habent quiddam ſimile niuibus ſuis, quæ mox vt caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt, & leui motu quaſi ſole laxantur.

Bona verba quæſo bone Flore. Si (vt ais) Alpinę gentis Gallicę robur viribus fœmineis cedit: quanto igitur tui illi, quibus patrocinaris, clientes, merito dicentur fœminis molliores: vt quos Gallorum verè maſcula virt⁹ magno ſuo impetu terruerit, domuerit, oppreſſerit? Sequẽs itaque eſt, vt vel inuiti fateãtur ſe virib⁹ fœmineis nõ ſemel fuiſſe impares. Hác tuam Gaudentius Merula notam indignè ferens, ad hunc reſpondet modum: Optarem in L. Floro & aliis nonnullis ſcriptoribus loquendi modeſtiam: qui vt chartas expleãt ambagibus, regiones aliquãdo citra verecundiam pro animi libidine plus ęquo vel laudant vel vituperant. Et poſt pauca. Quid igitur oblatrat L. Florus eſſe nos niuibus noſtris ſimiles? quãdò hinc omniũ firmiſsimus peditatus ſemper eductus ſit, ad quancũque belli aleã ſemper paratiſsim⁹.

Hæc autem cum nihil ad penitiſsimos Gallos pertineant, Brennicos inquam & Bellouesianos, verbũ de huiuſmodi controuerſia non amplius addam: quin potius ad Cęſarianos aſtu magis quàm militari virtute paratos de Gallis triumphos, ſtylum conuertã, illud præfatus: victos non breui tẽpore, vt cæterę nationes, ſed vix ſolido decennio ſuperatos, addo etiã & triumphatos, nunquã tamẽ perdomitos fuiſſe Gallos. Satis id ꝓbãt ex veſtro grege poëtę, q̃ appoſitiſsimo epitheto Gallos dixere rebelles. Vix ſatis ample dici queat quot dolis fraudũq; diuerticulis, dum aſtu pluſq̃ punico pars vna gentis Gallicæ aduerſus aliam ſeditiosè cõmittitur, fatigata magis quàm victa Gallia hoſti ceſſerit. Vt ne illud taceam, quòd nõ ita multo poſt Cæſares aliquot Romanos, magis turpiter amiſſa ſit, quàm glorioſè acquiſita. Iam cũ libertatem ſibi vendicarit Francogallica virtus, quid dicendum reſtat, niſi omnes ipſos Romanos olim gentium dominos cum victoria potirentur, nunc à cęterarum nationum ſeruitute parum abeſſe, quarum à multis inde iam annis ſenſerunt & leges & imperia: ita vt quæ orbis ſe gloriabatur eſſe dominam, omnium penè gentium ſerua effecta ſit? Cũ enĩ à Carolo magno Romanorũ ĩperatore, in Gallia Ciſrhenaua orto & alito, vſq; ad deuolutũ ad Saxones imperiũ, Galli imperarẽt

Galli nunquam perdomiti.

Romanis,fateamur oportet, non minori ætate & gloria Gallos ipſos præfuiſſe Romanis,quàm Romanos Gallis. Habet itaque gens vtraque quod altera opponat alteri: ne in tanta rerum viciſſitudine, alia ſupra aliam plus iuſto ſe efferre iure aut velit aut valeat. Vt autem ω redeat ad α, illud in primis habeo præfari,quòd Cæſarei illi, quibus plus iactantiæ ineſt quàm veritatis,magna(vt videri volunt)cum laude triumphi,parum apud nos fidei mereantur: cum pars eorum maxima non niſi ab aduerſarij pendeat teſtimonio. Quis enim ex Gallica gēte cordatus, pro certo liquidóve habeat ea omnia quæ ex Cæſaris commentariis, vt ne dicam commentis, ab aduerſariis pro oraculis habentur? Quis tam ſtupidus,vt fidem adhibeat hoſti, ſibi omnia quæ in ſpeciem pulchra videntur, tribuenti, nihil aduerſario, niſi quod aut indecorum aut obſcurum ſit,relinquenti? Nemo ſanè, niſi in quo ſenſum communem deſideres.Faceſſant igitur Thraſonici illi Cæſaris commentarij, vbi agitur de re Gallica. Vt enim demus huic operi coniunctam facilitatis venuſtatem,ſtilique vix imitabilem florulentiam,inque conſcribēdo opere admirabilem celeritatem: illud tamen cum Pollione Aſinio ex Tranquillo in Iulio Cæſare cap. 58. dicere poſſumus, parum integra veritate fuiſſe compoſitos:cum Cæſar pleraque, & quæ per alios erant geſta, temerè crediderit: & quæ per ſe,nonnulla conſultò, quædam etiam memoriæ lapſu perperam ediderit: adeò vt in ea fuerit opinione, vt non niſi reſcriptum correctúmque ac emendatum (ſi per otium licuiſſet) foret editurus. Quid autem ineptius, quàm ſub ſuſpecto iudice litigare? Quid item ſtupidius,quàm ſentētiam ab infenſiſſimo hoſte expectare? Nunquā non ſibi Suffœnum fuiſſe Cæſarem,genius illi peculiaris gloriæ ſitientiſſimus (quæ ſola animos mentemque perurit) cuiuis facilè perſuaſerit, vt qui iuris iniuriæque perinde ſecurus, eouſque progreſſus eſt,vt diceret: Si ius violandum eſt,imperij gratia violandum eſt. Quid igitur taliter affecto ſupereſt? cui fidere poſsis,apud quē ius & iniuria nullo diſcrimine habētur? Proinde an commentatienſis dum ſcriberet, an commentitius fuerit,non auſim definire: vbi quandóve aut albus aut ater fuerit,neſcio: & (vt cum Socrate loquar) hoc tantum ſcio,quod neſcio. Quærat igitur ille ſibi credulum peregrinum:nam Gallia tota reclamat: à qua ſi fidem exigere ſe poſſe ſperabat haud ambiguam, alium ſibi quærere debuit Homerum ſuarum laudum buccinatorem, ne vel inuitus audiret, De ſe ſi creditur illi. Nemo igitur Galliæ vitio vertat, ſi pro nullo habeatur obſcurum in cauſa rei Gallicæ Cæſaris teſtimonium. Quærendus itaque alius teſtis eſt conſtantioris minimeque vacillantis fidei. At quem quæſo proferent Romani? Liuiúmne? Admitterem,niſi liuor impediret. Luciúmne Forum? ſed obſtant Liuianæ veſtigia inuidiæ: qui non tantum Liuij ſenſum, ſed & verba ipſa reponit: vt qui præter caninam in Gallum facūdiam, & Romani faſtum nominis,nihil niſi mera conuitia profert. Qua in re non alios tantum,imò ſe quoque ipſum ſuperare videtur. Locum forſan aliquē, non tamen abſolute, obtinere poſſe videtur in ſuis annalibus Tacitus quantum ad rem pertinet Gallicam, niſi quòd in res Germaniæ adeò pronus extiterit ac fœcundus, vt rebus Gallicis male affectus, aridus quandoque & ieiunus, nonnunquam etiam planè iniquus facilè deprehendatur. Nemo iure mirari debeat Romanorum ſcriptorum fidem apud Gallos nutare ac vacillare, qui modò Flauium Vopiſcum hæc aſſeueranter loquentem audierit in Aureliano: Aſſerēte Tiberiano, quòd Pollio multa incurioſe, multa breuiter prodidiſſet:

Cæſaris commentarii eleuantur.

Cic. lib. 3. offic.

Cornelii Taciti fides ſuſpecta.

me contra dicente, neminem ſcriptorum, quãtum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: prodēte quinetiã, in quo Liuius, in quo Salluſtius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifeſtis teſtibus conuincerentur: pedibus in ſententiam tranſitum faciens, ac manum porrigens iucundam: Præterea (inquit) ſcribe vt libet, ſecurus quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos hiſtoricæ eloquentiæ miramur authores. Hæc ille. Proinde Gallia tota, nullius addicta eſt iurare in verba magiſtri, quanto minus ſuſpecti? hoc vnum illi dicendum reſtat:

Quò me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

At ne quis omnia temere à nobis dicta putet, authorem citabo, eſto non admodum vetuſtum, non tamen prorſus contemnendum, Coſmographiæ Ptolemaicæ illuſtratorem probum (niſi me vehementer fallit opinio) cordatumque & naris emunctæ, à cuius ſententia nihil deſideres, ſi modò veritatis ſplendorem eloquētiæ nitori prætuleris. Is eſt Ioannes Reſchel Germanus, qui ante annos ab hinc non paucos Ptolemæum ſuis illuſtrauit annotationibus, vetera recentioribus reddens: qui in ſui operis coronide rem de qua agitur, ad hunc explicuit modum. Florebat ille ætate Pauli ſecundi Veneti pontificis maximi &c. Cæſar virtute equitatus peditatuſque Germanici ac Hiſpanorum equitum, & diſſenſione Gallorum, apud quos ſemper duæ factiones fuerunt, vt hominibus naturale eſt: maximè vicit in Gallia. ſicut enim animalia animalibus: ſic homines hominibus capiuntur. Cæſar in commentariis omnes aduerſos caſus, vel ſi quid minus honorifice, aut non ex propoſito ſucceſsit, valde copioſè mirificéque excuſauit, vt quãdo bis vltra Rhenum, & prima vice in Angliam traiecit exercitum, & in diſceſſu eius ab obſidione Gergouiæ oppidi in Aruernis, & in clade Cottæ & Aurunculeij ab Eburonibus accepta, cuius rei dolore, multis menſibus intonſo capillo perſtitit, licet aliàs vſque ad moroſitatem pilos nedum raderet, ſed etiam euelleret: vt in eius vita Suetonius refert. In ſuis præterea conficiendis negociis celeritatem deſignans, nedum dies, ſed horas & momenta expreſsit. In hauſtu quoque fontis apud Cadurcos cum Vxellodunum expugnaretur, diuertēdo ſe ſolum id præuidiſſe affirmat. Cæſar in Commentariis, Gallorũ orationes, ſupplicata & actus ſuauiter dilucide humanoque modo, vt Gallis natura eſt, expreſsit. Germanorum vero itidem vt eorum ferunt mores: ac pleraque alia inſeruit, quæ Latinorũ ſeu Romanorum verbis explicita nõ vſque adeò placuiſſent. quo fit, vt eius hiſtoriæ concētus elegãtior ſupraque modum acceptior ſemper extiterit: quod cum Liuius hiſtoricus non adeò obſeruarit, à pleriſque ei vitio traditum eſt. Sed hiſtoriæ veritatem quærimus: non ſuauiloquentiæ vanitatem. nam plerunque latet tetrum ſub melle venenum. Quod author iſte ait: diſſenſione magis Gallorũ quàm alio quouis modo, à Cæſare gētem fuiſſe ſubactam: id certè plurimis teſtimoniis comprobatur ex Cornelij Taciti annalibus deſumptis. ait ille lib. 20. Prouinciarum ſanguine, victas fuiſſe prouincias: Batauo equite Gallo protritos Heduos Aruernoſque extitiſſe. fuiſſe inter Verginij auxilia Belgas. Verè itaque reputantibus, Galliam ſuiſmet viribus concidiſſe. Quin & eodē libro non obſcurè reſtatur Batauos Gallici generis milites: qui prætextu reſumendæ libertatis, ſeſe Romanis oppoſuiſſent fiſos Germanorũ viribus, Gallis ipſis obuiam ituros, ſi certandum de poſſeſsione rerum foret aduerſum Gallos: quaſi vero Galliæ nomen eiuraſſent & Bataui & Germani, cum ta-

Gallorum oratio ſuauis & dilucida, Germanorum contra.

Bataui, Galli.

men non multo pòſt ex ſentētia Vbiorum Germani Gallorum conſanguinei ex profeſſo dicantur.Sed quòd fallaciter hęc proceſſerint, omnium præcedentium iudex euentus docuit, maximè verò ad Treuiros ac Lingonas non inuenuſta Cerealis oratio: quæ ita ſe habet.

Neque ego vnquam facundiam exercui, & populi Romani virtutem armis affirmaui. Sed quia apud vos verba plurimum valent,bonaque ac mala non ſua natura,ſed vocibus ſeditioſorum æſtimantur, ſtatui pauca diſſerere, quæ profligato bello vtilius vobis ſit audiiſſe, quàm nobis dixiſſe. Terram veſtram cæterorumque Gallorum ingreſſi ſunt duces imperatoreſque Romani nulla cupidine, ſed maioribus veſtris inuocantibus, quos diſcordiæ vſque ad exitium fatigabant: & acciti auxilio Germani ſociis pariter atque hoſtibus ſeruitutem impoſuerant.quot prælijs aduerſus Cimbros Teutonoſque,quātis exercituum noſtrorum laboribus,quóve euentu Germanica bella tractauerimus,ſatis clarum. Nec ideo Rhenum inſedimus vt Italiam tueremur,ſed ne quis alius Ariouiſtus regno Galliarum potiretur.An vos chariores Ciuili Batauiſque & Tranſrhenanis gentibus creditis, quàm maioribus eorum patres auique veſtri fuerunt? Eadem ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutādæ ſedis amor,vt relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fœcundiſſimum hoc ſolum, voſque ipſos poſsiderent. Cæterùm libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quiſquam alienum ſeruitium, & dominationem ſibi concupiuit, vt non eadem iſta vocabula vſurparet. Regna bellaque per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum ius concederetis. Nos quanquam toties laceſsiti, iure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queūt. Cætera in communi ſita ſunt. Ipſi plerunq; legionibus noſtris præſidetis.Ipſi has aliaſque prouincias regitis. Nihil ſeparatū clauſúmve. Et laudatorum principum vſus ex æquo,quamuis procul agentibus. Sæui proximis ingruunt. Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala,ita luxum vel auaritiā dominantium tolerate. Vitia erunt,donec homines.Sed neque hæc continua, & meliorum interuentu penſantur: niſi fortè Tutore & Claſsico regnantibus moderatius imperium ſperatis:aut minoribus quàm nunc tributis,parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulſis (quod dij prohibeāt) Romanis,quid aliud quàm bella omnium inter ſe gentium exiſtent? Octingentorum annorum fortuna diſciplinaque compages hæc coaluit,quæ conuelli ſine exitio conuellentium non poteſt. Sed vobis maximum diſcrimen, penes quos aurum & opes,præcipuæ bellorum cauſæ.Proinde pacem & vrbem quam victi victoréſque eodem iure obtinemus, amate, colite. Moneant vos vtriuſque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie,quàm obſequium cum ſecuritate malitis.

Collige ex hac oratione nonnulla.

Primùm eò adduci nequeo, vt pro perſuaſo habeatur bellum illius commentum,quod tamen pro axiomate haberi cupit:Romanos ſeu duces ſeu Imperatores non tam cupidine allectos, quàm obnixè deſideratos,ac proinde euocatos,Galliā tenuiſſe. Hac ſententia quid vanius aut dici aut cogitari poteſt? cum ex Suetonio cōſtet Iulium Cæſarem,poſteaquam legionem vnam, quam Gallico etiam vocabulo, alaudæ nomen ſortiri voluit,Romana inſtitutam diſciplina,nulla bel landi occaſione accepta,ab iniuria inferēda vix vnquam abſtinuiſſe?

Sic enim ait ille, cap. 24. Nec deinde vlla belli occaſione, ne iniuſti quidem ac periculoſi abſtinuit, tam fœderatis quàm infeſtis ac feris gentibus vltro laceſſitis: adeò vt Senatus quondam legatos ad explorandum ſtatum Galliarum mittendos decreuerit, ac nonnulli dedendum eum hoſtibus cenſuerint. Si autem volentibus potius quàm inuitis Gallis imperaſſent Romani, quid igitur attinebat (vt in Suetonium Egnatius ait) legiones iuxta Rhenum, quæ Germanos Galloſque coercerent, octo, quæ robur ferè Imperij comprehenderent, deſignare: cum Hiſpaniæ tres tantum haberent, Africa duas, Ægyptus totidem, quibus in officio continebātur? De Germanis quod ait, Galliæ tanquam feracibus agris, lociſque amœnioribus ſemper inhiaſſe, id quidem non abnuo: verum huius iniuriæ authores fuere Romani, potius quàm Gallicæ clientelæ tutores, & in his, qui iuſtiſſimus omnium prædicarut Auguſtus, qui Gallias cum tutandas ſuſcepiſſet, nouas ſedes quærentibus Germanis magna parte diripiendas vltro conceſsit. In hoc autem cum eo minimè contēderim, quod ait non fore tutum Gallicæ genti, relicto in tam dubio euētu Romanorum iugo, in partes incautius tranſire aut Tutore Treuirorum, aut Lingonum duce Claſsico. Hoc enim præſagientes Rhemorum primores, quàm multus ſub eo lapide ſcorpius lateret, accito frequentiſsimo Gallorū conuentu, à ſeditione mota pedem retraxerant: futuram rati tumultuoſam hanc ſeditionem non aliud quàm ſæuiſsimam ſtragem propediem allaturam. Rem ita ſe habere, his verbis declarat Tacitus: Sequanorum proſpera acie, belli impetus ſtetit: reſipiſcere paulatim ciuitates, faſque & fœdera reſpicere principibus Rhemis: qui per Gallias edixere, vt miſsis legatis in commune conſultarent, libertas, an pax placeret. qui vbi in Rhemos conuenere, Iulius Auſpex è primoribus Rhemorum, vim Romanam, paciſque bona diſertans, & ſumi bellum etiam ab ignauis, ſtrenuiſsimi cuiuſque periculo geri, iamq́uo ſuper caput legiones: ſapientiſsimum quemque reuerentia fideq́ue, iuniores periculo ac metu continuit. Et Valentini animū laudabant, conſilium Auſpicis ſequebantur. Conſtat obſtitiſſe Treuiris Lingonibuſque apud Gallias, quòd Vindicis motu cum Virginio ſteterant. Deterruit pleroſque prouinciarum æmulatio. quod bello caput? vnde ius auſpiciúmque peteretur? quam, ſi cuncta proueniſſent, ſedem imperio legerent? Nondum victoria, iam diſcordia erat: aliis fœdera, quibuſdam opes viréſque, aut vetuſtatem originis periuriáque iactātibus. tædio futurorum, præſentia placuere. Scribuntur ad Treuiros epiſtolæ nomine Galliarum, vt abſtinerent armis impetrabili venia, & paratis deprecatoribus, ſi pœniteret. Hæc ille lib. 20.

Quibus liquidò conſtat vtiliorem nonnunquam fore pacem, quāuis tributis oneroſam: quàm multo ſanguine vix aliquando comparandam libertatem. Ex his autem quæ de annis vrbis in calce orationis ſcribuntur, apparet ea quæ dicta ſunt, incidiſſe extincto Vitellio, ſub annum vrbis conditæ vigeſimum plus octingenteſimo, qui fuit Chriſtianæ ſalutis annus nonus ſupra ſexageſimum, inq́ue ſecularibus annis. 5017. quæ omnia ex abaco petuia ſunt. erat autem Olympiadis ducenteſimæ vndecimæ annus quartus. Vt autem ad id vnde digreſsio facta eſt, ſtilus redeat orationis: ego ſanè vt quod diutius parturio, ſerò ſaltem pariam: ſi quis erit, qui in ſecretius mentis conſilium, ſepoſitis affectibus, ſynceroq́ue animo rationem vndecunque vocatam dignabitur admittere: poſt collata inq́ue vnum cumulum adunata proborum authorum ſentētiarum ſymbola, nemo (opinor)

ſaluo frontis pudore audebit aliud aut ſentire aut aſſeueranter ſcribere,quàm quòd non tam Cæſar Gallos fatigãdo vicerit, quàm Galli ſeipſos. Nihil enim tota dum bellum geritur annorum enneade, fraude ſua plus quàm Punica moliri ſtuduit, quàm Galliam ipſam in varia ſtudia diſperſam gliſcentibus inter ſe odiis labefactare. Peditatum militatem Gallia,quæ Romanis Ciſalpina eſt, nec immodicum nec inualidum ſubminiſtrauit, authore Gaudentio Merula ſuæ Galliæ illuſtratore. Vtriuſque ripæ Rhenẽſis Germanos fœderis antiqui ſecuros, aduerſus Gallos tandem armauit ad ſe allectos, ac muneribus precioque non prorſus contemnendo comparatos, qui mos eſt genti peculiaris. Heduos aduerſus Bituriges & Aruernos ſpecie antiqui fœderis in ſua retia traxit: demumque & Rhemorum gentem aduerſus Gallorum reliquias non ſine verborum circuitu perſuaſam, in propria viſcera arma ſumere non tam vi quàm aſtu impulit. Vercingentorigem,à quo cruẽtiſſimo prælio fuſus fugatuſque fuerat,non tam inuitum quàm ſcientem & volentem in ſuam fidem recepit. Ille enim in media ſua acie conſtitutus, poſt multos exantlatos labores liberum ſuis commilitonibus eſſe voluit, vt vno pro multis capite dato,ſe vnum Cæſaris voluntati traderẽt. Hinc timor occultè latens ſuadebat:inde verò diſſuadebat pudor.vicit tandem ſupremus timor ſummum pudorem,nihil renitente, imò ad id hortante ſummo inuictoque duce Vercingentorige. In his ita ſingulatim enumeratis ne quis hæſitare etiam ſi velit poſſit, Pauli Oroſij probatiſsimum accedere faciemus teſtimonium:quo prolato,certo certius eluceſcet non tã à Romanis Gallos quàm à ſeipſis fuiſſe inteſtinis odiis ſuperatos. Id quod ipſis quoque Romanis non multò pòſt euẽnit in portentoſo illo Triumuiratu,his quæ fraterno maduerunt ſanguine dextræ. Eadem itaque vtriſque cõditio,Romanis inquam & Gallis, eadem lex, idemque victoriæ titulus,neutri vtilis,vtrique verò genti ex æquo aut decora aut nõ prorſus indecora victoria: adeò vt nihil ſuperſit,quod alter alteri improperet in vtriuſque gẽtis bello ciuili, nec Romanus Gallo, nec Gallus Romano. Quin potius (vt acutè Paulus Oroſius attigit) ex fractis Gallorum viribus mox ſequuta eſt ſæua belli ciuilis tempeſtas: quæ ſi permanſiſſent integræ, Gallicæ virtutis acceſſione ſtatim futurum erat vt pars altera alteri cederet,vel Antonius Auguſto,vel Auguſtus Antonio, idque citra ſanguinem more fluminis inundantem, ſudoremque aut puluerem. Plus itaque nocuit Romæ Gallia euerſa, quàm aduerſa. Quæ omnia ex Pauli Oroſij variegatis ſententiis meridiana ipſa luce clarius eluceſcunt: qui libro ſexto ita ad verbum loquitur: Multis ſæpe eruptionibus & variis prouentibus prælíantes, tandem Romani præcipua Germanarum equitum (quos ſibi iamdudum amicos, nunc in auxilium acciuerant) virtute vicerunt. Vercingẽtorix alia die congregatis omnibus qui fuga euaſerãt, dixit ſe autorem bona fide defendendæ libertatis, atque rumpendi fœderis fuiſſe, & nunc ſiue Romanis ſeſe ad mortem omnes offerãt, ſiue ſolum pro omnibus dedant, paratum animo fore. Itaque Galli voluntatem quam pudore aliquandiu texerant,quaſi ex conſilio Regis aſſumerent, illico ſibi veniam precantes, eum ſolum velut auctorem magni ſceleris dediderunt. Idem ipſe nõ multo poſt author eſt, Rhemorum non contemnendam manum Romanis aduerſus Ambianos, Aulercos, Attrebates auxiliarem in ipſa coniuratione deprehenſam, meritas ſui fœdifragij pœnas luiſſe. Ambiani (inquit) commiſſo prælio, magnã Rhemorum manũ, quæ auxilio Romanis erat,

Galli non à Cæſare, ſed mutuis odiis labefactati.

Ex fractis Gallorum viribus ſecuta belli ciuilis tempeſtas.

trucidant. Vt ne illud etiam omittam: Gallos in hoc fuiſſe inuitatos, vt quiſque pro ſui animi libidine reconditas in Arduenna ſylua prædas quaſcunque inuenire poſſet, ſibi haberet. qua pollicitatione inescati nonnulli, reliquias Gallorum illic deliteſcentes ad extrema deduxerunt. Sed (vt idem Paulus ait) victorem Cæſarem è Gallia reuerſum, ciuilia bella comitata ſunt. Nam (vt idē author eſt) ſtatim poſteaquam apud Parthos conſul Romanus occiditur, exercituſque deletur, atrociſsimum illud Pompeij & Cæſaris bellum ciuile conſeritur, & inter hæc Roma ipſa repentino correpta incendio concrematur. Anno ſiquidem ab vrbe condita D.C C. incertum vnde concretus, plurimam partem vrbis ignis inuaſit, neque vnquam antea tanto incendio correptam ac vaſtatam ciuitatem ferunt. Nam quatuordecim vicos cum vico Iugario conſumptos fuiſſe memoriæ proditum eſt. Hinc iam Ciuile bellum committitur, quod magnis iamdudum diſſenſionibus ac molitionibus parabatur. Ex nuper adductis collige nihil apud nos habitura momenti Cæſaris commentáne dicam, an commentarios? Suos ſibi commentarios Cæſar habeat, ſibíque ſupparaſitantibus Pythagorico more imperet, ab eis fidem exigat: tantum ne hoc ipſum à Gallis expectet, quibus ſatis conſtat, pro ſuo Cæſarem arbitrio, quātum ſuadebat quæ ſola animos mentemque perurit, gloria, modò dicenda ſuppreſsiſſe, modo expreſsiſſe tacenda, vt ſuis affectibus magis quàm veritati inſeruiret. Cui & illud competit: Tu de teipſo potiſſimum teſtimonium perhibes, ideoque teſtimoniū tuum non eſt certum: vtpote tua ſolius aſſertione, nullius prætera teſtis externi adminiculo ſuffragioque vallatū. Liuius & cæteri chartulas ſequuntur publico teſtimonio ſtabilitas, & ex veterum commentariis in vnum corpus redactas, vulgataque ſententia communitas: tu verò ex te omnia, ex aliena ſententia nihil reponis: quaſi verò fides in ea re ſolida ſit ex auditu, auditus autem per verbum Cæſaris: idque retuliſſe ſufficiat: Cæſar dixit. qui tamen ſua ipſe ſcripta emendaturus, ſi licuiſſet, erat. Hanc ſententiam noſtrā adiuuat lib. 4. cap. 5. Paulus Oroſius. Ecce continuatim quæ & quanta numeramus accidiſſe annis ſingulis plurima: inter quos certe raro aut penè nullo nihil triſte geſtum eſt. Et hoc cùm iidē ſcriptores, propoſito ſibi magis laudandi negocio, cauerent numeroſitates miſeriarum ne eoſdē, quibus hæc & de quibus ſcribebātur, offenderent: auditoreſque ſuos exemplis præteritorum terrere potius quàm inſtruere viderentur. Porrò autem nos in vltimo temporum poſiti, mala Romanorū ſcire non poſſumus, niſi per eos qui laudauere Romanos. Ex quo intelligi datur, quanta illa fuerint quæ ſtudio propter horrorem repreſſa ſunt: cum tanta inueniātur quæ tenuiter inter laudes emanare potuerunt. Hæc ille. Tu verò mihi confeſtim obiecturus es: Tantíne teipſum facis, vt audeas Cæſareæ oblatrare eloquentiæ admirabili potius quàm imitabili? Qua tandem frōte audebis lacteum nitorem & candorem ſucco loliginis conſpergere, quem eloquentiæ parens ipſe Cicero ita extulit, vt ſupra communem authorū aleam apud eum locum inueniret? ita referente Suetonio cap. 55. Certe Cicero in Bruto oratores enumerans, negat ſe videre cui Cæſar debeat cedere: aitque eum elegantem, ſplendidam quoque, ac etiam magnificam, & generoſam quodammodo rationem dicēdi tenere. Et ad Cornelium Nepotem de eodem ita ſcripſit. Quid? oratorum quem huic antepones eorū qui nihil aliud egerunt? Quis ſentētiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior? Hæc ille.

Fides Commentariorum Cæſaris eleuata.

Ioan. 8.

Rerum Romanarum ſcriptores, quem ſcopum haberent.

Cæſaris eloquentia.

Hæc cum

Hæc cum ita ſe habeant: nemo (inquies) quod ad hiſtoriæ fidem pertinet, antiquari ſinet aut labefactari tam elegantis tamq́ue diſerti voluminis præſenti memoria editi, multorum iam vſu ſeculorũ, omnium poſteriorum conſenſu indubia iam fide comparatam authoritatem. Egregia ſiquidẽ volumina vel vnius præſidio antiquitatis indubiam à poſteris fidẽ acquirũt, cùm conſuetudinis vſuſque longæui non leuis cenſeatur authoritas. Quanto magis ſi ad autographum acceſſerit concors omnium ſentẽtia ſcriptorũ, quotquot ab ea ætate quicquam de ea re in literas retulerunt, ſummi, medij, infimi? Quis hanc teſtiũ nubẽ diſſoluere poterit, aut ſinet euaneſcere? Qui omnes, vbi de re Gallica agitur, deq́ue rebus in eo prælio in conſpectu omnium geſtis, ſic à Cæſare pendent, vti à ſole radius, à fonte flumen, à magnete ferrum. Fluxere iam pluſquam viginti à confecto illo volumine ſecula, quibus à nemine contradictum eſt huic longo iam vſu recepto volumini: in quo vno offenſo, non Cæſaris tantùm, verùm omnium penè qui ſequuti ſunt enarratorum læderetur authoritas. Iam ſi ne Hercules quidem contra duos, quomodo contra omnes poſſis tu præualere vnicus? Ad id in promptu reſponſio eſt: Quòd ſi fides huius enarrationis exigitur, non ea mente poſteros viros certè clariſſimos Cæſaris verba in epitoma redegiſſe, vt ſuam lectorúmve fidem improbè exigerent: ſatis ſuperq́ue illis erat Cæſaris aut ſenſum aut verba reponere, fide (ſi quam mereretur) remanẽte penes authorem, req́ue ipſa in medio relicta, cuiuſuis etiam lectoris arbitrio expoſita. Multa ex Solino vix credibilia, plura ex Herodoto mythologica, ex Plinio plurima recenſentur, quibus tamen non continuò fides adhibenda ſit. Plurima enim ſunt partim recenſita, partim recenſenda, quæ aſſertoris authoritatem vacillare oſtendunt. Quòd ſi de ſtili eloquentia agitur, fidei veritate ſemota illud audenter dixerim: Totius operis excellentiam, ſtiliq́ue puritatem & nitorem, quæque inde ſequitur famæ non ſine ingenti ſplendore gloriam rei Gallicæ nomen multis partibus illuſtrare. Ecquis vt audierit ex Gallicis fontibus Iulianam prodiiſſe eloquentiam, non toto ſtatim pectore aſſurgat in Gallicæ gentis præconia? A Gallo enim præceptore ſuarum artium panopliam, ac potiſſimum ſtili cultioris ornatum Cæſarem recepiſſe, magnoq́ue redemiſſe precio, conſtans opinio eſt: ita referente Ludouico Viue ſuo in Suetonium auctionario, vbi iſta leguntur. Literas Latinas Græcaſque, tum & præcepta dicendi edoctus eſt à Marco Antonio Gniphone, homine Gallo, qui magno ingenio vir, ac ſingulari memoria, præterea moribus comis, & natura facilis, primò in ædibus L. Cæſaris patris Græcam Latinámque Grammaticam & Rhetoricen docuit: hinc in ſuis ipſius, multa diſcentium liberalitate conſequutus, quum nunquam paciſceretur de mercede. Hæc ille. Tam igitur parum oneratur Gallia dubia fide authoris, quàm honoratur ipſa cultu & elegantia ſcriptoris, vt quæ à viro clariſſimo prodierit in mediis Galliis nato educatoq́ue & alito. Quin & illud ſciant velim, è media Gallia prodiiſſe idipſum in quo ſummopere gloriantur, Romanæ ſcilicet eloquentiæ nitorem fluoremq́ue perpetuum: quãdoquidem Arpinas ille Marcus Tulli⁹ Cicero Romanæ eloquentiæ perpetuus torrens, idcirco nouus homo appellatus eſt, vir alioqui ſine imaginibus nobilis, quòd parentibus in Gallia natis, vrbi & orbi illuxit. Fuit enim ex Gallia Narbonenſi oriundus, patre Auxitano Tullio nomine, matre verò Olaia Auenica ſeu Auenionenſi. Nec prorſus inſipide aut incõſultè

Cic. ex Gallia Narbonenſi oriundus.

G

pater ille Ciceronis ducere voluit Gallicam, ne ſcilicet nuberet Romanæ. Nuberet dixi, quòd nollet vxoris improperium audire, ſi peregrinitatem ei obiiceret vxor Hetruſca. Ab his igitur duobus Galliæ fontibus proceſsit ampliſsimus Latini eloquii Oceanus, quo totus irrigarur orbis: adeò vt quantum proles parentibus debeat, quibus non redditur æquiualens, tantum Galliæ Roma. Iſta educauit, illa verò genuit. Sine his parentibus nullus erat Cicero, cui etiam promptum erat vbicunque locorũ inimitabilis ſuæ eloquentiæ riuos diffundere. Quòd ergo Plinius ait lib. naturalis hiſtoriæ 3. cap. 5. Romam terrarum omnium alumnam, eandemque parentem numine Deûm electam, quæ cœlum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorũ diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, denique & ipſam homini redderet humanitatem: huius certè gloriæ partem non infimam ſibi Gallia citra iniuriam adſcribere poterit, quæ radicem genuit, fouit, & aluit, vnde huiuſmodi copiæ tot vniuerſo accreſceret orbi. Vnde igitur tuba iſta ſonora, quæ ſuo clangore vniuerſum excitat orbẽ, aut ex cuius telluris conflatorio prodierit, quando id non admodũ multis in aperto eſt, operæprecium me facturum putaui, ſi Ioannis Coſmographi ſimplex minimeque fucatum teſtimoniũ protulero, qui in Ptolemæũ in verbo Volſci, ſic ait: Volſci (alias Volgæ) populi Prouinciales non longè ab Artomicis (aliàs Artemicis) qui nunc Auraſicenſes ſunt Narbonenſibus, Maſsilienſibus, Gaballis, Cadurcis, Heluiis, ac Rhutenis, extra Celtas, Belgas, & Aquitanos. Hos Rhodanus fluuius, citra quem ſunt, alluit. Poſthac Liguſticũ mare influit. Auennici pridem à nonnullis, nnnc Auenionẽſes dicti. Ciuitas eſt epiſcopalis prouinciæ Arelatenſis, olim verò Viennenſis, maiorum noſtrorum memoria patrimonio beati Petri emptionis titulo addita. Hîc M. T. Ciceronis patrem ortum eſſe coniectura eſt, ac Heluiam vxorem ei gente propinquam, Gallam magis quàm Italam delegiſſe: ne quid, cum ignotus & aduena eſſet, ſibi ab irata vxore obiiceretur. Hæc ille. Non admodum mihi arridet ex vulgi ſententia à Plutarcho recenſita narratio, non tam ex ſuo penu quàm ex aliena officina deprompta: quòd ex patre inope, locuplete verò matre Cicero natus ſit. Incidiſſet alioqui in illud incommodũ, quod maximè vitare volebat de non nubendo vxori ſuæ: cum id pro cõperto habeatur, quod Epigrammatarius ait:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit Priſce marito:
Non aliter fient fœmina virque pares.

Ea tamen de re cum nemine contendere velim. Fidem verò aut paucam aut nullã meretur Silius, qni Tullianæ ſtemma propaginis in Tulli regis Romani ſtirpem audentius quàm verius referre auſus eſt his verbis in lib. ſui poëmatis octauo:

Tullius æratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto.
Indole proh quanta iuuenis, quantumque daturus
Auſoniæ populis ventura in ſecula ciuem.
Ille ſuper Gangem, ſuper exauditus & Indos
Impebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compeſcet linguæ: nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam ſperare nepotum.

Iam ſi ſolam antea Græcis dicendi relictam gloriam Tulliana eloquentia ad Latinos transtulerit, quid de Gallia exiſtimãdum cenſes, quæ radicem ſtirpemque huic amœniſſimæ arbori fœliciter comparauit? Cætera ex Silio de Cicerone prolata præconia perplacẽt. Sed vnde, quæſo, prodierunt, niſi ex Gallia partim, quæ vitã: partim verò ex Græcia, quæ illi eruditionem ſubminiſtrauit? Vis rem totam paucis expediam? Arpini natus, Romæ puer educatus, ex Gallia Narbonenſi Tullius oriũdus fuit. Quem quò tu amplius laudibus in cœlum extuleris, eò cumulatiore gloria Gallicam eius ſtirpem illuſtraueris. Proinde qui patrem patriæ Ciceronem libera voce dixerit, eiuſdem patriæ quodammodo auum Marci Tullij parentem fateatur neceſſe eſt. Piaculum eſt Plinio Tullium illaudatum ſilentio præterire, cuius ortus partem patria accipit, partem parentes. Quis igitur parentum patriam, Galliam ſcilicet Narbonenſem, niſi omnino ingratus, merita laude priuare nõ erubeſcat? Fœlix patria quæ Tullium aluit: fœlix itaque Gallia, quæ eius parentes in lucem protulit. Hic non poſſum non demirari ſplendidiſſimam in Euſebiano codice pſeudographiam, haud dubium quin à temerario quodam veteratore codici aſſutam. Nam ille reponit: M. T. Cicero Arpini naſcitur, matre Heluia, patre equeſtris ordinis ex Regio Volſcorum genere. Huic commento confidenter opponam Raimundi Marliani in indice ſuo ſententiam, qui omnia penè ex Iuniano Maio equite hauſit, cõſentiente etiam Ioãne Reger Coſmographiæ Ptolemæi illuſtratore. Hi omnes ſic habent ad verbum: Heluij populi inter Celtas Aruernorum fineis contingunt. Hos mons Gebenna ab Aruernis diuidit. Proximi ſunt Gaballis, Rhutenis, Cadurcis, Volſcis, & Aremicis: ac Galliæ prouinciæ Romanorum ciuitas eſt epiſcopalis, in prouincia Bituricenſi & regno Frãcorum ſiti, nunc Albienſes dicti. Hinc M. Tullij Ciceronis matrem ortam eſſe Euſebius & alij tradũt. Hæc illi. Ex his nemo dubitauerit, codicem Euſebij ſyncerum & incorruptum aliud habere, quàm referat nouus codex Euſebianus. Mater ſiquidem Ciceronis ex Bergomate, non Heluia proprio nomine, ſed patrio cenſenda venit: alioqui Olaia dicebatur. Quod autem de Regio Volſcorum ſanguine prodiiſſe Ciceronem ait, id omnino fide caret. Hoc certe in medio reliquit Plutarchus, ita dicens: At Ciceronis matrem fuiſſe locupletem, & ſplendidam vitam egiſſe ferunt: de patre nihil certum proditum eſt. Sunt qui dicant eum in taberna quadam fullonaria genitum, & ibidem ad virilem vſque ætatem educatum. Alii genus eius vſque ad Tullium Appium referunt, clarum Volſcorum regem, qui primus gentis huius Cicero dictus eſt. Extat apophthegma Ciceronis ad Metellum: à quo interrogatus, quis eſſet pater eius? omnino ad id reſpõdere diſsimulauit, aliò diuertens. Quod indicat & ſui obſcuritatem generis, & primogenituræ ſuæ nouitatẽ. Quin & apertè profitetur ſe futurum propriæ ſuæ nobilitatis exordium. Sed quid opus multis? cum ſatis conſtet quòd Cicero, alioqui vſque ad nauſeam iactabũdus, nunquam ſe continere potuiſſet ab huiuſmodi gloria euulganda, ſi regio fuiſſet ſtemmate illuſtris: vt qui in leuioribus fuerit vſque ad dicacitatis notam plus ſatis effuſus, vt ne etiam dicam redundans. His quæ diximus, accedat Plotius orator à Gallia natus, philoſophus, vt ſi quis alius, argutiſsimus, qui primus Rhetoricã Latinam docuit. Cui etiam Cicero teſtimonium perhibet his verbis: Memoria teneo, primũ Latinã docere cœpiſſe Plotium quendam. Ex his apparet, non torrẽtem ſolum eloquẽtiæ, imò verò & fontem è Galliis pri-

Ciceronis mater.

mam ſumpſiſſe ſcaturiginem. Non minus igitur Roma debet Galliæ ob eloquentiæ fontem, quàm Gallia Romæ ob eiuſdem eloquentiæ torrentem. Id quoque auſim pronunciare, nec temere: Si quid debet Roma Traiano, qui ſucceſſorem ſibi delegit Adrianũ principem ad Rempub. augendam, communi authorum iudicio minimè pœnitendum: conſequens eſt eam ipſam Romam non pauca debere Galliæ, quæ Fauorinum virum clariſſimum, Gallum, natu Arelatenſem, Imperio Romano vtiliſſimum in lucē protulit. Vna enim vtriuſque obligatio eſt & Romani Imperatoris & vrbis. Quod autem Ælius Spartianus ait Adrianum plus inuidiæ indulſiſſe erga ſuos præceptores quàm æmulationi: id non tollit obligationem, ſed auget. Tenetur diſcipulus præceptori, quantum nec perſoluere poſſit, ex beneficio ſi gratus fuerit, addo etiã ex delicto ſi ingratus. Quod ſi propria excæcatus philauria minimè agnoſcat: non tamē minus, imò verò auctius & amplius obligationis vinculo conſtringetur, gemino ſcilicet nomine, recepti nempe nec vlla gratitudine rependi beneficij. Qualem autem ſe præſtiterit Adrianus Fauorino ſapientiſſimo, vt ſi quis ſua ætate alius fuerit, his verbis docet Egnatius in Ælium Spartianum: Is eſt Fauorinus Gellianis noctibus cantatiſsimus, ex Arelate Galliæ oppido: & hermaphroditus, qui tria ſibi memorabilia cõtigiſſe dicebat, quòd Gallus Græcas literas didicerat, quòd Eunuchus adulterij cauſam dixerat, quòd Adriano principi aduerſaretur & viueret: æmulus maximè Plutarchi, cuius ſcriptorum copiam æquo animo ferre non poterat. Hæc ille. Illud tantum in his verbis demiror, quòd pro magno habeat Gallum Græcè ſcire potuiſſe: cum tamen cuiuis in promptu ſit Chronographi Euſebij de Atacini Varronis in penitiſsima Narbonenſi Gallia orti & aliti, nempe ad fluuium Atacem, de ea quam apud ſuos obtinuit ſingulari opinione, ſentētia, quæ ſic habet. Olymp. 174. P. Terentius Varro vico Atace in prouincia Narbonenſi naſcitur: qui poſtea 35. annum agens, Græcas literas cum ſummo ſtudio didicit. Hæc ille. Hic quantum in ſuo Argonautico cæteris præfulſerit, declarat hoc diſtichon.

Varronem, primamque ratem quæ neſciat ætas,
Aureaque Æſonio terga perita duci?

Et is Varro eſt, quem ſi vera Seneca refert, Virgilium non puduit imitari, in hoc præſertim diſticho:

Deſierant latrare canes, vrbeſque ſilebant:
Omnia noctis erant placida compoſta quiete.

Datur interim venia humanæ philautiæ, quæ ſibi tantum indulget, vt pro perſuaſo habeat, aut paucos aut nullos eſſe propriæ, quam ſibi ſingulariter arrogat, participes eruditionis. quo vitio laboraſſe Palæmõ paſsim legitur, qui tantum ſibi tribuit vni, vt diceret legitimã dicendi artem apud ſe natam, ſecum interituram: Sciant omnes velim, vix quicquam accidere potuiſſe indecentius Palæmoni, quàm cum hæc farrago loquēdi illi venerit in linguam. nam huius nota arrogantiæ, quidquid gratiæ illi ſupereſſe poterat, prorſus obſcurauit, obnubilauit, extinxit, vnde & ſibi perpetuæ infamiæ notã comparauit Rhemnius ille Palæmon. Sed & propter inquinatiſsimos eius mores, quorum gratia paſsim ab omnibus audiebat peſsime, ita palã de eo prædicabant omnes, nihil minus congruere Palæmoni, quàm ephebborum diſciplinam, à cuius tamen exercitio ſui peculij ſumma pendebat, cum eam ob cauſam quadragena ſeſtertia annuo reciperet ſtipendio, hoc eſt, libras turonicas bis mille. Dũ igitur ſibi Suffẹnus eſſe

Rhemnii Palæmonis arrogantia.

pergit, ſeipſum traduxit, nihil minus aſſequutus quàm vanum quem improbe venabatur honorem. Quicquid enim in eo commendabile alioqui fuerat, id omne ſua improbitate ſucco loliginis conſperſit: adeò vt ſiquis in eo color albus erat, nunc ſit contrarius albo. Nec id quidem immerito. oleum enim perdit & operam, qui illuſtrium virorum eloquentiam, vnam alteri conferre contendit. Habent enim ſuas ſingula ſecula in arte dicendi ſpeciales dotes, eaſque inuicem incomparabiles. dum enim vnus alteri confertur orator, ſi forte aliqua ex parte vincit, viciſsim quadãtenus ſuperatur ab altero: vſque adeò nihil eſt ex omni parte perfectum: vt ſi quis Varronem Ciceroni cõferre audeat, deerit in quo hic illum ſuperet, rurſumque ſuperetur ab illo. Cicero enim præſtat eloquẽtia, Varro autem diſciplinarum penè omnium intelligentia: quam in Catone Cicero ipſe ingenuè agnoſcit in Academicis, his verbis: Sunt, inquam, iſta Varro. *Lib. 1.* nam nos in noſtra vrbe peregrinantes, erranteſque tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt, vt poſſemus aliquando, qui, & vbi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem locorum, regionum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti. Plurimum quidem & poëtis noſtris, omninoque Latinis & literis luminis, & verbis attuliſti, atque ipſe variũ & elegans omni ferè numero poëma feciſti, philoſophiamque multis locis inchoaſti, ad impellendum ſatis, ad edocendum parũ. Nec minus mihi delirare videtur quicunque Ciceroniani ſeculi eloquentiam diſſerendique peritiã cum Hieronymi, Auguſtini, Ambroſij, demumque Pictauienſis Hilarij Galli conferre contendat. Nam vt demus in arte humanitatis Ciceronem excelluiſſe cæteros, ſi tamen in eo quo Theologi noſtri, verſatus aliquando fuiſſet argumento, minimè dubitauerim eum, quanquam aliàs omnis eloquentiæ peritiſsimum, iudicandum prorſus infantem. Exemplum hinc accipe, quòd idem Cicero quantum in ſoluta oratione aut declamatione edenda fœlix fuit & ſublimis, tantum in edendis carminibus ieiunus erat, ſterilis atque infœcundus: Id quod non ocioſè annotauit Satyricus Poëta, dum de Cicerone ait: *Iuuenalis Satyr. 10.*

O fortunatam natam me conſule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet.

Si ergo orator ille ſummus in edendis carminibus infans elinguiſque fuerit, quomodo nõ prorſus mutus foret in arcanis ſacroſanctæ Triadis enodandis, & diuinitatis ineffabilibus ſacramentis elucidandis? Nemo igitur ſit tam delyrus, vt ſeculum vnum alteri ſeculo conferre audeat, cum & themata de quibus agitur, & phraſes nihil inter ſe habeant commune, vnde mutuo conferri poſſint. Quid enim ineptius fuerit, quàm lyncem fortitudine velle æquare leoni? Ita nihil habent ſymboli Theologica dictio, & humanioris phraſis eloquentia. Habet omnis ætas in quo nouo dicendi genere gloriari poſſit & verè debeat citra alterius iniuriam. Ac per hæc Palæmonis vaniſſima arrogantia *Palæmonis arrogantia.* nullo negotio retunditur, inquientis, ſecũ natas literas vnà ſecũ interituras. Imò & amplius dicã, habet noſtra ætas ſuos Marones, & Cicerones, etiã ſi defuerint illis Mecœnates: habet & ſuas bibliothecas loquẽtes, atque (vt ſic dicã) apes aureas. Quinetiã vti paſsim Vergilius circũfertur Latinus Homerus, ita & merito appellauerim Baptiſtam Mantuanũ Chriſtianũ Maronẽ. Deſiderius (quod ſatis conſtat)

Eraſmus à parte noſtra pro diui Hilarij patrocinio (quem eloquentiæ nomine Quintiliano parem facit) ſtare poterit:vti ex eius verbis in præfatione ad ſacræ triadis volumen, citatis eius verbis, ne quis mihi fortè diffidat, facilè agnoſcitur, citato in rem ſuam diui Hieronymi conſtanti teſtimonio. Sic enim ait Eraſmus: Hieronymus in epiſtola quadam ad Paulinum, de doctis cenſuram agens, Hilarium ſcribit Gallicano attolli cothurno, quum alioqui Græcorum floſculis ornatus incedat:fruſtraque legi ab imperitioribus,quòd interdũ longis periodis inuoluatur. quanquam vbique ſuum dicendi quoddam dicendi genus habet Hilarius, tamen in hoc opere præcipuè verum eſt.tem enim,vt eſt probabile,mutuatus à Græcis, addidit Gallicam eloquentiam,cùm Græcis peculiaris ſit erudita ſimplicitas, & oratio venuſta dilucidaque magis arrideat, quàm grandis & operoſa. Hac grandiloquentia Gallis peculiari quoſdã adpingit his verbis: Habet huiuſmodi quiddam & Sulpitius Seuerus: habet & Eucherius etiam hoc elaboratior, ſed cura fœliciore, ſi quid tamen ego iudico. Nec degenerat ab hac phraſi Guillelmus Budæus, vir inter huius æui ſcriptores celeberrimus:adeò ſublimis,vt tubam ſonare credas, non hominem; adeò fœliciter elaboratus, vt eruditum lectorem nunquam ſatiet, triuialiter literatos procul ſubmoueat. Neque his contentus, ſic ait: Apparet hoc ſenſiſſe diuum Hieronymum,qui in epiſtola ad magnum oratorem Romanũ,ſcribit hunc in modum:Hilarius meorum cõfeſſor temporum & epiſcopus, duodecim Quintiliani libros & ſtilo imitatus eſt,& numero. Difficillimum eſt autem,eum qui vel artis præcepta tradit,vel de rebus natura ſubtilibus argumẽtatur, curam expoliendi ſermonis cum perſpicuitate coniungere. Quintilianus præter has difficultates etiam breuitatem affectauit. Hilarius(vt paucis dicam) hoc apud poſteros obtinuit, vt ob vitæ ſanctimoniam, inſignem eruditionem,admirabilem eloquentiam,æui ſui lumen paſſim habeatur: & à Hieronymo iudicetur ac vocetur Deucaliõ orbis, Latini tuba ſermonis,Latinæ etiam Rhodanus eloquẽtiæ. Dum hæc de Hilario Eraſmus comminiſcitur, nemo eſt qui in hac parte vel ipſius Galliæ nomine non ei gratificetur.Illud tamen(vt ingenuè quod ſentio dicam)in eo meritò diſplicet,quòd in multis diſſimulanter laudatum arcuato vulnere lædat,& obliquè taxet,nec eum tantum, imò verò quotquot in lucem profert Gallicæ nationis heroicos proceres, quos magna ex parte mordaci inſpergit aceto: ac Parthorum more diſſimulans ac fugiens auerſo vulnere pungit & vngit: ac(vt ſic dicã) titillando arrodit. Eſt tamẽ in quo nequeam vacillantem hunc tanti viri laudatorem deintegro commendare, cùm vix vllum præceſſerit elogium cui non ſtatim adfigat obſcurum aliquid, quod laudatum arcuato vulnere aut offendat aut pungat. quaſi melle litum gladium proferens,vna manu panem,altera ſtatim porrigit pugionem:& quæ pedibus impreſsit veſtigia, continuò cauda delere videtur: ſuauibus triſtia,mellitis fellea, dulcibus acria ſtatim admouens. Quod autem dicat Pictauenſem Hilarium eſſe Galliæ totius vnicum decus, hac in parte non Gallico tantum nomini, imò ſibi quoque ipſi iniurius eſt. Nemo enim hæſitat ad Galliã Ciſrhenauã pertinere Batauos.Hac igitur ratione Gallus ipſe & ſeipſum & ſolũ natale ſuũ debita(qua ſe reddit indignũ) ſpoliaret gloria.Iam qui ſibi nequã, quomodo aliis bonꝰ erit?Aut igitur fateatur ſe eiuratorem patriæ,aut eloquentiæ nomine nulla apud poſteros memoria dignũ. Ego verò vel inuito cõferre velim beneficiũ ſi non ex perſonæ per ingratitudinẽ beneficio,certè ex

debita patrię gratia. Quis enim Gallico nomini fuerit tā inofficioſus, vt neget Eraſmum (citra cæterorum offenſam) primas tenere in ſuauitate eloquentiæ, deliciíſque ſermonis? & huius rei cauſa, Galliam ei gratiam debere non modicam, vtpote homini in Gallia nato: ſibi verò gloriam comparaſſe minime vulgarem. Vix igitur admiſerim diuū Hilarium tantum ſibi tribui deſideraſſe, vt vnicum totius Galliæ decus haberi velit. Nihil enim laudis illi deperit, ſi aliis quoque communem dicatur promeruiſſe gloriam. nec mirum. Stella enim differt à ſtella in claritate. Quin ſatius fuerit diuum illum pręſulem nō ita laudari immodicè, quàm lubricè commēdari. Malim ego illaudatus abire, quàm ſi ieiunè aut truncate blanditiis illinitus, mordaci rodar aceto. Hoc enim quid aliud eſt, quàm in ſublime tolli, vt lapſu grauiore ruas? Curandum igitur erat vnum è duobus, vt aut non tam impenſe ſublimitérque commēdaretur Hilarius, aut certe paucis cum dentibus inde rediret: ne lucis radios cenſurę obſcuritas obnubilaret. Sed quàm longe abſit à vero, qui in vnico Hilario omnem gloriæ expectationem reponit, citra ſudorem omnem & puluerem vnius eloquētiſsimi iuxtà ac diſertiſsimi Longolij teſtimonio demonſtrare licebit. Is enim dum alios commendat Gallicæ nationis proceres, ſibi quoq; ipſi ingentem gloriam comparat, vtpote homini Gallo: & dum alios aperta voce commendat, ſe quoque ipſum tacitè incomparabili laude dignum oſtendit. Vt illud interim taceam, quòd eloquētiæ nomine, quæ rara auis eſt, ciuitate Romana donatus ſit. Is ergo in oratione pro Gallia, à ſe edita, tam fœcundus eſt in citandis laude dignis Gallicæ nationis heroibus: vt quicquid in eam rem ſcriptū, pictum, ſculptúmve ſit, complecti videatur: & ita complecti, vt in huiuſmodi argumento poſteritati ne minimum quidem ſpicilegij aut racemationis locum reliquerit. Erit ergo ille nobis vnus inſtar omnium. Sic enim ille ait: Poſt innumeros multiſcia eruditione probe inſtructos, inter recentiores excelluerūt Germanus Brixius, in quo inuenies & demiraberis facilitatem: in Varannio ſimplicitatem: in Burro ſanctitatem: in Iacobeo elegantiam: in Delpho candorem: in Pio ingenium: in Conrardo varietatem: in Briando acumen: in Caſtello eruditionem. Dicet Budæus diligenter: Briconetus leniter: narrabit apertè Sciſſellus: eloquetur grauiter Tiſardus: appoſitè Badius: Gaguinus luculenter: Pinus ſcitè: duo Fernandi ſplendidè: Eraſmus copioſè, acutè, nitidè: Faber Stapulenſis philoſophicè, cuius incude expolita iam purè loqui didicit philoſophia. Clichthouei caſto ſermone theologia melle dulcius cōcionabitur. Literatura Bouilli Matheſi rubiginem deterſit. Copo duce, medici & cum eloquentia curabunt morbos: præeunte Campegio, omnes philoſophiæ partes tentabunt. Quid de Textore Niuernenſi, qui tot ſingularia laborioſè in ſua officina in vnum coniecit? Quid de Petro Turrello Heduo? qui alter Ptolomæus in coſmographia, alter Alcabitius in aſtrologia, alter Cicero in arte dicendi, alter Bias in philoſophia, alter Liuius in hiſtoria dici poteſt, & vnum dicere non pudebit: quòd nec maiorem, imò nec parem recipit Gallia, nec ſimilis inueniri poteſt. Non tamen ſingulis has ſolas ineſſe virtutes exiſtimo, ſed his inſigniores: cum nemo ex eis & proſa & verſa oratione non polleat. Nemo item quin ſit aut medicinæ aut philoſophiæ, aut iuris, aut theologiæ conſultus, omnes ferè atticiſſantes, pleriq; hebraice periti & Chaldaice, & omnes ferè Græcam linguam tanquam maternā habentes. Hactenus Longolius perquam ſcitè & eleganter in hac cauſa perorauit: ego verò, ſi quis mihi

1. ad Corin. 15.

Longolii commendatio.

racemationi locus relinquatur aut ſpicilegio poſt terga metentiũ ſeſe offerenti, citra ſiniſtræ opinionis labem tutò aſſerere poſsim hanc noſtram ætatem ſuos habere Plinios naturalis hiſtorię elegantes deſcriptores: inter quos non poſtremus eſt Gillius noſter, qui de partibus animalium elegantiſsime diſſeruit. Strabonem geographum partim, partim verò Plinium graphicè præſentabit in varijs ſuis operibus Petrus Belonius Cenomanenſis, Aſiæ & Africæ peragrator & nomẽclator indefeſſus, ac minimè obliuioſus. Gellij in ſuis Atticis noctibus perſonam ſuſtinebit polygraphus Græcolatinus iuxtà ac Latinogræcus, qui paulo ante hunc diem in fata conceſsit phyſiologus Lazarus Bayfius: qui rem nauticam, veſtiariam, hortenſem, ſpecioſis coloribus nobis politiſsime tinctam reliquit.

Te igitur conuenio, ô bone Palæmon: Si tu nunquam vitæ huius limen attigiſſes, támne tui es immemor, vt tibi perſuaderes nullos ſupereſſe poſſe, qui delibato atque epoto Ciceroniano eloquentiæ torrente, perpetuam ſui memoriam poſteritati reliquiſſent, cùm ipſe nihil edideris vnde gloriari poſsis per te profeciſſe poſteros? Cõtrà verò pro oraculo habeatur iſtud elogium: Multũ ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. Quo fretus augurio, quóve illuſtrat' oraculo futurum tibi perſuadebas, vt nemo tibi in arte dicẽdi foret æqualis: qui nec ignorare poteras Varronem Ciceronémque præceſsiſſe innumeris gradibus in eo diſciplinæ genere fœliciores? Sed tuo ſeculo ætas penè continua Plinium nobis edidit, Quintilianum, Suetonium, & alios id genus innumeros: quorum fœliciſsima conditio te manifeſtę arguit vanitatis. Hi omnes ſuæ eloquentiæ ſpecimen poſteritati reliquerũt penè inimitabile, & omnibus admirabile. Tu verò ne minimo quidem volumine eius quam tu tibi arrogas eruditionis argumẽtum præbuiſtis. Hæc tua temeritas & immanis audacia in hoc ſolum poſteritati prodeſſe poterit, vt cæteri tuo exemplo moniti, cautioréſq; effecti, conſultius & demiſſius de ſe ſentiant, & ab huiuſmodi inſolẽtia ſibi temperantes, modeſtius ſe gerant: imò futuros credant qui qualibet arte loquendi priſcos patres aut æquare aut præcellere queant. Quod minime ignorauit qui ait:

Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones.

Sed nec dubitauit Angelus Politianus nõ ſine authore aſſerere in epiſtolari ſtylo ſilendum prorſus eſſe de Cicerone, quin potius ex Sidonio Apollinari palmam Plinio nepoti tribuendã in epiſtolari fœtura. Non ergo interituræ erant poſt tua fata bonæ literæ, lepidiſsime Palæmon. Quin & illud ingenuè profitetur idem Politianus, nonnihil obſcuritatis habere epiſtolare volumen Ciceronis ad Atticum: cuius ætas habuit ſuas bibliothecas loquentes. Hermolaum Barbarũ virum illum eloquentiſsimum, ac proinde nihil minus quàm barbarum: & miranda potius quàm imitanda Pici Mirandulæ ſcripta quis ſilentio prętereat? Quid de noſtra ætate dicã? Quę enim tam inhoſpita Phœbo patria eſt, quæ non amplectatur & exoſculetur ac venerabunda ſuſpiciat in Budæo profundam eruditionẽ cum ſumma vetuſtate coniunctam? in Deſiderio Eraſmo dicendi copiam, in ſcribendo fœlicitatem, ac inimitabilem in omni genere diſſerendi facilitatem? Nec ſolum ætates omnes ſuos habuere Mercurios, imò nec videtur nec auditur natio, quæ non habeat ſuos in arte dicẽdi heroes. Hiſpania pręter eloquentiæ proceres vetuſtos, ſuo gaudet Quintiliano, Seneca, Martiale. Neque id tantum, imò & præſens iſtud ſeculum, Ludouici Viuis, Antonij Nebriſſenſis, & ante hos Prudentij, ac Iuuenci presby-

reri ſplendore illuſtratur. Habet ſuum Anglia Linacrum, & apotheoſi iam donatum Thomam Morum veneratur & colit: Beato ſuo Rhenano, Rodulpho inſuper Agricola, aliiſque innumeris mirificè gloriatur Teutonica Gallia: neque id immerito. Si vlterius te in Latium conferas, tam ingens tibi paſsim obuia erit eloquentiſsimorum hominum copia, vt dicas pauperis eſſe numerare pecus. Dicas inquã oram illam Italiæ vniuerſam equum eſſe Troianum, ex quo innumeri eloquentiæ proceres nulla non ætate prodierunt. Eat nunc arrogantiſsimus noſter Palæmon impudentiſsimè vanus, & dicat (ſi tamẽ hiſcere audebit) ſtatim à fato ſuo extremo humaniores literas interituras. Vbi enim (quod vaniſsimè & arrogantiſsimè dictum res ipſa docuit) Palæmone iam extincto Latinæ periſſent literæ, extinctos cineres denuo ſuſcitaſſent nedum exteræ nationes, imò & Gallia ipſa Fuit enim non longo poſt tempore Varro Atacinus, qui ab Atace Fluuio Narbonenſis Galliæ nomen deſumpſit: teſtis Euſebius Cæſarienſis, aut eius ſupplementarius diuus Hieronymus. Floruit ille olympiade centeſima ſeptuageſimaquarta, græce doctus iuxtà ac latine. edidit ille argonautica, laudatus à Quintiliano, Propertio, atque Ouidio Naſone, hoc diſticho:

Varronem, primámque ratem quæ neſciat ætas,
Aureáque Æſonio terga petita duci?

De quo hic ſatis: nã de eo præceſsit paulò antè memoria. Nunc quãdò in ea verſamur arena Gallica, quæ non paucos eloquentiæ candidatos per omnes effudit ætates, locũ inueniat Petronius arbiter Gallus, patria Maſsilienſis, vir in taxandis moribus cũ acer tum feſtiuus, ſeria miſcere iocis ſemp aſſuetus: qui hui⁹ hemiſtichij author cẽſetur:

Primus in orbe deos fecit timor.

Et à Sidonio Apollinari non parum commendatus. Cui comes adſiſtit Claudianus Mamerus Viennenſis Gallus: ab ipſo etiam Sidonio Apollinari mirum in modũ celebratus: qui nedum in poëtica, verùm etiam in philoſophica, quódque magis mireris, in theologica arena ſeipſum magna cũ laude exercuit. Argumento eſt Sidonij liber quartus ſegmento tertio, atque etiam vndecimo. Vir erat doctrinæ & frugiferæ, & reconditæ.

Huic albo præter diuum (cuius ſuprà meminimus) Hilarium, inſcribendus eſt Alcuinus Auitus Viennenſiũ præſul, qui poëticen vnà cum theoſophia mira ſuauitate coniunxit, Arianæ impietatis inſectator indefeſſus, ac ſynceræ fidei in Gallia propugnator eximius, à Sidonio Apollinari non parum commendatus: quẽ mox ſequitur Proſper Aquitanicus, ex milite togatus effectus ſub Leone põtifice maximo, apud Regium Lepidi in præſulatũ aſſumptus: cuius iſtud eſt breue elogium:

Fugit omne quod tenemus,
Nec fluxa habent recurſum.
Vbi nunc imago rerum?
Vbi nunc opes potentum?

Laudatur & à Sidonio Apollinari Petrus & Victorius, Gallus vterq;, tanquam vtraque nitentes facundia, vterque vndecunque doctiſsimus à Sidonio pleno ore appellatus. Qui & ipſe Sidonius tempore Theodorici Gothi omnium opinione præclarus, ſed hoc vno clariſsimus, quòd cùm Burgundi graui inedia laborarent, propriis impenſis quatuor milia egenorum pauerit. Fuit ille Theodorico à ſecretis: vti ex libro Variarum liquidò cõſtat. Huius encomij habuit Ericiũ poë- *Sidonius Apollinaris.*

tam præceptorem, Flauiúmque Nicetium celebrẽ ea ætate grammaticum ſodalem, ſibique conterraneum, prudentiæ opinione clariſsimum: qui tantæ apud ſuos fuit æſtimationis, vt in foro Traiani Romę ſtatuam habuerit erectam gemina decoratam corona: etſi tantã gloriam illi inuideant nonnulli. Sequens eſt, Auſonij Galli florulentiſsimi poëtæ æternæ memorię diligenter incumbere. fuit hic patria Burdegalenſis. patrem iſte habuit Vaſſatem patria, cũ fuerit ipſe lare Burdegalenſis. illinc oriundus, hinc verò ortus. Gratianum imperatorem diſcipulum habuit, à quo & ipſe conſulatum accepit. Habuit inſuper apotheoſi iam donatum diuum Paulinum, elegantẽ poëtam diſcipulum. Valuit in eo ſupra communem cæterorum aleam eruditio ſuſpicienda: cuius aſtutiæ plurimũ ſalis, ac lepôris venuſtas comes adfuit: quanta verò ſuo ſeculo authoritate ſplenduerit, vel ex hoc vno intelligi poteſt, quòd ſynodo Treuerenſi vnà cum diuo Martino non adfuerit modò, verum & quadantenus præfuerit. Sed & omnes ingenij numeros in ſua lympidiſsima Moſella abſolutiſsimè compleuit. Qui mox ſequuntur Galli poëtæ, ſuis ſinguli ætatibus non parum ſplẽdoris attulerunt. Fauſtus inquam Gallus, eruditiſsimus, patria Vaſſates: qui tamen nubeculam ex Pelagiani erroris ſuſpicione contractam, à Fulgẽtio admonitus, ſtatim à ſe depulit. Huic comes aſsiſtit ſtilo candidus, facilitate admirabilis, Cenomanenſis antiſtes Gildebertus: qui tandem ductu & auſpiciis Honorij ſecundi ex ea ſede ad Turonẽſem euolauit, ad veterum poëtarum elegantiam è proximo accedens, cuius eſt illud de vrbe Roma diſtichon:

Vrbs fœlix, ſi vel dominis vrbs illa careret:
    Vel dominis eſſet turpe carere fide.

His aſſidet Marbodeus Gallus. qui Gemmariam philoſophiam vnà cum ſuo nõ prorſus inelegauti poëmate coniunxit. Suæ quoque venuſtatis ſpecimen poſteritati reliquit Milo & ipſe Gallicus, qui Caroli Calui tempeſtate ſplẽdorem addidit minime contemnẽdum. Cui proximus aſſidet Hugubaldus Caluorũ illuſtrator mirificus, vti ex titulo apparet hoc carmine decantato:

Carmina clariſonę Calui cantate camœnę.

In quo opere copia verborum ita excelluit, vt ſe ea lege conſtrinxerit nullum ſuo operi inſerere vocabulum niſi quod à C elemento inſcriptionem haberet. Rigarius deinde Petrus, patria Remenſis, ſuccedit: qui vtrunque organum ſuo carmine complexus eſt ſub Aurorę nomine ſuo operi indito. Cui & ætate compar acceſsit Gnidus, dictionis facillimæ poëta: qui argumento non diſpari Bibliorum margaritam conſcripſit, Clementi quinto Pontifici dicatam. Celebratur etiam à multis Theodulphus Aurelianẽſis põtifex: ſui carminis cõcinnitate, vinculis in quæ cõiectus fuerat, abſolutus: cuius doxologiæ caput eſt:

Gloria laus & honor tibi ſit rex Chriſte redemptor.

Celebratur inſuper Sigiberti nomen & fama poëtæ, vnà cum Ioannis Gerſonis poëmate: & paulo ante ea tempora Galterus in ſua Alexãdreide, natione Brito: cuius elegantiæ ſpecimen ſubiungere libuit, quod eſt huiuſmodi:

O fœlix mortale genus, ſi ſemper haberet
Æternum præ mente bonum: finémque timeret
Qui tam nobilibus media cum plebe creatis
  Improuiſus adeſt.   Sequitur:
Dum quæris profugos, qui nunc venduntur honores,
Ecce repentinæ modicæque occaſio febris

Diſſoluit toto quæcunque parauimus æuo:
Magnus in exemplo eſt,cui non ſuffecerat orbis:
Sufficit exciſo defoſſa ex marmore terra
Quinque pedum fabricata domus,qua nobile corpus
Exigua requieuit humo.&c.

Hæc ille Galterus in ſua Alexandreide.Ex Philippeide Ægidij Pariſienſis plurima citantur in Hierarchia Pariſienſi, in Petri Lombardi prælatura.Sed nec impari gloria dignus comes accedit venuſtus ac flo rulentus Carolini poëmatis ſimúlque Philippeidis author, poëta & terſus & elegãs:qui Bouinianã à Philippo Auguſto adepta victoria aduerſus Ottonem & Ferdinandum Flandrum elegãti carmine conſcripſit: is eſt Ægidius poeta Pariſienſis. Carolini poematis ſupra meminimus.Quæ ſupradicta omnia eò tendunt, vt odioſa nimiũ humanis auribus indigna Palæmonis iactãtia retundatur,quam euomere nõ puduit:humaniores ſcilicet literas ſtatim à ſua morte interituras: qua immani temeritate vix vlla aut dici potuit aut cogitati inſignior,in qua confutanda hic modus eſto.

ENCOMII GALLICI
perioche ſeptima.

PRISCÆ Gallorum Ianigenarũ ætati extremum limitem mihi impoſuiſſe viſus eſt quintus Romanorum rex Tarquinius cognomẽto Priſcus,à cuius videlicet imperio initium ſumpſit Gallorũ ſecunda ætas,non tam priſca vocanda,quam vetuſta. Hi enim priſci dici ſolent,qui ſunt longè à noſtra ſemoti memoria. Sic priſca dicuntur & tempora & ſecula,qualia fuere & aurea ætas,& Saturnia regna.Neque enim ita nos fugit eorũ de quibus dicendum eſt, memoria, vt non de eorum aut origine aut geſtis apud probos authores,longè tamẽ à noſtra ætate ſemotos,ſcripta legantur. Hi nimirum ſunt Celtogallici, qui ex Celtica apud Bituriges Gallia, Ambigato illic regnante, profecti ſub Belloueſo duce per Alpes viam ferro aperiẽtes, Galliæ quæ nunc à Romanis ciſalpina dicitur,nomen indiderunt, ducentis priuſquam Brennus eò aduẽtaſſet(& fortaſſe paulo amplius) annis. Huius rei certiſsimum teſtem proferemus Liuium Patauinum decadis primæ lib.5. qui vnꝰ nobis inſtar ſit omnium.Libet tamẽ prius hoc præfari, priſcum illud ſeculum eo annorum cõplexu circunſcribi, quo Italiam tenuere Aborigines, ac deinde Siculi,Pelaſgi quoque,Tuſci, inſuper & Hetruſci. Legimus enim Vmbros vetuſtiſsimos Italorum, quòd inundationi terrarúmq; imbribus ſuperfuiſſent, hoc nomine fuiſſe appellatos. Hi Siculos & Liburnos expulere agrorum ſuorũ inuaſores.Demum & ipſi à Tuſcis expulſi ſunt,trecẽtis vrbibus expugnatis: Tuſci verò deinde à Gallis. Nam Galli Hetruſcos vnà cum duce ſuo Rheto in alpes Rheticas ſecedere complerunt:quas qui hodie incolunt, Heluetícæ factioni adhærent, qui & Griſones etiamnum appellantur.Magna enim ex parte leucopheati incedunt. Eſt etiam Heluetica gens Gallica, Cæſare & Tacito authoribus. Irritauerunt(inquit Tacitus) turbidũ ingenium Heluetij Gallica gens.

Porrò quod de priſcis illis nuper dictũ eſt, non obſcure confirmat Plinius lib.3.cap.14.in hunc modum : Iungitur hic ſexta regio Vmbriam complexa,agrúmque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit,Togata Gallia cognomine.Siculi & Liburni plu-

rimi eius tractum tenuêre, in primis Palmēſem, Prætutianum, Adria-
numq́ue agrum. Vmbri eos expulêre, hos Hetruria, hanc Galli. Vm-
brorum gens antiquiſsima Italiæ exiſtimatur: vt quos Vmbrios à Grę
cis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſet.
Trecenta eorum oppida Tuſci debellaſſe reperiuntur. Dyoniſius Ha-
licarnaſſeus bene multa de Pelaſgis, deq́ue Aboriginibus mutuo fœ-
Lib. 1. dere iunctis aduerſus Siculos, non paucis verbis enarrat. Vt autem de
multis pauca colligam, ſic ille ait: Multa quoque alia loca in ora ma-
ritima atquemediterranea obtinuerunt, expulſis Siculis. Siculi autem
vtpote qui lares proprios ob Pelaſgos & Aborigines obtinere non
poſſent, filios & vxores aſſumentes, & pecuniarum quicquid aurum
& argentum erat, agro omni ipſis cedunt. Conuerſíque per montana
in Notium omnémque Italiam inferiorem permeātes, cum vndique
pellerentur: fabricatis ad tempus ratibus ad traiiciendum fretum, at-
que obſeruato æſtu, cum deſcenderet ex Italia, in proximam inſulam
ſecundo mari tranſmittit. Occupauerant autem eam Sicani, genus
Hiſpanum, nō multò antè, cum & ipſi Ligures fugerent: fecerántque
ex ſuo nomine vocari inſulam Sicaniam, quę antea Trinacria diceba
tur à figura triangulari. Erāt enim in ea ſanè nuda non multi incolæ,
maiorq́ue pars eius erat adhuc deſerta. Detenti igitur in ea Siculi,
partes primum Occidentales incoluerunt: poſteaq́ue alias etiam
multis in locis. Cœpitque ab eis inſula Sicilia vocari. Sicque igitur
genus Siculum reliquit Italiam. De Pelaſgis vero deletis ſubiungit:
Cæterum Pelaſgi regionis multæ bonęque domini, & vrbibus quibuſ
dam captis, & aliis cōditis, celerem & magnam acceſsionem habue-
runt prolis, & diuitiarum atque aliarum fœlicitatum. Quibus tamen
non diutius perfrui eis licuit: ſed tunc maxime cum florere omnibus
videbantur, aduerſo numine agitati, alij deorum ira, alij à barbaris ac-
colis ſunt deleti. Maxima verò pars eorum in Græciam, rurſus & in
barbarorum terram diſperſa ſunt. Hæc Dionyſius. Sed hæc omnia ad
vetuſtiſsimam priſcamve ætatem pertinent.

Gallorum ſecū da ætas Nunc explicanda ſunt ſecunda Gallorum incunabula, qui à nobis
veteres, non tamen priſci, Galli dicendi ſunt. Quod quidem ſæculum
à tranſcenſu Alpium duce Belloueſo initium ſumit, prorogatúrque.
Hæc ętas Gallorum ſecunda vſque ad Chriſti naſcentis auſpicatiſsi-
mum, cunctiſque gentibus deſideratiſsimum, ſęculum: quo ſcilicet
tempore decennali bello à Caio Cæſare, perpetuo ſed non diuturno
dictatore, Gallia Tranſalpina ſubacta eſt, non tam domita quàm tri-
umphata. Sed nec triumphata quidem à Iulio Cæſare, qui non mul-
tò pòſt ſuorum ſacrilegiorum pœnas luit, duobus ac triginta vulneri-
bus confoſſus. Huius ergo ętatis ſecundę primordia his verbis Liuius
auſpicatur. Aduentante (inquit lib. 5. Dec. 1.) fatali vrbis clade, legati
ab Cluſinis veniunt auxilium aduerſus Gallos petentes. Eam gentem
traditur fama, dulcedine frugum, maximeq́ue vini noua tum volupta
te captam, Alpes tranſiſſe: agróſque ab Hetruſcis antè cultos poſſediſ
ſe, & inuexiſſe in Galliam vinum illiciendæ gentis cauſa, Aruntem
Cluſinum ira corruptæ vxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipſe,
præpotente iuuene, & à quo expeti pœnæ, niſi externa vis quæſita
eſſet, nequirent. Hunc tranſeuntibus alpes ducem authorémque Clu-
ſium oppugnandi fuiſſe. Equidem haud abnuerim Cluſium Gallos ab
Arunte, ſeu quo alio Cluſino adductos: ſed eos qui oppugnauerint
Cluſium, non fuiſſe qui primi Alpes tranſierint, ſatis conſtat. ducentis
quippe annis antè quàm Cluſium oppugnarent, vrbémque Romam
caperent,

caperent, in Italiam Galli tranſcenderunt: nec cum his primùm Herruſcorum, ſed multò antè cum his qui inter Apenninum Alpéſque incolebant, ſæpe exercitus Gallici pugnauere. Tuſcorum ante Romanum imperium latè terra maríque opes patuêre. Mari Supero Inferóque quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento: quòd alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab Adria Tuſcorum colonia vocauere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant. Hi in vtrunque mare vergenteis incoluere vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad inferum mare: poſtea trans Apenninum, totidem quot capita originis erant, coloniis miſsis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venerorum angulo, qui ſinum circuncolunt maris, vſque ad alpes tenuêre. Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo eſt, maximè Rhetis: quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent. De tranſitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum (quæ pars Galliæ tertia eſt) penes Bituriges ſumma imperij fuit. Hi regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunáq; cum ſua tum publica præpollens: quòd in imperio eius Gallia adeò frugum hominúmque fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe iam, exonerare prægrauante turba regnum cupiens, Belloueſum ac Sigoueſum ſororis filios impigros iuuenes miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedes oſtendit. quantum ipſi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere aduenientes poſſet. Tum Sigoueſo ſortibus dati Hercynii ſaltus. Belloueſo haud paulò lætiorem in Italiam viam dii dabant. Is, quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, exciuit. profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricaſtinos venit. Alpes inde oppoſitæ erant, quas inexuperabiles viſas haud equidem miror, nulla dũ via (quòd quidem continẽs memoria ſit, niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas. Ibi cùm velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos, circũſpectaréntque quánam per iuncta cœlo iuga in alium orbem terrarum tranſirent, religio etiam tenuit: quòd allatum eſt, aduenas quærentes agrum ab Salium gente oppugnari. Maſsilienſes erant hi, nauibus à Phocide profecti. id Galli fortunæ ſuæ omen rati, adiuuere, vt quem primum in terram egreſſi occuparent locum, patentibus ſyluis communirent: ipſi per Taurinos ſaltúſque Iuliæ Alpis tranſcenderunt: fuſiſque acie Tuſcis haud procul Ticino flumine, cùm, in quo conſederant, agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognominem Inſubribus pago Heduorũ: ibi omen ſequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarunt. Alia ſubinde manus Germanorum Elitouio duce veſtigia priorum ſequuta, eodem ſaltu fauente Belloueſo cùm tranſcendiſſet alpes, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes ſunt, locos tenuere Libui, conſidunt. Poſt hos Salluuii, qui prope antiquam gentem Leuos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem, petiere Apenninum. Deinde Boii, Lingonéſq; trãgreſsi, cùm iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Hetruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt: intra Apenninum tamen ſeſe tenuere. Hucuſque T. Liuius. Et hæc prima fuit Gallorũ in Italiam expeditio annis ante aduentum Brenni ducentis. Qui ita ſuos per Italiam fines dila-

tarũt,vt à mari ſupero ad inferum, hoc eſt Adriatico ad Tyrrhenum, ſub Gallico nomine poſſiderenr: in longum verò ab Alpibus ad agrum Picenum Fortunæ phanum, (quæ eſt apud Melam Faneſtris colonia) ſeu marcam Anconitanam, quæ à cubito angulóve nomen accepit. Sunt enim Ancones promontoriorum flexus. qui & vltrà Græciam petituri, in Apulia Gallipolim de ſuo nomine condiderunt. Vnde & Helleſpontus ab anguſtiis iuxta Gallipolim hodie nomen retinet. Vulgo enim appellatur, Streto de Gallipoli. Quocirca minimè recipiendus videtur Appianus Alexandrinus in libro ſuo Celtico, qui ait: Celtæ primi Romanis inſurrexiſſe dicuntur, vrbem quoque (Capitolio excepto) vi captam incendiſſe. Nam primi nominis Galli, annis, (vt hic dicitur) ducentis Brenni in Galliam aduentum præceſſerunt. Verùm crediderim ego Celticum Appiani librum non extare integrum, ſed corruptum in lucem prodiiſſe, detruncatumque ac mutilum. Hic autem dum de Gallis loquimur, eos tantùm comprehendi volumus, qui Ciſalpini partim tranſalpinique dicuntur: & ij præſertim, qui ab Alpibus & Rheno ad Pyrenæos montes protenduntur in longum: in latum vero mari clauduntur ad Arcton Oceano: ad Auſtrum verò Tyrrheno, Liguſtico, & eo ſinu qui ſelectim Gallicus appellatur: qui Galli ſunt, non Germani. In prima quidem ſub Bellouєſo expeditione, Bituriges: in altera verò Senones, quos Rhenus à Germanis authorum ſententia ſecernit. Qua de re Merula libro tertio ita diffinit, Gallos communi appellatione dictos quicquid à Rheno per Oceanum, monteſque Pyrenæos, mare mediterraneum, & Apenninum vſque ad Anconam terrarum clauditur. Quin & Celtas dictos ait à verbo κελήτω, hoc eſt, equites. Nam & κελητίζω hoc ipſum ſignat, quaſi dixeris, equum exagito, ſeu curru nauigióve decerto. Cætera quæ de Hercule referuntur, ex priſco Gallorum nomine petenda ſunt. De colliſione literarum, tranſmutatóque nomine à Celtis in Galatas: id vt Merulæ, ita nec mihi vllatenus probari poſſe videtur. Nam ab equitatura dicitur Celta, & à Candore Galata. Quod etiam Vergiliano carmine probatur:

Celtæ vnde dicti.

Aenei. 8

Galli per dumos aderant, arcémque tenebant
Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæſaries illis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quiſque Alpina coruſcat
Geſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

Idem (fateor) Liuius author eſt, Germanorum militatem manum Elitouio duce Celticorum veſtigia ſecutam, annuente tamen Bellouєſo, Alpes tranſcendiſſe, eóque deſcendiſſe, vbi Brixia extant & Verona, non ab eis, ſed à Cenomanis conditæ. Pauci admodum primæ huius profectionis Gallicæ, quæ Bellouєſo duce facta eſt, meminere, hoc vno Liuio dẽpto omnia in Brenni tẽpora reiiciẽtes. Qui tamen ſcire debuerant ex diuerſis belli ſociis colligi potuiſſe, non vnã fuiſſe profectionem Brenni ac Bellouєſi. Brennus ſiquidẽ hos habuit comites (vt veridicus Polybius refert) Lemouices, Rhedones, Andegauos, & Cenomanos Senonibus perquã vicinos. Bellouєſus vero Biturix vicinorũ ſtipatꝰ auxilio, ſuã fœliciter profectionẽ expediuit: in quorũ numero fuẽre Boij, q̃ hodie Borbonij: quorũ etiã memoria no-

minis extat Boionia, hodie Bononia. Quin & ad Boiorum ſedes pertinet pars illa Galliæ, quæ modò Æmylia, modò verò Flaminia dicitur, poſtmodum dicta Romandiola. Cuius appellationis cauſam reddens Volaterranus, ſic ait: Eius ditionis fuére, Rauenna, Ceſenna, Ceruia, Forumiulij, forumtruentinorum, forumcornelij, Bononia, Mutiua, quæ omnia Pipinus, Aiſtulpho ſuperato, qui eas occupauerat, Romano pontifici tribuit. quod & Carolus, & eius poſtea filius Ludouicus comprobauere: voluerèque hanc partem Romandiolam dici ex vrbis Romæ nomine, cui fidiſsima ſemper coniunctáque fuit. Hæc ille. *Romandiola.* Pergit Liuius enumerare eos qui mox ſequuntur: Aruernos, Ambarros, (qui veriùs creduntur Bituriges, q̃ Belnenſes, hodie pays de Berry) Carnutes, Aulercos. Sũt autẽ Aulerci gemini, quidã Cenomani, alij verò Eburonices, vulgò Eureulx:

De Senonibus autem & Heduis nihil obſtiterit non ſemel Italiam penetraſſe. Senones primò quidem alieno ductu, ac propriis deinde auſpiciis. Id quoque non oſcitanter prætereundum, quod de Heduis (qui hodie ſunt Auguſtudunenſes, Gallicè Autum) author idem Liuius retulit, quòd nomen indiderint Mediolano ab vno aliquo agri Heduenſis oppido. *Mediolani appellatio.* Sunt enim plura in Galliis huiuſce nominis. Eſt apud Xantonenſes ciuitas Mediolani nomine memorabilis, & apud Ligerim in Aulercis Mediolanum, authore Ptolemæo tabula Europæ tertia. Quæ itaque de indita Mediolani appellatione à variis referuntur authoribus, hac vna aſſertione Liuiana euaneſcunt: qua conſtat Mediolani & rem & nomen primæuam à Gallis originem tenuiſſe. Tantum igitur debet ora illa Italiæ Gallo, quantum Roma Romulo. Ab eo ſiquidem & metrocomiam accepit, & ipſius metropolis nomen.

Ad hoc (vt ne illud omittam) tempus referenda eſt Venetorum origo. Huius aſſertionis authorem habeo antiquarium in rebus Galliæ Ciſalpinæ Gaudentium Merulam, qui Strabonem ſequutus ſic habet ad verbum libro primo capite vndecimo. Venetis etiam Gallica eſt origo. Sciunt enim omnes in vlteriore Gallia ſecus littus Oceani Venetos eſſe proximos Vnellis, Oſiſſinis, Curioſolitis, Seſuuiis, Aulercis, & Rhedonibus. Qui cùm & ipſi duce Belloueſo Alpes exuperaſſent, quòd eſſent in patria fluctibus aſſueti, Adriaticum littus occuparunt. Verùm de hac re Strabonem audiamus: Hos ergo Venetos eſſe opinor, à quibus Veneti ſinum colentes Adriaticum, in coloniam deducti ſunt. Reliqui enim ferè omnes in Italia Galli è tranſalpina Gallia commigrarunt, ſicuti Boij & Senones. Verùm propter nominis ſimilitudinem Paphlagonas eſſe dictanr. Hæc autem non affirmauerim. De huius enim generis rebus ipſa ſatis eſt coniectura. Hæc ille. Eſt igitur Veneta natio ex Gallica gente profecta & coalita: hinc ex Venetis Gallis, qui hodie Venetenſes appellantur, & id quidem ab Occaſu: inde verò ab Ortu ex Gallo-græcis Paphlagonibus. Qui vtrinque nauigio ſedes ſibi quærentes, ad Adriatici maris paludes reſederint. Prima eorum ciuitas Patauium, quaſi Padauium, à Pada ciuitate: vel à verbo πετέσθαι, quod volare ſignificat, præmiſſo ſcilicet auis volantis augurio. Proceſsit etiã à Gallorũ architectura Tridentũ, Verona quoq;, aut verius Brẽnona, & Vicẽtia. Sed de hoc aliàs fuſius, cũ de Brẽno agetur. Illud ad pręſens dixiſſe ſufficiat, ꝙ inter Belloueſi Brenniq; ætatẽ, reguli aliquot

interceſſerint, qui Mediolani regio nomine ſedem tenuerunt, authore in ſuis annalibus Donato Boſsio. Illi tamen non ſatis cum Liuio conuenit, quòd ducentis annis ſeptuaginta ſupernumerat. Ait ille poſt Belloueſum, ex Celtico genere Signonenſem Italiæ regem Mediolani diadema tenuiſſe anno ante Chriſti natalem ſeptingenteſimo, niſi eum fallit chronographia. Si enim verum eſt quod ait, annis octo præceſsiſſe Eſdræ ſacerdotium: ſequens eſt eum regnaſſe anno ab vrbe condita 286. & poſt euerſam Hieruſalem (qua ſcilicet ætate, Tarquinio priſco regnante, Bellouefus Italiam tenuit) centeſimo vigeſimo quarto. fides igitur Chronographiæ ſit penes authorem.

Succeſsit eodem Boſsio authore Bruſinandus ex Celtico genere, quem Mediolani regnaſſe ait annos quinque & ſexaginta: quos ſi adiungas Signonenſis ætati, quæ eſt annorũ quinquagintaquinque, prodibunt anni octoginta. Qui autem præter Bellouesum regnarint, non ſatis liquet. Illud ſatis conſtat, Tarquinio regnante, anno ſui regni octauo & vigeſimo capram fuiſſe Hieroſolymam, cum ageretur annus à natalitio vrbis 164. à quo ad Brennum ſuccedunt anni ducenti.

Maſsilia à quibus condita. Per id tempus chronographorum omnium conſenſu condita fuit Maſsilia Phocenſium colonia, non quidem ex Europa, ſed ex Aſia Phocatenſium. Fuit (ſi Euſebio creditur) Maſsilia Mediolano antiquior annis plus minus octo. Qua de re Eutropius libro primo: Regnante Tarquinio Arion Methymnæus à Delphino mari Tænarum dicitur tranſportatus. Tunc eſt etiam Maſsilia condita. Eodémque tempore Hieruſalem à Nabuchodonoſor rege Chaldæorũ ſubuerſa eſt. Hæc Eutropius. Neque illud omiſerim ex Solino, quadrageſimaquinta Olympiade conditam fuiſſe Maſsiliam à Græcis Dionyſij tyranni ſæuitiam declinantibus. Inſtabat autem annus prædictæ Olympiadis tertius & penultimus, & ante Bellouefi aduentum octauus. Lege Phrygionem. Sub id itaque tempus hæc non modica admiratione digna acciderunt. Hieroſolyma à Chaldæo tyranno funditur & deletur. Sedechias ſceptro & vtroque lumine orbus vinculis ſtringitur. Daniel cum ſuis ſodalibus in captiuitatem ducitur, mox prophetiæ dote futurus illuſtris, vt ex Ezechielis capite decimoquarto deprehenditur. Sed & ipſe quoque Ezechiel Hieremiæ coætaneus prophetico nomine clarus agnoſcitur: dum hic Hieroſolymis, ille in Babylone eiuſdem argumenti vaticinia proferunt, nempe & futuræ & præſentis captiuitatis Babylonicæ. In quam ſententiam non paucis antè diebus Iſaias pedibus ierat: ſed ornatioribus verbis id quod ſubruſtico ſermone Ezechiel vaticinatur, prædixerat. Idem itaque fuit ſeculum & Romæ naſcentis, & cadentis Hieroſolymæ: Tarquiniíque regiis inſignibus triumphantis, & Bellouefi Galliam Ciſalpinam ſub iugum ſuum ducentis.

Sed & clariſsimorum virorum ſapientia, qui per id tempus coruſcarunt, auguſtius ac fœlicius ſeculum iſtud redditum eſt. Viguit *Thales Mileſius.* Thales Mileſius ex ſeptem ſapientibus vnus, rei aſtrologicæ peritiſſimus, ac ſecundũ hominũ memoriã inter Græcos prim⁹ poſt Poëtas eruditionis nomine ĩſignis. Is ſectæ Ionicę prima ſemina iecit. Aſtrorum enim motus eouſque perſcrutatus eſt, vt annuũ ſolis circulũ lege certa ꝓpe verũ definierit, cũ antea motus lunaris tantũ obſeruaretur.

Puncta ſolſtitiorum & Æquinoctiorum ita deſignauit, vt futuras eclipſes certiſsimo prædiceret indicio, prænoſcens quo temporis momento Sol & Luna ſibi obuiarent in capite caudáve Draconis. Fuit hic Thales Mileſius totius Græcæ philoſophiæ facilè princeps ac coryphæus, ſumma familiaritate Soloni coniunctus. Nec ab ea ætate longè abſuit Pythagoricorum ſecta Italica, quæ in ea parte Italiæ coruſcauit & claruit, qua in Siciliam vergit: quæque magna olim Græcia appellata eſt. Porrò non tam Vranicam eruditionem tractabat Ionico ſtudio peculiarem, quàm numeros ac menſuras geometricas, muſicæque ſtudium Pythagoras excolebat. Docebat Thales animorum immortalitatem. At certè hanc de immortalitate ſententiam Pythagoras commentitia ſua metapſychoſi, animorúmve in varia corpora tranſpoſitione, fœdauit & contaminauit. Pro ſe enim quiſque ſingularem redditurus eſt rationem de eo quod geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum. Eodem itáque tempore Romanorum Regnum, Pythagoricorum ſtudium, Ionicorum ſecta, Gallici nominis duce Belloueſo gloria, Maſsilienſium nomen & memoria, poſteritati illuſtriora eſſe cœperunt. Nec multo pòſt caput extulit Perſarum imperium, nempe ſub ſeptuageſimum poſt captiuitatem Babylonicam annum: quod inter monarchias proximum à Babylonica locum obtinet, ſub Iudæorum liberatore Cyro. Et hic quoque initium accipit Græcorum hiſtoria, Chaldaicæ alioqui conditionis ignara.

Hic nonnulla ſe offerunt partim expungenda, non tam authoris vitio, quàm recens æditi menda codicis: partim verò quòd lucē huberiorem deſiderent, elucidanda. Primùm vbi Liuius hæc nomina citat, Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, in alium incidiſſe codicem ſynceriúſque legiſſe videtur Raphael Volaterranus: qui in Gallica ſua Chorographia pro Ambarris Ambianos legit: & rectè illud quidem. Nam cùm Ambarri Paulo Æmilio ipſi ſint Bituriges, quid attinebat cramben (quod aiunt) recoctam apponere menſis? Sunt ergo (vt hinc ordiar) Bituriges gemini, videlicet Cubi: quos Paulus Æmilius Ambarros dictos putat non ſine vulgati nominis alluſione, Bourges en Berry. quod tamen non inter omnes conuenit. Sunt enim qui Ambarros eos eſſe putent, qui vulgo appellantur Niuernenſes, aut quadantenus Borbonienſes, authore Nicolao Chorographo. In his eſt Auaricum bello Cæſaris famatiſsimum, vulgo appellarum Viarron, in agro Biturico. Sunt alij Bituriges Vbiſci (aliàs Vibiſci) quorum metropolis eſt Burdegala, vulgò Bordeaulx. Alluitur enim aquis magna ex parte: quaſi dicas Borde d'eaues. vnde & illic dicitur Portus lunæ, quòd ad lunæ motū æſtuare ſoleat aquis. Hinc concertatio eſt de primatu inter Vibiſcorum & Cuborum Bituriges præſules, vtróque ſibi Aquitanorum primatiam arrogante. De Aruernis autem & Senonibus ſuo loco fuſius. *Bituriges. Ambarri.*

Hedui verò hi ſunt, qui poſt tranſmigrationem in Lebuorum nomen tranſierunt, teſte in Gallia ſua Ciſalpina Merula, ita inquiente: Satis conſtat Ambigatum Celtarum regem (Ea pars Galliæ tertia habetur ex diſcriptione Cæſaris) cùm iā grandior natu regnū propagare cuperet, Belloueſo ac Sigoueſo ſororis filiis noua loca, nouáſque ſedes eligere, vbi dij auguriis dediſſēt, ſuaſiſſe, aſſumptis regni virib', nequa gēs extera aduenie͠tes finib' poſſet arcere. Ea gēs populiſabūda bat. ſedes ātiquas deſtituêre Bituriges, Aruerni, Senones, Cenomani,

Carnutes, Boij, Aulerci, Hedui. tum Sigoueſo ſorte Hercynij ſaltus obuenere. Erat autem Hercynia ſylua, ſi Chorographo Nicolao credimus, priſca ætate longior atque latior quàm vel Italia vel Gallia tota. Belloueſo autem Dij immortales fœlicius iter oſtenderunt. Itaque per Taurinos ſaltus Alpis Iuliæ in Italiam eum Cenomanis, Lebuis, qui in Gallia vlteriore Hedui aliàs dicebantur, &. Boils irrupit: fuſiſque acie Hetruſcis non procul à Ticino & Nouaria Hetruſcorum pago flumen traiecit: & cum in agrum, quem Inſubrium vocari intellexiſſet, forte perueniſſet, omē ſecutus, quo Itidem Heduorum pagus vocaretur, vrbem condidit, quam Mediolanum appellauit: ab vrbe eius nominis in Gallia ad littus Oceani, cuius meminit Strabo. Noſtram verò hanc Titus Liuius priſco Tarquinio regnante conditam anno ante Romam à Gallis incenſam ducenteſimo, memoriæ prodidit. Ab his igitur maioribus hęc vrbs excellētiſsima ſumpſit originem. Cæteras enim vrbes aut paſtores, vt Romam: aut profugi patriis ſedibus, vt Tarentum, & Venetias condidere. Hæc ſola inuenta eſt quæ non agreſtes aut obſcuros conticeſcat authores: verùm diis auſpicibus clariſsimam Regum Celtarum ſtirpem & bellacium populorum, quos non arma Alexandri magni, non Romanorum denique, ſi concordes animi Gallorum fuiſſent, ſubegere, præ ſe ferat. Huc vſque Gaudentius Merula.

Liuii locus reſtitutus.

Nec minore cenſura dignum eſt, quod corruptè apud eundē Liuium legitur: Alia ſubinde manus Germanorum Elitouio duce &c. Legendum enim eſt, Cenomanorum. Hi enim ſunt Cenomani, qui Brixiam à ſe ædificatam tenuerūt. Id quod ſua lectione Liuianis verbis loquens Volaterranus comprobat. Cuius, ſi quis mihi diffidit, hęc verba ſunt: Ante aduentum Hannibalis in Italiam, Gallos quinquies Alpes traieciſſe compertum eſt. Primum (vt ait Liuius) dulcedine vini allecti Celtæ, Duce Belloueſo, excitis Biturigibus, Heduis, Ambianis, Carnutibus, Aulercis, regnante priſco Tarquinio mutādi melioris ſoli gratia, in agro Inſubrium augurio pagi Heduorum ſic cognominati Mediolanum ædificauerunt. Cenomani deinde Celitouio duce veſtigia priorum ſecuti, eodē fauente Belloueſo cùm tranſcendiſſent Alpes, vbi nunc Brixia & Verona, loca tenuêre. Poſtea Boij Ligures tranſgreſsi, cum intra Padum & Alpes omnia tenerentur: Pado ratibus traiecto, non Hetruſcos modò, ſed Vmbros inde pellentes, intra Apenninum ſeſe tenuere. Poſtremò (vt ait Polybius) Senones omnium potentiſsimi ad mare Adriaticum Senam vrbem incoluêre, ac ab Vſente fluuio ad Ateſim fines habuêre. Hæc ille. Vides pro Ambarris Ambianos, próque manu Germanorum Cenomanos hoc loco recenſeri, Celitouio (aut ſi mauis Elitouio) duce? Nemo certè eſt, qui neſciat Brixiam eſſe in Cenomanis apud Gallos Ciſalpinos metrocomiam. Hi autem ſunt Hedui, qui aliàs Lebui, Lebitiíve dicti ſunt: quos Liuius ait cognominem pago Heduorum vrbem condidiſſe, quam Mediolanum appellarunt. A qua ſententia nec ad latum quidem vnguem recedit Polybius libro. 2. Inter Padum atque Alpes habitant Laij, mox Lebitij, dehinc ingens Inſubrum natio, pòſt non longè à ripa fluminis Cenomani. Loca vero mari Adriatico vicina antiquū ex Paphlagonia genus colit. Hi Veneti appellati: neque moribus, neque ornatu corporis, ſed tantummodo lingua à Gallis differunt. Inter Apenninum rurſus & Padum primo Auanes, pòſt Boij, inde Euganes, poſtremò Senones, qui iuxta Adriaticum mare extremi omnium Gallorum incoluerunt. Hæc ille.

Hedui.

Nunc exquirendum eſt, qui ſint Auanes, Euganéſve, vetuſto nomine ita appellati. Id paucis expediendum eſt Gaudentij Merulæ verbis libro ſecundo, cap. I. Inter Padum & Apenninum vſque ad Rubiconem quicquid terrarum iacet, Ciſpadana Gallia nominatur: & primi ſunt Auanes, poſt Boij, inde Euganes, mox Senones, deinde ad littus Adriaticum Geſatæ. Auanes ſunt, teſte Polybio, qui non longè habitant à Maſſilia. Boiorum regio & ipſa ampliſſima eſt, quorum metrocomia fuit Tannetum, nunc Bononia eſt. Euganes eſſe arbitror, qui nunc ad Tanarum & Trebiam Padumque per Apenninum iacent. Inter Auanes Aſtam coloniam, & Alexandriam vrbes celeberrimas numerauerim. Ad Euganes Pollentinos, Albampompeiam, Aquas Statiellorum, Derthonam, Caſale ſancti Euaſij, & Bobianam vrbem reiiciam. Hæc ille.

Hic lucis huberioris aſſequendæ gratia, nonnulla explicanda veniunt. Conſtat ex charta Ptolemæi ſexta, atque ex Blondi chorographia, in regione tam Subalpina quàm Subapennina has enumerari ciuitates, Blondo ipſo enarratore. Poſt Trebiam (inquit) Derto eſt ciuitas. Deinde Tanarus fluuius in Padũ influens Plinio. In hoc auri ramenta Antoninus Trottus eques Alexandrinus legit, vnde torquẽ factum oſtentat. Ab eodem abluitur noua vrbs Alexandria, cuius origo ſic ſe habet: poſt dirutum à Fedérico Ænobarbo Mediolanum, pauloque poſt reſtitutum Statielli Ligures, qui vicatim Ciſapenninum incolebant, relictis propriis ſedibus, ad vicum cui Robereto nomen, commigrantes, vrbem condidêre, quam primò Cæſaream vocauêre: vt apparet in annalibus Alexandrinorum, in quibus Xiſtus in dedicatione facienda Cæſarienſes eos vocat. Deinde expugnato Federico Venetorum & Mediolanenſium auxiliis, Alexander tertius Pontifex eius inimicus, quòd populus arma pro eo ſumpſerit, ob memoriam officij eam vrbem Alexandriam appellauit. Hæc ille.

Porrò cùm audis Libycorum Vercellas, ſtatim intelligi poteſt vbi Libyci reſederint, quæve loca tenuerint. Hi etiam vocantur Leuiſci, Lebui, ac Lebiſci. Vercellæ (ait Blondus) Libycorum à Sallibus Galliæ vicinis populis ortæ Plinio, aurifodinis quondam claræ Straboni, ornatæ præſule Euſebio. Et quò apertior res euadat, illud ex Merula annotandum, Salaſſos à Polybio Laos fuiſſe appellatos. Qui mox ſubiungit: Lebui Galli ſequuntur, quorum vrbes ſunt, Auguſta prætoria in faucibus Graiarum Penninatumque alpium. Hipporhedia à Romanis condita verſuum Sibyllinorum iuſſu. Nec ita multò pòſt ſequitur: Tempeſtate diui Hieronymi ſemideſerta erat vrbs Vercellarum, & inter Liguſticas vrbes ab eodẽ recenſetur. Conditam refert Plinius à Saliis Libycorum. Sed animaduertendum, textum Plinianum mendis non vacate, quas vir oculatiſſimus Hermolaus Barbarus non vidit. Potius enim legerem Lebuorum, cum Tito Liuio, aut cum Polybio Libetiorum ſiue Lebetiorum, quàm Libycorum. Nec vos moueat lectio Ptolemæi, quandò & ipſe eadem macula ſit inſperſus. Hæc Merula. Pollentini verò à Nouariã diſtant ſedecim paſſuum millibus. Vetus oppidum, nunc Pallantia dictum. Erat autem Pollentia vrbs olim eximia, nunc pagus exiguus, lanarum vſu precioque nobilis, colore præſertim pullo & fuſco: quam Claudianus his verbis commendat:

Nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.

Luſit & hoc Prudentius carmine:
Corpora famoſis olim ditata rapinis,
In cumulos congeſta iacent: mirabere ſeris
Seclis poſteritas inhumata cadauera latè,
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.
O celebranda mihi iunctis Pollentia ſeclis:
O meritum nomen, fœlicibus apta triumphis,
Virtutis fatale ſolum: memorabile buſtum
Barbariæ. nam ſæpe locis ac finibus illis
Plena laceſſitò rediit vindicta Quirino.

Aſta colonia nomine dotis ad regem Francorum peruenit, vulgò Aſt. Albapompeia Tanaro abluitur flumine, nomē adhuc retinens. Aquæ Statiellæ vltra Tanarum ſunt. Dertona, hodie Tortone in Apennino maritimo, vti & Albapompeia. Bobium geminum eſt: quoddam in Cottiis alpibus ſitum: iſtud verò de quo ad præſens ſermo eſt, medio inter Genuam & Placētiam itinere conſiſtit. Alexandriam mediam interfluit Tanarus. Euganes verò, nequis quicquam in ea re deſideret, Plinio authore, à Venetis ſuis ſedibus deturbati fuêre, manente tamen vetuſti populi monumento. Nam Euganei montes etiamnum appellantur iuxta Patauium Iſtriam verſus, lanitio pecudum delicatiſſimo nobiles. Meminit Iuuenalis inquiens:

- Et Euganei quatumuis mollior agna.

De Auanibus Polybius ita libro ſecundo. P. Furius, & C. Flaminius rurſus in Galliam profecti cum exercitu, receptiſque in amicitiam Auanibus, qui non longè à Maſsilia habitant, mox in Inſubrum agros legiones traduxere, non longè ab eo loco quo Adua fluuius in Padum influit. Vt autem ſcias (quod obiter dictum ſit) Celtarum ſtirpem bellaciſsimam, neque armis Alexandri magni, neque etiam Romanorū aut vi aut aſtu vincibilem fuiſſe, ſi concordes animi perſtitiſſent, Polybij verba (quæ mox ſequuntur) proferam: Principes Inſubrum immutabile hoc Romanorum conſilium animaduertentes, tentare fortunam belli, & cum Romanis decernere ſtatuerunt. Coacto itaque exercitu, & ſignis aureis, quæ immobilia vocitant, è templo Mineruæ ſublatis, cæteriſque neceſſariis rebus paratis, aduerſus Romanos intrepidè profecti, non longè ab illorum copiis caſtrametati ſunt, numero circiter quinquaginta millia hominum exiſtentes. Romani cùm ſe numero longè inferiores eſſe perſpicerent: aduocare Gallorum, cum quibus ſocietate iuncti erant, auxilia cogitabant. Cæterùm quoniam cum eiuſdem generis hominibus dimicandum illis eſſe intelligebant: periculoſum videbatur eiuſmodi hominibus in eo diſcrimine, atque iis præſertim locis ſalutem ſuam committere. Ita ancipites conſilii, tandem periculoſum conſilium capiunt. Caſtra erant apud Aduam amnem, vbi & pons erat ad vlteriorem fluminis ripam. Vocatos igitur ad ſe Cenomanos, tranſire amnem iubent. Cum omnis multitudo tranſiſſet, pontē reſcindunt, vno tempore & illis facultatem coniungendi ſeſe cum hoſtibus auferentes, & ſuis vnam duntaxat ſpem ſalutis in victoria relinquentes. Quæ cum feciſſent, copias in aciem educunt, poteſtatémque pugnandi Inſubribus faciunt. Hæc ille. Vides non tam vi Romanorum quàm Gallorū inter ſe diuiſione, nempe Auanum, Cenomanorum, atque etiam Venetorum à Gallis reliquis Inſubribus & Boiis, Gallos vinci potuiſſe. Soli Galli inter ſe diffidentes, Gallos vicerunt potius quàm externi, qui alioqui nunquam non perſtitiſſent inuincibiles.

Celtæ bellaciſsimi.

Neque id inficiatur Liuius, deſertionis arguēs cum Cenomanis Venetos: qui neſcio quo liuoris œſtro agitati, priſcæ ſuæ originis obliti, Gallis reliquis infeſti ſemper fuerunt & rebelles. Qua de re ita Liuius: Lucius Æmylius Imperator effuſum agmen ad Mutinam ducit, & in ſyluis quæ tunc circa Mutinam erant, cæſa eſt Romanorum acies. Cæteri Tanetum petierunt. ſex ſigna militaria adempta. Fuere tunc auxilio Romanis Brixiani Galli aduerſus alios Gallos & Boios. Hæc ille. Vides vt ſeipſos infœlici quodam diuortio Galli vicerint potius quàm Romani Gallos? Sed quid pluribus opus, cùm in hæc vſque tempora nihil de Gallica virtute deperiiſſe conſtet, quin potius viget ac vireſcit poſt vulnera Gallica virtus? At verò vbi nunc ſunt Romani, quorum ſtrenua in re bellica virtus nomine ſtat ſolo, deleuit cætera tempus? Hi, authore Merula, tantum nunc dicere poſſ. ſunt: Olim fuimus Troës. Nunc verò choreis, ventri, & gulæ dediti, in hoc tantùm idonei ſunt ſtatis quibuſdam anni temporibus ad occidendos veluti Janii boues. Dii (inquit ille) boni, quæ antiquitatis fragrantia? quæ virtutis experimēta? quæ facinorum admiratio? occiſos ſex boues ſingulis annis à populo Romano, quis non monumentis tradet? Quòd ſi quis horum igitur proſapiam longè anteponat, pluriſque eorum dignitatem Rempublicamque exiſtimet, quòd ii cæteris nationibus olim imperitarint, mediusfidius vehemēter errat, nec ſatis veræ nobilitatis vim amplitudinemque intelligit. Hæc Merula. Nihil hæc hæreditas exiſtimanda eſt. Nam virtute præclarum fieri, ac rebus geſtis eminere, præſtiterit potius, quàm fumoſis ſtemmatibus coloniiſque excellere. Coegit certè Gallici terror nominis (id quod Caſtilionæum minimè latuit) Romanos in Apennini collibus Dertonam ſtatuere coloniam, quæ impedimento eſſet ne Inſubres cum Liguribus conuenirent. Sic Aſtam & Hipporhediam colonias arbitrantur erectas, quæ conuētum prohiberent inter Salaſſos & Ciſalpinos Gallos. Nec aliam ob cauſam ſtationē Auguſtæ prætoriæ, quam in Valle Auguſta ſitam cunctis perſpicuum eſt, vulgo Vauldauſte, poſitam autumant, quàm vt media eſſet inter Salaſſos, qui Saluſſiani hodie dicuntur: & Veragros, in quibus ſunt Seduſij, vulgò *Sion*. Sunt & Veragri, Octoduri, Agaunenſes, vulgariter Sainct Maurice: atque Allobroges, qui hodie ſunt Delphinates. Hæ ſiquidem gentes Romanos ægrè dominos tolerabant: adeò nullo non tempore Romani Gallum ſenſere rebellem, iugique externi impatientem. Hactenus euagatum ſit, ſumpta ex Polybianis verbis occaſione. Vt autem ad Euganes, vnde digreſſio facta eſt, redeamus: Fuère Triumpilini Euganeorum quondam reliquiæ, qui iuxta Larium lacum olim habitarunt. Dictus eſt autem Larius à præteruolitantium Fulicarum copia, quos Laros appellamus. Vnde & prouerbium exiit: Larus hians. Vocata eſt regio Valentellina (aliàs Volturena) quam vnico nomine Triplebem dixerunt, & literarum deflexu Triumpilinos.

Nouariam nouam Gallorum aream eo ipſo appellatam tradidit Caſtilionæus: vti & Gallareatum, Gallorum aream: ad quatuor viginti milliarium ſpacium latè patentem, quòd Inſubres Galli comitiorum habendorum gratia illuc conuenirent. Sumpſit autem (vt ne illud omittam) Nouarienſe oppidum aut ædificatæ primùm, aut certè inſtauratæ vrbis nobilem conditionem à Vertacomoris Vocontiorum Galliæ populis.

Carnutum veſtigia, qui Bellouefo comites adſtiterunt, etiamnum

apparent ex oppido Carnago. Neque enim aliud fieri potuit, quàm vt ex trecentis bellatorum millibus variæ turmæ in ſelectis ſedibus ſibi ſtationes deligerent. Vnde & illud ex Liuii orthographa lectione colligitur, quòd vbi nunc Brixia & Verona vrbes ſunt à Cenomanis aut conditæ, aut inſtauratæ, locos illos tenuêre Libui Heduorum gens, qui aliàs Lebetii aut Leuiſci appellantur. Sed inde migrare compulſi, alias ſibi ſedes quæſierunt. Quod autem mox ſequitur, ita Glareanus legēdum cenſet: Poſt hos Salluuii præter antiquam gentem Leuos Ligures incolentes circa Ticinum amnem, ſubaudi, Alpes tranſcenderunt. Deinde Boii Lingoneſque trāſgreſsi. Lingones lego, non Ligures. Iam qui olim fuerint Salluuii, aut in quas defluxerint nationes, exactius inquirendum eſt. Arbitratur Glareanus modò Saluios, aliàs verò Salies, à pleriſque authoribus fuiſſe appellatos. Illud primum conſtat ex Ptolemæo, Salies ſitos eſſe vbi nunc Arelatum, Taruſcum: vulgò Arles, Taraſcon, ciuitates extant. Sic enim ille habet tabulæ tertiæ Europæ cap. 10. Sub his Salies, Taruſcum, Glanum, vulgò Glandéſne, oppidúmve Glandatenſe: Arelatum: Aquæ ſextiæ, ciuitas Aquenſis: Eruaginum. Hos autem à Salluuiis differre, longo etiam interuallo, contendere auſim. Primúmque huius rei elucidandæ gratia, teſtis nobis citandus eſt hac in parte idoneus Lucius Florus in bello Liguſtico, qui de ſubalpinis gentibus loquens, ait: Iam Ligures, iam Inſubres Galli, necnon & Illyrici Romanos laceſſebant. Sic de ſub Alpibus, id eſt, de ſub ipſis Italiæ faucibus, gentes. Quæ quales fuerint, mox apertiùs enarrat, dicens: Ligures imis Alpium iugis adhærentes, inter Varum & Macram flumen implicitos dumis ſylueſtribus, maior aliquanto labor erat inuenire quàm vincere. Tutum locis & fuga, durum atque velox genus ex occaſione magis latrocinia quàm bella faciebat. Itaque cùm diu multumque eluderent Salij, Deceates, Oxibij, Euburiates, incognitas tandem Fuluius latebras eorum ignibus ſepſit. Bebius in plana deduxit. Poſthumius ita exarmauit, vt vix reliquerit ferrum quo terra coleretur. Hæc ille. Vides vt Salios Deceatibus coniungat. Sunt autem Deceates ex Ptolemæo Alpibus maritimis ſubſtrati (aliàs Deceatij) in quibus ſunt Antipolis, & Forumiulium: vulgò Antiboul, Freius. Hi igitur Salij Subalpini ſunt, ac quadantenus Ligures, citra tamen Genuam cōſtituti: quos etiam Maſſilia ſecernit ab Arelatenſibus. Sunt ergo Salluuii Pedemontani, ac propè Subapennini, ab Auſtro ad Septentrionem protenſi: hoc eſt, ab Alpibus maritimis ad Cottias prorogati. Oxibii autem in ſummis Apennini locis victitantes dicuntur. Oxos enim acutum, bios vitam ſignificat. Euburiates verò à bobus alendis nomen habuiſſe creduntur. Burim enim bouem vocant. Vnde &, Caſtillionæo authore, Burorum familia bouis geſtat inſigne: Gaudentius, inquiens, Merula Buros dictos exiſtimat, non quaſi Pyrrhos à colore ruſo, ſed quòd pro gentilitiis inſignibus bouem habeant caudatum. Id ex Seruio Grammatico colligit in carmen Georgicon, quod ſic habet:

Continuò in ſyluis magna vi flexa domatur
In burim.

Dicemus itaque Buriates, à Boariis paſcuis Buros. Immò & Apenninum dictum volunt ab Api vocabulo, quod Aegyptiis bouem ſignificat, quòd illic boues fœliciter alantur.

Eſt etiam in Salybus Nicæa, non quidem apud Arelatum, ſed Varo coniuncta flumini. Ad hoc facit Liuianum oraculum, dum aſſerit

Ticinum à Salyis,quos & ipſe Salluuios vocat, ædificatum:nunc autem Papiæ nomẽ retinet.Plinius Leuos(alias Lebuos)& Maticos Ligures authores facit.Sunt autem & Salluuij Ligures, ſed Tranſalpini, immò verius Galli Subalpini.Sunt igitur Salyi Saliéſve gemini.quidã non longè à Rhodano conſtituti, quibus ab occaſu oppoſiti ſunt Volcæ vltra Rhodanum, vbi fluuius ille Deltam facit. Sunt & alij Plinio inter Ligures Tranſalpinos enumerati. id etiam atteſtante Blondo, his verbis: Vercellæ Libycorum à Salyibus Galliæ vicinis populis ortæ Plinio:& hi ſunt Salies, de quibus ad præſens ſermo eſt. Iunianus Maius eques rem totam his verbis ita abſoluit, vt nullus inde ſcrupus ſupereſſe valeat.Salij(inquit)ſunt in Gallia Narbonenſi, non longè à Maſsilia & ab Alpibus ab Occaſu ad Septentrionem amplius vergẽs & paulatim abſiſtens à mari. Maritima inclinat ad Occaſum modicũ à Maſilienſium vrbe progreſſa circa ſtadia centum ad promontoriũ ingens admodum vſque ad Latomias.Hinc in ſinum curuari incipit, & Gallicum ſinum efficere Aphrodiſium. A Maſſilia igitur initio capto, & ducto per medium agrum inter Alpes & Rhodanum curſu vſque Durentiam amnem,& per ſtadia quingenta Salii incolunt,& incumbentes tenent Alpes,& nonnullas ipſius littoris rupes cum Græcis promiſcuè.Priſci Græci Salyios Ligures vocabant, regionémque Liguſticam,quam Maſſilienſes habitant.Hæc ille.

Hoc loco propenſius intuendum eſt, quos Salyios Florus intelligat, qui in bello Allobrogico ſic ait: Prima trans Alpes arma ſenſere Salyi,cùm de incurſionibus eorum fidiſsima atque amiciſsima ciuitas Maſilia quereretur. Id quod de Arelatenſibus intelligendum non leuis coniectura eſt, ex eo maximè quod ſequitur: Varus victoriæ teſtis,Iſara,& impiger fluminum Rhodanus. Atqui ſatis ſuperque notũ eſt,non Subalpinos Salyies,verùm Narbonenſes penitiſsimos Arelates ad Rhodani fluenta ſitos eſſe.Id quoque indicio eſt, quòd authore Liuio Sextius dux,reductis in poteſtatẽ Salyibus, ad Sextias aquas Aquenſem ciuitatem mœnibus inſtructam reliquit: à quibus non longè diſtant Aquenſes.Cæterum hi de quibus loquimur, Alpinates Salii,alio deſignantur loco,nempe in bello Liguſtico, vti ſuprà fuſius ex eodem Floro deductũ eſt. Nec ab his diſſentit Plinius lib.3.cap.5.de Alpinis Salyis ad hunc modum differens:Ligurum celeberrimi vltra Alpes(nempe Alpium imis radicibus adfixi)Salyi, Deceates,Oxibij. Hoc loco tres regiones partim Inalpinas,partim verò Subalpinas diſtinguit Plinius.Oxibios Montanos crediderim Galliæ Narbonenſis oram tenentes,inque montium apicibus victitãtes: qui & Orobij ſiue Montani dici poſſent:vulgo apud eos vocãtur Gauotz,ingenita quadam ſagacitate nobiles.A montibus(inquiunt)defluit ſapientia,à vallibus autem procedit frugum abundantia. Vnde & cap.4.lib.3.meminit regionis Oxibiorum, ac etiam Deciatium: & in Latinis Antipolim reponit:his connectens Varum fluuium ex Alpium monte Cema prodeuntẽ. De Deceatibus, ſeu Deceatiis,ex Ptolemæo ſupra diſſeruimus.Reſtat illud comprobare, Diuiẽſes ad Salyos pertinere Alpinos. Id quod Plinij verba indicant. Adiecit(inquit) formulæ Galba imperator ex Alpinis Auanticos atque Ebrodũtios: quorum oppidũ Diuia. Sunt ergo Ebrodunenſes, vulgò Embrun, Saliis adſcribendi Alpinatibus.

Huiuſmodi chorographiam variè authores attigerunt. Nam Plinius ſtrictim & anguſte plurimùm,conſperſis etiam per antiquitatem obſoletis nominibus,rem totam depinxit. Pomponius Mela ſubſul-

tim ac veluti tranſcurrens, ab hoc negocio quaſi aliò properans, breuibus ſe abſoluit. Hoc tamen in eo meritò laudaueris, quòd regionibus ſingulis capitale oppidum exactè & diligenter adaptauit. Adſixit enim Vaſgonem Vocontiis, Allobrogibus Viennam, Canaribus Auenionem, Aremoticis Nemauſum, Toloſam Tectoſagibus, Atacinis ab Atace fluuio appellatis, Decumanorum coloniam, non ſine honoris præfatione Martium Narbonem adſcripſit. Nunc (inquit) & nomen & decus eſt Martius Narbo. Neque id abs re. Ab eo enim tota prouincia Narbonenſis dicta eſt. Quod autem ad rem noſtram propius accedit, iſtud eſt quod ait: Nicæa tangit Alpes, tangit oppidum Deceatum, tangit Antipolis. Et hæc quidem de Alpinatibus Saliis, qui ad imas Alpes ſiti ſunt. Nam quæ ſequuntur oppida, paulo ſemotiora oſtendit, cum ait: Deinde Forum Iulii Octauianorum colonia, tūc pòſt Athenopolis, & Olbia, & Glanum, & Citariſtes. Quæ loca remotiora eſſe ſubiudicant hæc verba, Deinde, &, tunc pòſt. Subinde pergit ad Maſſiliam, quam in Halycidone reponit: hoc eſt, ſalſuginoſo loco. Eſt (inquit) Halycidon Maſſilienſium portus, & in eo ipſa Maſſilia non quidem à Phocenſibus Europæ, ſeu à Phocide Helladis, verùm à Phocæa Ioniæ. Decipiuntur enim nominum ſymbolo, qui Phocenſes pro Aſiæ Phocaenſibus accipiunt. Fuêre enim Phocaenſes Aſiaticus populus, qui Harpali Cyri regis præfecti inclementiam fugientes, Maſſiliam hanc (de qua agitur) condiderunt in Gallia, cùm antea in Lucania Velaniam conſtruxiſſent. Plinius Clamatulicorum regionem appellat, inaudito apud cæteros nomine. Cæterum in ſua Strabo geographia, media incedens via, dilucidè omnia pertractat, Alpinos Salyes à mediaſtinis diſertiſſimis verbis diſtinguens. Eſt (inquit) Taurentium, & Olbia, & Antipolis, & Nicæa ad Salyum gentem pertinens, & ad Ligures Alpium incolas. & hi ſunt ripenſes ac littorales. Taurentium hodie appellamus Tolon. Olbia fortè ea eſt quæ dicitur Riez, ſeu Regium: non quidē Lepidi in Italia, ſed in prouincia Narbonenſi. Forum autem Iulium, Pacenſis cognominatur, & claſsica ora. Mox ad alios ſe conuertens Salyes Strabo, ſic ait: Sextius, potiſsimum redactis in poteſtatem Salyibus, non longè à Maſsilia ſui nominis oppidum ædificauit: idque Aquas Sextias dixit & calidas: quarum partem in frigidas permutatam eſſe ferunt. Nec multò pòſt ſic ait: Iuxta montana Salyum regio eſt ab occaſu ad ſeptentrionem vergens, & paulatim abſiſtens à mari. Rurſumque adiungit, quod ad Alpinos Salyes pertinet. A Pyrene igitur (ait) iuxta Maſsiliam, maritima regio talis & tanta quædam eſt. Alia verò ad Varum fluuium Ligureſque vicinas vrbes Maſsilienſium habet Taurētium, & Olbiam, & Antipolim, & Nicæam, & nauale Cæſaris Auguſti, quod Forum Iulii vocant. Hoc autem inter Olbiam & Antipolim conſtructum eſt, diſtans à Maſsilia ſtadiis ſex millibus (aliàs, & verius ex Græco, ſexcentis ſtadiis.) Cæterùm Varus inter Antipolim & Nicæam medius eſt, hinc quidem 20. ſtadiis, inde verò 60. diſtans: adeò vt Nicæa ſecundum huius temporis terminum deſignatum, ad Italiam pertineat, licèt in Maſsilienſium iure ſit. Maſsilienſes enim hæc aduerſus inſtantes Barbaros ædificarunt oppida, liberum eſſe mare cupientes: cùm in eorum poteſtate prouincia foret, quæ valida & montana eſt. Quà quidem Maſsiliam ſpectat, latitudinem campeſtrium locorum mediocrem relinquit: verſus Orientem verò euntibus prærupta omnino ad mare viam, vixque permeabilem habet. Prima quidem Salyes occupāt, vltima verò Italiæ coniuncti

Martius Narbo.

iuncti Ligures: de quibus deinceps habendus eſt ſermo. In præſentia autem tantum adiiciam, quòd cùm Antipolis in Narbonenſibus iaceat partibus, & Nicæa in Italicis: Nicæa quidem in Maſsilienſium iure permanet, & prouinciæ nimirum exiſtit: Antipolis verò inter Italicas annumeratur. Cum Maſsilienſibus iudicio contendens, ab eorum mandatis libera facta eſt. Hactenus Strabo. Ex his perſpicuè probatum elicitur, quid inter Alpinos mediterraneóſque Salyes interſit. Verùm ſi tertiam Ptolemæi Europæ tabulam conſulas, inuenies ab ora maritima ad lacum Lemanum ſub Salyibus Alpinis comprehendi quæ mox enumerantur regiones vnà cum ſuis oppidis. In Varo Nicæam, in Deciatibus Antipolim, quæ olim ſedes epiſcopalis fuit, nunc tranſlata in Graſſenſem ob interemptum ſuum pontificem. Eſt etiam in Neruſiis Vincium, hodie Vence, epiſcopalis ſedes: cui nos aliquando præfuiſſe diuina clemētia conceſſum eſt. Hi fortè ſunt quos Vediantios Plinius appellat: quorum nec ſitus nec origines ſe facilè perſequi poſſe profitetur. Quidam appellant Rochetam. Eſt & Draguinianum oppidum. Occurrit præterea in Sentiis Dinia, ſedes & ipſa epiſcopalis. Nec longè abhinc diſtans Senetenſis ciuitas, vulgo Senes. Hi fortè ſunt Plinio Cemenelij. Non longè ab his in Eburodunis, ſeu Ebroduntiis Ambrones, vulgo Embrun, in editiſsimo totius Europæ loco conſtituta ciuitas. Sunt & Brennonicces, vulgo Brianſonnois appellati. Nouiſsimè accedunt Tricaſtini, quorum ciuitas Neomagus, vulgo Nion appellata, prope Gebennam. Et de his hactenus dictum ſit.

Id ergo (quod ad hanc rem pertinet) cunctis notius eſt, quàm vt in dubium reuocari poſsit: ab Alpinis iugis, quæ Celticæ Galliæ limitibus continentur (habet enim Gallia ab Euro Alpes) lacus penè omnes magni nominis emanare: in quibus eſt Benacus, qui nunc lacus Gardæ ab eius nominis caſtello appellatur: ſtadiis longus quingentis, hoc eſt miliaribus duobus & ſexaginta cum ſemiſſe miliaris: triginta verò tribúſve miliaribus latus vnà cum beſſe miliaris. Hunc lacum Mincius amnis ex Alpibus oriens ſuo gurgite implet. Quin & Adua ex Alpinis prognata iugis Larium lacum procreat ſtadiis longum trecentis: quæ trigintaſeptē cum ſemiſſe miliaria procreant, eiuſdem cum Benaco latitudinis. Ab ea ipſa Alpium ſcaturigine emergit Ticinus fluuius, vnde Virbanus intumeſcit lacus ad quadringenta ſtadia longus, ſeu (ſi mauis) miliaria quingenta, authore magna ex parte Ligurino, lib. 2. ita inquiente:

Illa (nempe Mediolanū) ferè paribus ſpatiis Alpēque Padumque
Separat: hinc Adua, Ticino clauditur inde,
Qui de vicinis orientes Alpibus ambo,
Et famoſa Padi maioris ſtagna petentes,
Hanc aliaſque duas Cumam Laudamque capaci
Incluſere ſinu.

Hæc ille. Vides vt tota penè Europa ex Celticis Alpibus Gallias duas collimantibus, Ciſalpinā inquam & Tranſalpinam, fontibus, amnibus, & lacubus omni ex parte irrigetur.

Hic finem inueniat ſeptima perioche, cui mox de Burgundionum origine narratio ſuccedat.

I

DE RE BVRGVNDICA.

Perioche octaua.

ORDO dicendorum exigit, vt de Burgundiano tractu, deque eius in varias partes diſſectione diſſeratur: quæ quidem partim ad Galliam Belgicam, quæ etiam Comata dicitur: partim verò & id quidem potiſsimum ad Braccatam Galliam pertinet: quæ prouincia olim fuit Romanorum. In Belgica enim Ptolomæo reponuntur Sequani, quæ Burgundia eſt Imperialis, ſeu Comitatenſis: vulgo, La franche Conté. Ciuitas eius præcipua Veſuntio, ſeu Beſuntio: vulgo Beſanſon. Verùm altius & nominis & ſoli repetenda eſt origo Burgundiani. Si ſolum ſpectes, ad Galliam pertinet, partim Celticam, partim Belgicam: atque vt mox dictum eſt, Narbonenſem. ſic fit vt partim Braccata æſtimara ſit, & partim Comata. Nomen autem Burgundi aduentitium eſt & Barbaricum, nihil habens cum naturali ſolo commune: Vnde fit vt regionis illius cultores potius dici debeant Galli Burgundigenæ, mutuato ab inuaſoribus nomine, quàm prima origine Burgundi. Nunc verò quæ ſelectim Burgundia dicitur, manca eſt & diminuta, ac longè contractior, quàm regio illa quæ primæua vſurpatione Burgũdia dicebatur. Hæc enim contracta eſt, & multis ſuis partibus trunca: illa vero latiſſimè extenſa. Comprehendebat enim (ſi Mario creditur) primæua ſua amplitudine ſeptem prouincias ſeu diœceſes: Prima fuit Auenionenſis in Aremoricis: ciuitas inquam non paucis antè annis Archiepiſcopalis, cathedrales ſeptem complectens, videlicet Maſsilienſem, Tholonenſem, Caualicenſem, Carpentoracenſem, Vaſconenſem, Pauraicenſem, & Tricaſtinam. Secunda fuit Viennenſis, quæ dicæarchiã Burgundiani Regni ſub nomine cancellariatus continebat: vti & Arelate Burgundiani Regni archiſolium appellabatur. Metropolis complectebatur Gratianopolim, Valentinam, & Dienſem eccleſias: quæ duæ nunc nullo diſcrimine habẽtur: Morienenſem præterea, & Gebennenſem. Metropolis tertia erat Lugdunenſis, non quidem Gallia, quæ latius ſe extendit, verùm potius prouincia contractior. Præeſt autem Heduenſi, Matiſconenſi, Cabilonenſi ac Lingonẽſi præſulibus. Quarta Biſuntina ſub ſe habens diœceſes Baſiliẽſem, Lauſanenſem, & Bellaicenſem. Quinta in Centronibus Tarrentaſia, cui ſubſunt cathedrales eccleſiæ Sedunenſis & Vallisauguſtæ, Vaudouſte. Sexta Ebredunenſis in ſex cathedrales eccleſias deramata, Dignenſem, Nicienſem, Graſſenſem, Glandatenſem, vulgo Glandeue, & Vencienſem. Septima Aquenſis in prouincia Romanorum ad differentiam Aquenſis Aquitanicæ: iſta enim vocatur Aix en Prouence, aliàs verò Dax. Habet autem ſub ſe has diœceſes, Aptenſem, Foroiulienſem, Gallicè Freius, rectius Foroiul: Regienſem vulgo Riez, Gapenſem, & Siſtericenſem. Nunc autem cernere eſt in quas noſtra ætate deducta ſit anguſtias. facta enim eſt quæ pri9. trilinguis erat, videlicet Germanica, Italica, Gallica, monoglottis, idiomatis ſcilicet Gallici. Hæ ſiquidem detractæ ſunt ab ea regiones, Sedunenſis inquam, Vallisauguſtæ Sabaudiæ Pedemontana, vulgo Piedmont, & Helſaticus Landgrauiatus. Niuernenſis inſuper, Lugdunenſis & Auenionenſis tractus, ſeu Veneticus comitatus, vulgo, le Contat de Venice: Heluetiorũque ſolũ, & natio Delphinatus quoque, atque Arelatum olim regni Burgundiani archiſolium.

Qui omnes iam dicere poſſunt:Olim fuimus Troës,hoc eſt,nomine Burgundi, nunc vero ditione Gallofranci, qui à priſca ætate fueramus Celtæ & Aquitani, non ob id minus fœlices, meliorata conditione. Nunc autem contractior Burgundia bifurcata eſt,ſectaque in partes geminas, in montanam Imperialem,& ducalem. Illa montana eſt,iſta vero plana.Illa infœcunda pluribus in locis,iſta ſoli fertilitate nemini cedēs. in ea enim certat cum Cerere Bacchus. illa monte Iura cingitur Claudiano templo illuſtri: iſta verò Sagona quadam ex parte, Matrona & Sequana alluitur. Nam Rhodanus ad Galliam partim Celticam,partim Narbonenſem pertinet. Ceſſat enim Ligurini amplificatio apud eam de qua ad præſens agitur Burgundiam. Nam ad Galliam pertinenr ea omnia quæ enumerat flumina, atque etiam metropoles, tametſi ita cecinerit.

Has tibi metropoles, & primas nominis vrbes
Chryſopolim placidam,Lugdunon, atque Viennam,
Quódque tuos ſpumante mari prouincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis
Chryſopolis:dubius reliquas perlabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

Rurſum (vti annotauit Chaſſaneus) montoſa illa Burgundia, præſertim iuxta Alpes ſancti Claudii, ſtrumoſa eſt, ducalis verò non ſolum eo vitio caret, imò verò dux Burgundiæ rex Francorum ſtrumoſam labem ab his qui eo vitio laboranr, deo ſpecialiter auxiliante depellit:Cuius rei gratia cùm in ſuo regno Imperator ſit & monarcha, poteſt merito appellari ſacrum eius imperium. Abundat comitatus ille vrſis ferocibus: Ducalis verò regio vrſinam rabiem neſcit.Habet autem imperialis Burgundia hæc inſigniora oppida, Salinenſem, Palatinatum,illuſtre oppidum Dolenſe ſenatoria dignitate,publico inſuper gymnaſio inſigne.Claudianum item Iurenſe templum,toto orbe Chriſtiano famatiſſimum,ac Biſuntinam Metropolim: cui diuus ſua ætate Claudius præfuit: à qua ſede ſeipſum demittens, anachoretæ perſonam induit: Sic enim è ſummo imus, tandemque ex imo ſummus euaſit. Burgundia verò ducalis,quæ nunc Francorum regi paret ſub Lugdunēſi archipræſule, multas ſub ſe complectitur diœceſes,ex Lugdunenſi penè omnes, ex Senonēſi aliquas, nec tamē omnes.Caput regionis eſt Hedua olim fœderata Romanis, aliàs Auguſtudunum, Diuiocaſtrum,quod quidem Octodora flumine alluitur: & reliquas, quæ Metropolitano Lugdunenſi parenr ciuitates in his quæ ad religionem ſpectanr. Fuere inſuper ſub Burgundiani olim nominis ditione Nuithones: qui partem quandā Sedunorum ad ſe traxerunt, eò loci ſibi ſedem deligentes, vbi hodie Friburgum & Berna viſitur. manet vſque in hunc diē Nuchtlandiæ apud eos vocabulum. Ea Burgundiæ minoris nomen retinet ſine re:etiā ſi Rudolphus Rex Burgundiæ vi armorū eam ſibi adſciſcere conatus ſit, ſed fruſtra:quo factum eſt vt Rudolphus ſe regnumque ſuum Imperatoris ſubmitteret imperio.Deinde vero Conradus Burgūdiæ Rex vltimus diadema regiū Imperatoris Conradi ſubmiſit volūtati: ac poſtmodū de regno factus eſt ducatus.De Valeſia verò Sedunēſi ſatis cōſtat eam eſſe Heluetus confœderatā vnà cum ſeptē quasvocār deſenis ſeu diœceſibus. Habet tamē geminum idiotiſmū ſuperior Valeſia Germanica: inferior autē Sabaudica lingua vtitur:& hi olim dicebātur Veragri, ſuperiores verò Seduni. Et hi fœdus iniere primò cum Lucerna Vrania, & Tranſſiluania, ſub annum 1417. per quinque tantū diœceſes, ſeu

deſenas. Poſtmodum verò labentibus annis, anno ſcilicet Domini 1533. aucta eſt vtrinque fœderis conditio ſub Adriano Sedunenſium præſule, ad ſeptem vſque deſenas, vnà cum ſeptem Heluetiorum cantonibus. Nunc autem eò deuentum eſt his diebus nouiſsimis, vt Loſanna vnà cum Geneua, geminæ lacus Lemani extremitates, Lutherano infectæ veneno, Bernatium & Heluetiorū ſigna ſequantur, nihil cum Burgundiana aut certè Sabaudica ditione commune habentes: vt vel ſic intelligas quantum de veteri Burgundionū ditione detruncatum ſit: ita vt ſolùm reſtet imperialis ex parte vna, parte verò altera ducalis Burgundia. Illa paret imperatori: iſta verò Francorum regi.

Huc ſpectat id quod in Æmilianis annalibus ſub annum Domini 1034. ita legitur ad verbum: Rhodulphus Tranſiurenſis Burgundiæ rex, cum annos 30. in Burgundionum ſuorū nutu regnaſſet, regnum Conrado Imperatoris filio dat. Odo Campanus cum regnum illud iure hæreditario ſuum cenſeret, petere cœpit: quod cum negatum eſſet, armis inuaſit. Tunc in duas Burgundia prouincias diuiditur, ducatum ſcilicet, & comitatum, vt pertineret Comitatus ad imperij ditionem, ducatus verò ad regiam. Secūdum Burgundionum regnum ad hæc tempora annos plus 130. durauit ſub Arnulfo imperatore inchoatum. Cui tamen parum conſonat eiuſdē authoris ſententia, qui anno ante hunc deſignatum tertio ac trigeſimo Burgūdiam ex regia ducalem factam ad hunc modum deſcribit, anno Domini 1001. Henricus (inquit ille) dux Burgūdiæ, quòd liberos nullos ſuſcepiſſet, ducatum ſuum regi teſtamento legat, naturæ concedens: quem cum rex poſſidere cœpiſſet, confeſtim Roberto filio tradit, eumque mittit aduerſus Landricum Niuernēſem Comitem Burgundionibus acceptiſſimum: victus tamen & redditus ab Altiſsiodorenſibus Balduinus Barbatus Flandriæ comes. Seuinus Senonenſis Archiepiſcopus obit, cuius Archiepiſcopatus ob eligendi contentionem annum vacauit. Super qua re ipſe viderit. Nos cœptum iter ſequimur.

Delabitur Rhodanus, imò verò ſua pernicitate præterlabitur lacum Lemanum trinominem. A contingentia enim Loſanæ, Lacus Loſanæ appellatur. Rurſumque à ſuo in Geneuam principio, Lacus Geneuæ. A vertice autem ad calcem dicitur Lemanus: piſcoſus olim (vt accolæ teſtantur) nunc autem parum fœcundus, ex quo deficere cœperunt à fide orthodoxa Loſanāſes & Geneuenſes. Sic enim deus iuſto ſuo iudicio conuertit aream in ſalſuginem, à malitia habitantium in ea. Porrò Loſanenſis ager (vt illud obiter dicam) ad Sabaudi principis ditionem pertinebat: quem tamen occuparunt Heluetii, quo iure, quáve iniuria, non ſatis liquet: graui tandem ære redemptus à Sabaudo principe, in ſuam rediit ditionem. Nouiſsimè autem ad Heluetiorum manus rediit, an vi an aſtu, dicat qui nouerit: mutauitque vnà cum ditione religionem. Nec impar fuit Geneuenſium conditio. Qui cum parerent aliàs Sabaudo, poſtmodum verò Viennenſi præſuli, ita referente Munſtero, tandem accedente conniuētia Francorū Regis, Bernates vicinos aut ſuperiores, aut certè confœderatos habere & agnoſcere aut volūt, aut fingunt. Manet itaque omni ex parte corroſa vetuſta illa Burgūdia. Sed & Geneuenſiū tractus ab anno ſalutis adeptæ 1004. à Burgūdiæ ditione ſeiungitur ob comitis Reginaldi perduellionis rei crimen. quo factū eſt vt ciuitas ipſa regis patrimonio adiiceretur. Orā præterea Lugdunēſem ſatis cōſtat non tam ad ducalem Burgūdiæ ditionē pertinere, quàm ad ius Frācorum regium, quorū legibus paret, & Lutetiani Senatus obtēperat edictis.

Dux ſiquidem olim Burgundiæ Ioannes Lugdunenſem tractum ex
profano ſacrum reddidit: qui diuo Ioanni Baptiſtæ templum erexit,
ſodalitiumque multis prouẽtibus locupletauit: cuius collegas Comi- *Comites Lugdunenſes.*
tes cenſeri voluit, qui forent quadrilatera nobilitate inſignes: quod
quidem edictum cum iudicio accipiendum eſt, ſi modò ſuppeteret
virorum ea conditione præditorum copia, qui canonicam hanc am-
plecti profeſsionem & vellent & poſſent. Alioqui vbi deeſſet mate-
ria, audiendus eſſet diuus Paulus; ita inquiens: Videte vocationem
veſtram fratres, quia non multi potentes, non multi nobiles, ſed in- *1.Cor.1*
firma mundi elegit deus. Qui vero ſuperiores huic ordini ſtant à con
ſiliis, equitaturæ nomine gloriantur non quidem armatæ, ſed togatæ,
qui vulgo appellantur Cheualiers, non tam ſanguinis aut armorum
claritate quàm literatura: quo fit vt iam regium dicatur Lugdunum
potius quàm ducale Burgundionicum: neque id mirum, cum ab om-
ni æuo pro vertice habeatur Lugdunenſis Galliæ in quadruplicem
hierarchiam diſtinctæ. Eſt enim Gallia Lugdunenſis prima ad Rho-
danum, altera ad Sequanã Rothomagenſis, Senonenſis tertia, quarta
vero Turonenſis ad Ligerim, authore Sigisberto.

Id quoque ad Burgundianam pertinet Chorographiam, quod
rerum Germanicarum libro primo à beato Rhenano de Maxima
Sequanorũ memoriæ proditum eſt. Complectitur (ait ille) Maxima
Sequanorum Sequanos interiores, Heluetios & Rauricos exteriores
ſiue Ciſmõtanos: ac (vt ſummatim dicam) totam diœceſim Baſilien-
ſem, Sunganiam, Colmariam, vſque ad foſſam terminalem Eccem-
bachi riui, vbi confinium eſt Maximæ Sequanorum. Ptolomæus Se-
quanis Argentuariam tribuit: cuius ruinæ iuxta Colmariam viſuntur.
Dicta eſt autem (vt idem ait) Maxima (ſubaudi prouincia) quòd am- *Maxima Sequanorum.*
pliſsima fuerit Sequanorum olim ditio. ad Rhenum vſque pertinge-
bat, & Mediomatricos ac Treuiros ſuo complexu comprehendebat.
Sed & Iulius Cæſar ſcripſit Rhenum fluere per fines Sequanorum,
hoc eſt, Baſilienſium & Sunganianorum. Diui Apollinaris ager pu-
gna cum Ariouiſto memorabilis inter Sequanos reputatur, milliario
tantum Germanico diſtans à Rheno. Ampliſsimæ huius prouinciæ
caput erat Viſuntio. Vnde & hodie Baſilienſis diœceſis Biſuntinum
Archipræſulem agnoſcit: eoque loci maximè Sequanorũ præſes mo-
ram trahebat: qui & ipſe dicebatur vicarius ſeptem prouinciarum.
Habebat & militarem ducem: qui dux Sequanici limitis vel tractus
dicebatur. Eratque præſidiarius perpetuus contra Alemanos tranſ-
rhenanos. Alluſit ad hæc Auſonius.

Inſinuant qua ſe Sequanis Allobroges oris.

Quæ omnia longè abſunt à Burgundia contracta vti noſtra ſe habet
ætate: quam ſuprà monſtrauimus maxima ſui parte eſſe trunca-
tam, ac vt ſic dicam, bifurcatam, in regiam ducalem, & comitaten-
ſem imperialem.

Sed & regnum ipſum Burgundiæ, quod ab initio ſeſe latiſsimè
extendebat, poſt Boſonem exauthoratum multis in locis truncatum
reperio. Vnus enim ex ſuis militiæ præfectis ſibi vſurpauit partẽ vnã,
partem aliam intercepit dux alius nomine Vmbertus à candore ma-
nuum cognomẽtum habens. Is enim Sabaudiæ partem, partim verò
Pedemontanã regionem proprio adiicere peculio, & vi potius quàm
iure ſibi adſcribere non dubitauit. Sed & eam Burgundiæ portionem
quæ ad Germaniam ſpectabat, loci accolæ ſubtraxerãt: quam tamen
Fridericus Boſonem ſequutus in integrum reſtituendam curauit.

Rodulphus præterea (quod ſatis conſtat) Burgundiæ ditionem magna ex parte diſſecuit in vltionem acceptæ à coætaneo rege Francorum iniuriæ: cuius tamen ſororem ſibi ſociauerat vxorem, quòd ſciret ſe eius nutu, aut certè iuſſu fuiſſe emaſculatum, ac vi generandi orbatum. Ideoque omnem cœpit mouere lapidem, vt à regia ditione ſeſe eximeret: quodque vnum potuit, Burgundiam montanam Tranſiurēſem imperatoris peculio addixit, & à ducali, quæ ad regem Francum ſpectabat, ditione ſubtraxit. Quæ ſeparatio in hanc vſque diem integra obſeruatur ex conuētione inter regnum & Imperium, ad Charum fluuium inita inter Henricos geminos, Imperatorem vnum hoc nomine tertium, & Henricum Francum alterum ea appellatione primum. Sed & illud in confeſſo apud omnes habetur, Carolum ea appellatione quintum, à Ioanne Cabilonenſi principe Antiſſiodorenſi Comite huiuſcemodi comitatum regno comparaſſe vno ac triginta millibus aureis nummis Francicis, numerata ex tempore pecunia: quæ Antiſſiodorenſis regio ab inde regni Francorum peculio addicta eſt, & ita addicta, vt nunquam poſtea ad ducalem Burgundionum ſtatum redierit. Ex his agnoſce in quas anguſtias contracta ſit Burgundicæ olim ditionis amplitudo. Quod autem ſuper ea re dicendum reſtat, in alium locum ſuper regij ſtemmatis canone diſtulimus excutiendum.

AETATIS MEDIAE PARS ALTERA à domita per Cæſarem perpetuò dictatorem, Gallia, ad vſque rabiem Gothicam. Perioche nona.

QVIS rerum neget eſſe vices? Gallica gens, & ea quidē tranſalpina nobis citerior, ipſi vlterior Italiæ: ea inquam ipſa natio quæ poſt homines natos ad hāc vſque ætatem ſola & prima vrbem Romā, vno excepto Capitolio, ſtrauerat, incenderat, diripuerat, ademptamque libertatem auro potius ponderato quàm numerato à Romanis precario redemptam vltro reſtituerat, olim victrix, victa eſt Gallia, Romano ſuppeditata iugo. Adeò verum eſt quod aiunt:

Victorem à victo ſuperari ſæpe videmus.

Omnium itaque rerum viciſsitudo eſt. Hunc continuum ludum ludimus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Qui fortunam (quam Chriſtiani neſciunt) reuerenter habent Ethnici poëtæ, id pro axiomate pronunciant:

Si fortuna volet, fies de Rhetore conſul:
Si volet hæc eadem, fies de conſule Rhetor.

Qua de re ita Appianus Alexandrinus ait libro Celtico: Vltima maiorque Gallorū cum Romanis pugna à Caio Cæſare peracta eſt. Plura quippe millia ferociſsimorum virorū per decē ferè annos quibus Galliæ præfuit, cum eodē geſſere bellum: quæ ſiquis ſub vno numero complecti cupiat, 400. & vltra M. fuiſſe intelliget. C. enim M. virorū capta, totidē in pugna cecidiſſe cōſtat, 400. nationes, vrbes 800, quaſdam deficiētes ab ipſis, nonnullas eum ſuſcipientes redegit in poteſtatem. Idemque de Belgis:

Cæſar in eos qui Belgæ nominantur inuectus, in tranſitu fluminis deprehenſos, tam ingenti cæde proſtrauit, vt cadaueribus oppoſitis, pontis in modum flumen pertranſiret. Neruii tamen aliquādo illum terga dare coëgerunt, cum exercitum ad iter præparantem inopine

aggreſsi,plurimos ex ſuis occidiſſent. Nam ductores ordinum,& turmarum ferè duces omnes confecerunt: ipſúmque in tumulum quendam cum ſcutiferis redactum, per circuitum obſederunt. Verùm legione decima a tergo incumbente,ad ſexaginta millia eorum oppreſſa ſunt, qui ex Cimbrorum Teutonumque progenie extitere. Porrò alio loco Celticam gentem his limitibus comprehendit: Celtarum natio quos Galatas vocāt,partim ad mare,partī ad oceanū reſpicit ſeptentrionalē,partim vero ad Rhenū fluuium habitant. Illud addiderim ex Eutropio: Anno Caius Cæſar decimo Gallos ſubegit aduerſus Romanos ciues quadriennio congreſſus. Sed de hac re fuſius libro ſexto Eutropius ad hunc modum loquitur: Anno vrbis conditę.698. C. Iulius Cæſar,quipoſtea imperauit,cum L. Bibulo Conſul eſt factus: decreta eſt ei Gallia Tranſalpina & Ciſalpina,& Comata. Poſtea Senatus addidit & Illyricum cum legionibus denis. Primo vicit Heluetios,qui nunc Quadi appellantur. Deinde vincendo bella grauiſſima vſque ad Oceanum Britannicum proceſſit. Expugnauit nanque in ea Heluetios,Tulingos, Latobriges, qui Lauſanenſes,aliàs Latouici & Latobrigij: Rauracos,& Boios,exquibus 147. milia perempra ſunt: cæteri effugerunt. Deinde Ariouiſtum regem, cui auxiliabantur Arudes,Marcomani,Tribochi,Vangiones, Nemetes, Seduſii, & Sueui, fugere compulit, duáſque vxores eius, totidémque filias cepit, omnémque exercitū per L. M. paſſuum inſatiabiliter cecîdit. Poſt hoc gentem Belgarum,cui adhæſerant Bellouangii, cum. L. M. armatorum,Sueſſiones cum L.M. Neruii præterea, quorum adeò indomita feritas erat,vt nunquam ad ſe mercatores accedere ſinerent, hi nihilominus L.M. armatorum habētes,Atrebates etiam & Ambiani, Menapii,Caleti,Vellocaſſes, Veromādui,Aduatici,Conduenſes,Eburones, Ceræſi, Pemani, qui vno nomine Germani vocantur, quorum omnium cum iis quos ſupra diximus,272.M. fuiſſe referuntur. Hi cū repente è ſyluis erumpentes, exercitum Cæſaris perterritum in fugā vertiſſent, tandem hortatu Cæſaris exercitus reſtitit,eóſque vſque ad internecionem penè deleuit. Vbi animaduerte quòd iſti omnes vno dicuntur nomine Germani. Dehinc Titurius & Sabinus legati Cæſaris Aulercos, Eburones, Lexouióſque incredibili cæde delerunt. P. Craſſus alter legatus ex Aquitanis & Cantabris 38. M. interfecit. Cæſar Rurſus Germanos, qui Rhenum tranſierant, & totas Gallias ſibi ſubiicere parabant, bello adortus, vſque ad internecionem cecîdit, quorum feruntur 440. M. fuiſſe. Deinde facto ponte Rhenum tranſgreſſus,Sueuos maximam & ferociſſimam gētem ſuperauit: quorum eſſe cētum pagos multi prodidere: totámque Germaniam perterruit: mox in Galliam ſe recepit. Domuit autem annis 9 fere omnem Galliam quæ inter Alpes & flumen Rhodanum, Rhenum & Oceanum eſt, & circuitu patet ad bis tricies centena millia paſſuum. Britannis mox etiam bellum intulit, quibus ante eum nec nomen quidem Romanorū cognitū erat: eóſque victos obſidibus acceptis ſtipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annui imperauit ſeſtertium quadringenties: Germanóſque trans Rhenum aggreſſus maximis præliis vicit. Inter tot ſucceſſus ter malè pugnauit, apud Gergouiam ſemel præſens,& abſens in Germania bis. Nam legati eius Titurius & Aurunculeius per inſidias cæſi ſunt. Circa eadem tempora anno vrbis conditæ 699. Marcus Licinius Craſſus collega Cnei Pompeii magni conſulatu ſecundo contra Parthos miſſus eſt,& cum circa Carras cōtra omina & auſpicia dimicaſſet,à Surena Orodis Regis duce victus,

poſtremum interfectus eſt cum filio clariſſimo eiuſdem nominis, & præſtantiſsimo iuuene. Reliquiæ exercitus per Caſsium quæſtorem ſeruatę ſunt, qui ſingulari animo perditas res tanta virtute reſtituit, vt Perſas rediens trans Euphratem crebris præliis vinceret. Hinc iam bellũ ciuile ſucceſsit exectãdũ & lachrymabile, quo præter calamitates quæ præliis acciderũt, etiã Romani nominis fortuna mutata eſt.

Victa itaque eſt à Cæſare Gallia, ſed vix ante decennium: cum cęteris domandis nationibus biennium ſufficeret, aut ad ſummum quinquennium.

Tantæ molis erat Gallorum tundere gentem.

Citandus hoc loco eorum quæ diximus probus teſtis Plutarchus in C. Cæſare. Sic ille habet ad verbum: In Gallia nec totum belli gerãus decennium, octoginta viribus cepit oppida, trecentos ſubiugauit populos, aduerſus trecentas partim inſtructas miliades, centum quidem ferro cæſis, totidem vitæ reſeruatas captiuas habuit. Vocat ille potentiſsimos Gallorum Belgas, tertiam Galliæ partem habitãtes: Neruios autem efftenatiſsimos & bellaciſsimos, vtpote ſylulcolas.

Qua autem fide Cæſar bella geſſerit, ex hoc vno Califii oraculo diſcere poteris, qui (referente Plutarcho) ait Catonem cum in Senatu pro victoria contra Barbaros habita, ſupplicatio decerneretur, ſententiam dixiſſe: vt Cæſar hoſtibus dederetur, quò pro ciuitate perfidiam expiarent, & execrationes in authorem verterent.

Vides hic deſiderari à Catone æquiſsimo Cenſore fidem, quę hoſti etiam ſeruanda eſt. Quod autem vulgo dicitur,

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

Sinonis hoc dictum eſt, nõ Catonis. Vt illud interim omittam à Lentulo ingenti aduerſus eum vociferatione pronuntiatum, Contra latronem non ſuffragiis, ſed armis opus eſſe.

Vt autem res tota legitimo procedat ordine: cunctis perſpicuum

Clientelæ ius. eſt (quod & ipſum nullo non iure cauetur) dominum beneficiario, patronum clienti, ac conuetſim clientẽ patrono mutua obſtringi fide. Vti enim ſubditus ſeruitutem (tributariam ſaltem) vnà cum ſyncera fide coniunctam præſtare debet: ita & tutelam dominus, efficacémq; aduerſus hoſtiles incurſus tutam defenſionem præſtet oportet, ſi quẽ in ſuam receperit clientelam. A qua ſi defecerit, iure & quidem iuſtiſſimo priſtinam, qui priuſquam armis ſuperaretur, liber erat, ſibi aſſerere poteſt libertatem: & id quidem iure poſtliminij cunctis notiſsimo. Vnde & illud ſequens eſt, ſtatim poſt occupatam à Iulio Cæſare Galliam, ob defectũ exhibitæ obligationis qua obſtringebantur Romani, per fas licuiſſe Gallis, ſi per virium facultatem id fieri potuiſſet, iugum à ſe tributariæ ſeruitutis excutere. Huc ſpectant non humana & ciuilia tantum, verũ & cælitus ad nos demiſſa oracula. Signa enim veri principatus in Meſsia venturo adumbrati & graphicè quodam-

Pſal. 71. modo deſcripti ex pſalmo, hæc ſunt: Deus iudicium tuũ regi da. Suſcipiant mõtes pacem populo. Huius autem regiminis prora & puppis hæc eſt, quòd liberet pauperem à potente, pauperem cui non adſit adiutor. Parcat pauperi & inopi, atq; animas pauperum ſaluas faciat. Quinetiam ex vſuris & iniquitate redimat animas eorum, ſitque honorabile nomen eorum coram illo, ſyncero inquam legitimóque principe. Hoc etiam attigit diuus Paulus ad Romanos 13. qui poſteaquam ſubdito reliquit in mandatis veram ſyncerámque ſubmiſsionẽ, è regione adiunxit: Non ſine cauſa gladium portat. dei enim vindex eſt in iram &c. Propter quod, ait, tributa pręſtatis. neque his conten-

tus adiecit. Cui ergo honorem, honorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Sed & idem Paulus ad Timotheum ſcribens ſimul hortatur & iubet preces ad dominũ fundi pro regibus & ducibus: vt per eorum fidem & tutelam nobis liceat tranquillam vitam agere. Si igitur princeps eo vinculo adſtrictus, non ſolum nõ præſtat quod debet, imò verò ſciens & volens immittit in patriam ſuæ fidei cõmiſſam barbaros, qui patriam hoſtiliter inuadant, diſcerpántque ac fœdè dilanient: quis non prima occaſione oblata, hanc paſſus iniuriam, ſeſe à iugo eximat tam diræ duræque ſeruitutis? Ac in eam partem peccaſſe nedum poſteros Cæſares, imò & Iulium ipſum primum vniuerſæ occupatorem Galliæ, Romana non obſcurè docet hiſtoria. Sic habet Tranquillus in Iulio Cæſare cap. 54. In Gallia fana tẽpláq; deûm donis referta expilauit: vrbes diruit ſæpius ob prædam, quàm ob delictum: vnde factum, vt auro abundaret: terníſque millibus nummuûm in libras promercale per Italiam prouinciáſque diuenderet. At hoc non eſt patroni perſonam induere, verùm potius tyrãni, atque expilatoris ſacrilegi. De Auguſto verò quàm ſeſe parũ æquum Gallis præſtiterit, vel ex hoc vno deprehenditur, quòd Germanos vltra Albim fluuiũ ſubmotos, Sueuos inquã & Sicãbros traduxerit in Galliã, atq; in proximis regno agris collocauerit, ex cap. 21. At hoc nõ eſt ſuis patrocinari clientibus, quos ab omni iniuria tutos ſeruari oportuit, imò & pro eis ſeſe murũ opponere. Tu vero mihi vide quò tandẽ abierit violatæ fidei inauſpicata ſequela. Hi enim Frãci, qui & Sicambri, ſucceſſu tandem temporis gens & numero & viribus aucta, tametſi variis bellorum agitata fluctibus, inuicta tandẽ & nunquam domita, excisis Romanorum viribus, & cadente imperio, Gallis Francigenis indelebilem cõparauit libertatem. Sunt enim Gallofranci liberi, nullũ agnoſcentes ſuperiorem: nec Romanorũ imperio ſeruiunt, nec legibus vtuntur niſi quatenus eas ad res ſuas facere viderint. Sic enim omnia cum quodam veniunt incommoda ſenſu, & minima erroris ſcintilla in flammã creſcit inextinguibilem. Sed & hæc culpa leuis in Auguſto videbitur, reliquorum imperatorum collata perfidiæ: & leuicula videri hæc poterunt, ſi cum cæteris vaframentis penſiculatius conferantur. Quibus accuratè penſatis nemo ſat ſcio inficiari poterit Romanorum in Gallos præfecturam nil aliud fuiſſe, quàm meram tyrãnidem, clientelç fuco laruáque adumbratam. Primũ itaque ex Suetonio in Iulio Cæſare conſtat omine nõ caruiſſe Gallicum Cæſaris triũphum. Cum enim de Gallis triumpharet, eo ipſo die Velabrum prætervehens, toto penè curru excuſſus eſt, axe defracto. Porrò iſtud in Tiberio idem Tranquillus retulit, graui eum nota inurens, quòd Gallias à Germanis vaſtari neglexerit: magno (vt ait) dedecore imperii, nec minori diſcrimine. Hoc enim eſt agere tyrannum, non patronũ. Parem quoq; illud notam meretur, quod de rapina Tiberiũ accuſans ait: Præterea Galliarum Syriæque & Græciæ principes cõfiſcatos ob tam leue ac tam impudẽs calumniarum genus, vt quibuſdã non aliud ſit obiectum, q̃ quòd partem rei familiaris in pecunia haberent. De Caij autem Cæſaris in Gallos odio, ex Tranquillo hæc leguntur: quòd Gallis aliquot & Grçcis vno tempore condẽnatis iactaret gloriabundus, ſeſe Gallogræciam ſubegiſſe. Quæ verba propius accedunt ad ſçuitiam tyrãni, quàm ad charitatem patroni. Huc etiam ſpectat quod alio de eo loco narratur, Caligulam triumphum agentem, præter captiuos & transfugas barbaros, Galliarum quoque proceriſsimũ quẽque, quem Actiotriambecon appellabat, ad triumphi pompam ſepo-

1. Timo. 2.

Roma. tyrãnis.

minum. Iſque terror Gallias inuaſit, vt venienti mox agmini vniuerſæ ciuitates cum magiſtratibus & precibus occurrerent, ſtratis per vias pueris fœminíſque, quæque alia placamenta hoſtilis iræ, non quidem in bello, ſed pro pace tendebantur.

Vt ne omittam conſpicuam illam, quę inter Lugdunẽſes Viennẽſéſque dubio euentu volitabat diſcordiam. ſic enim ille ait:

Fruſtra aduerſus Heduos quæſita belli cauſa. Iuſſi pecuniam atque arma deferre, gratuitos inſuper cõmeatus pręb uere. quod Hedui formidine, Lugdunenſes gaudio fecere. Sed legio Italica & ala Taurina abductæ. Cohortes 18. Lugduni ſolitis ibi hybernis relinqui placuit. Manlius Valens Legatus Italicæ legionis, quanquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. Secretis eum criminationibus infamauerat Fabius ignarum, & quo incautior deciperetur, palàm laudatum. Veterem inter Lugdunenſes Viennenſéſque diſcordiam proximum bellum accenderat, multæ inuicem clades, crebrius infeſtiúſque, quàm vt tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur, & Galba reditus Lugdunenſium occaſione iræ in fiſcum verterat. Multus contra Viennenſes honor: vnde æmulatio, & inuidia, & vno amne diſcretis, connexum odium. Igitur Lugdunenſes extimulare ſingulos militum, & in euerſionem Viennenſium impellere, obſeſſam ab illis coloniam ſuam, adiuros Vindicis conatus, conſcriptas nuper legiones in præſidium Galbæ referendo. Et vbi cauſas odiorũ prætenderant, magnitudinem prędę oſtendebant. Quid plura? eò tãdem deuentum eſt, vt Viennenſes ſibi ab extremo timentes exitio, ſupplices precario, magno etiam ſumptu veniam implorarẽt. id enim haud obſcurè Tacitus his verbis reddidit, ita inquiẽs: Cum haud ignari diſcriminis ſui Viennenſes velamenta & infulas pręferentes, vti agmen inceſſerat, arma, genua, veſtigia prehenſando, flexere militum animos. Addidit Valens tricenos ſingulis militibus ſeſtertios. Tum vetuſtas dignitaſque coloniæ valuit, & verba Fabii ſalutem incolumitatémque Viennenſium commendantis æquis auribus accepta. Publicè tamen armis multati, priuatis & promiſcuis copiis iuuere militem. Sed fama cõſtans fuit, ipſum Valentem magna pecunia emptũ. Is diu ſordidus, repente diues mutationem fortunæ malè tegebat, accenſis egeſtate longa cupidinibus immoderatus, & inopi iuuenta ſenex prodigus. Huiuſmodi vorago inexplebilis ipſis quoque Heluetiis rebellandi anſam præbuit: id quod mox ſequitur.

Lento deinde agmine per fines Allobrogum & Vocontiorum ductus exercitus, ipſa itinerum ſpatia, & ſtatiuorum mutationes venditante duce fœdis pactionibus, aduerſus poſſeſſores agrorum, & magiſtratus ciuitatum adeo minaciter, vt Luco (municipium id Vocontiorum eſt) faces admouerit, donec pecunia mitigaretur. Quoties pecuniæ materia deeſſet, & ſtupris & adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes peruentum. Plus prędæ ac ſanguinis Cæcina hauſit. Irritauerant turbidum ingenium Heluetii Gallica gens, olim armis viriſque, mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellij imperium abnuentes. Initium bello fuit auaritia ac feſtinatio vndeuiceſimæ legionis. Rapuerunt pecuniam miſſam in ſtipendium caſtelli quod olim Heluetii ſuis militibus ac ſtipendiis tuebantur. ægrè id paſſi Heluetii, interceptis epiſtolis quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, Centurionem & quoſdam militũ in cuſtodia retinebãt. Cęcina belli auidus proximam quãque culpã antequã pœniteret vltũ ibat. Mota ꝓpere caſtra. Vaſtati agri. Hęc ex multis pauca

carptim deflorata ſunt: quibus apparet nullum non genus aut violentiæ aut fraudis exercuiſſe Romanas legiones, vt Gallicas opes emungerent & exhaurirēt etiam vſque ad extremam rerum inopiam. Denique nihil aliud quàm expilandi vndecunque quęſitam occaſionem animo verſabant Romanæ ditionis proceres: id quod ex verbis Taciti deprehenditur lib. decimooctauo. Sed nihil æquè fatigabat, quàm pecuniarum conquiſitio: eos eſſe belli ciuilis neruos dictitans Mutianus, non ius aut verum in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opum ſpectabat. Paſsim delationes, & locupletiſsimus quiſque in prædam correpti. quæ grauia atque intoleranda, ſed neceſsitate armorū excuſata, etiam in pace manſere: ipſo Veſpaſiano inter initia imperii ad obtinendas iniquitates haud perinde obſtinato, donec indulgentia fortunæ & prauis magiſtris didicit, auſuſq; eſt. Propriis quoq; opibus Mutianus bellū iuuit, largit⁹ priuatim, quod auidius de Repub. ſumeret. Cæteri conferendarum pecuniarum exemplum ſecuti. Rariſſimus quiſque eandem in recupetando licentiam habuerunt. Ex his potiſsimum atque aliis cateruatim ſeſe offerētibus occaſionibus, obrepere cœpit aſſerendæ apud Gallos libertatis ingens deſideriū: quod quidem longo ptius tempore tectum, in apertam euaſit coniurationem, ductu primum & auſpiciis Ciuilis Batauí: cuius meminit Tacitus lib. 20. Ad ea Ciuilis primo callidè, pòſt vbi videt Mōtanū pęferocem ingenio, paratúmque in res nouas, orſus à quæſtu periculiſque quæ per quinq; & viginti annos in caſtris Romanis exhauſiſſet, Egregium, inquit, precium laboris cepi, necē fratris, & vincula mea, & ſæuiſsimas huius exercitus voces, quibus ad ſuppliciū petitus, iure gentium pœnas repoſco. vos autem Treuiri, cæterǫque ſeruientium animæ, quod precium effuſi totiens ſanguinis expectatis niſi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, ſecures, & dominorum ingenia? En ego præfectus vnius cohortis, & Caninofates Batauíque exigua Galliarum portio, vana illa caſtrorum ſpatia excidimus, vel ſepta ferro faméque premimus. Denique auſos aut libertas ſequetur, aut victi iidem erimus.

Eò demum vſque deuentum eſt, vt qui prouinciā extinguendæ ſeditionis in ſe receperat Dilius Vocula, duodeuigeſimæ legionis legatus, in apertum diſcrimen inciderit: quod effugete nullatenus potuit ſenio iam confectus valetudinarius ſenex: & ad id in procliui Gallia erat mox in huius ſeditionis præcipitium deſcenſura: niſi quòd celebratis apud Rhemos ampliſsimis comitiis, viſum eſt à cœptis deſiſten dum: non tam deſperatione adipiſcendæ libertatis, quàm vitandi periculi gratia bellorum in tota Gallia ciuiliū: ne ſcilicet abiecto ſemel Romanorum iugo, manúque ferulæ ſubducta, pars vna aliam faſtidiret, ſingulari quadam philautia excæcata, dum alii ſe nobiliores iactarent: alii vetuſtate intumeſcerent: quidam verò fortitudinis titulo pri mas ſibi vſurpare contenderent: ſicque abiecto externæ ſeruitutis iugo, in propria Galli viſcera gladium ſtringerēt. id quod ipſis contigit Romanis: qui ſtatim poſt externa bella, in ſua ipſorum viſcera ſæuierunt. quod non obſcurè teſtatur Lucanus libro primo hæc referens:

Quis furor ô ciues, quæ tanta licentia ferri
Gentibus inuiſis Latium præbere cruorem?
Cúmque ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis
Auſoniis, vmbráque erraret Craſſus inulta:
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.
Heu quantum terræ potuit pelagíque parari

Hoc

Hoc quem ciuiles hauſerunt ſanguine dextræ.
Nec multo poſt:
Tum (ſi tantus amor belli tibi Roma nefandi)
Totum ſub latias leges cum miſeris orbem,
In te verte manus:nondum tibi defuit hoſtis:
At nunc ſemirutis pendent quòd mœnia tectis
Vrbibus Italiæ,lapſiſque ingentia muris
Saxa iacent:nulloque domus cuſtode tenentur:
Rarus & antiquis habitator in vrbibus errat,
Horrida quòd dumis multóſque inarata per annos
Heſperia eſt,deſuntque manus poſcentibus aruis.
Neque his contentus adiungit:
Fert animus cauſas tantarum expromere rerum,
Immenſumque aperitur opus,quid in arma furentem
Impulerit populum:quid pacem excuſſerit orbi.
Inuida fatorum ſeries,ſummiſque negatum
Stare diu,nimióque graues ſub pondere lapſus,
Nec ſe Roma ferens.ſic quum compage ſoluta
Secula tot mundi ſuprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos,omnia mixtis
Sydera ſyderibus concurrent,&c.
Tandémq; paucis multa colligens,hoc carmine rem totã concludit:
In ſe magna ruunt.
Atque ideo ita exclamare cogitur:
O male concordes,nimiáque cupidine cæci!
Quid miſcere iuuat vires,orbémque tenere
In medio?dum terra fretum,terrámque leuabit
Aër,& longi voluent Titana labores:
Nóxque diem cœlo totidem per ſigna ſequetur:
Nulla fides regni ſociis,omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit:nec gentibus vllis
Credite,nec longè fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Felix itaque Gallia, quam fecerunt aliena pericula cautam. Neque ignorabat non defuturos patriæ deſertores: qui in medio diſcrimine, Romanorum caſtra ſequerentur, eiurata patria. hi Sequani erant, Hedui, ac magna etiam ex parte citeriores Germani, teſte etiam Paulo Oroſio ita inquiente libro.6.cap.11. Dehinc (inquit) duo colles ſibi inuicem obuerſos Romani Gallique ceperunt, vnde multis ſępe eruptionibus & variis prouentibus præliantes, tandem Romani præcipua Germanorum equitum (quos ſibi iamdudum amicos, nunc in auxilium acciuerant) virtute vicerunt. Cum igitur Galliæ inhiarent, toto eam ore deuoraturi, hinc Germani Leones, inde verò Italici Dracones ſpe Galliam deuorantes, ſiquando tumultus inter ſe excitarent inteſtina ſeditione laborantes: conſultiſsimum viſum eſt Galliæ proceribus, oneroſam pacem præferre ſanguinariæ & vmbratili libertati. Sicque verſa eſt procella in auram, & ſiluerunt moti in Gallia fluctus: qua in re ſuprà aliquantiſper immorati ſumus. Alioqui vero quàm ardua res fuerit, humaniſque viribus impar, debellaſſe Gallias, planè agnoſcit profitetúrque Velleius Paterculus in Iulii Cæſaris gratiã hæc dicens: Bis penetrata Britannia, nouē deniq; æſtatibus vix vlla nō iuſtiſsimus triumphus emeritus. Circa Aleſiam

ve rò tantæ res, quantas audere vix hominis, perficere penè nullius niſi dei fuerit. Septimo ferme anno Cæſar morabatur in Galliis. Quãti ve rò ſteterit aduerſus Gallos parta victoria, vel hinc apparet, quod Oroſius ait: Cæſar, erumpentibus deſuper hoſtibus preſſus, multa exercitus ſui parte perdita, victus aufugit. Quapropter merito Velleius ait Gallias primum Domitio Fabio nepote Pauli, qui Allobrogicus vocatus eſt, inritatas cum exercitu: magna mox clade, noſtra ſæpe & affectauimus, & amiſimus. Quod autem ſubiungit Cæſaris opera fuiſſe infractas, tributóque manſiſſe obnoxias: id non tam virium ac roboris penuria accidit, quàm partiũ defectione: nẽpe Sequanorum Heduorúmque nutante fide: quàm etiam Germanorum cupiditate, ſpe prædæ futuræ ineſcatorum, aſtu quoque fraudéque Romanorũ: quorum iniuriam ſenſit optimè ſemper de Romanis merita Maſſilia. Quid enim facias diuiſis inter ſe ſtudia in contraria Romanis, cum etiam fœderis initi tenaciſsimi Maſſilienſes, pro ſeruata fide præmij vice pœnas dederint apud Iulium Cæſarem? Cui cum hoſti reputato portas occluſiſſent, acceptæ ille impatiens iniuriæ (ſi iniuria dicenda eſt) non multò pòſt redintegratis viribus Maſsiliam hoſtiliter inuaſit: captámque crudeliter expilauit, vita illius tantum ſeruata: egregium ſcilicet præmium mordicus retentæ fidei. Qua de re audiendus eſt Paterculus in hæc verba diſſerens: Feſtinationem itineris eius aliquandiu morata Maſsilia eſt, fide melior quàm conſilio prudentior, intempeſtiuè principalium armorum arbitria captans, quibus hi ſe debent interponere, qui non parentem coërcere poſſunt. Hinc meritò quis deſideret ſynceram Romanorum ad beneficiarios ſuos, addo etiam & beneficos tutelarem fidem: cum in Cæſarem potius culpa reiicienda ſit, quàm in ſenatum populúmque Romanum: qui nec id attentare auſus fuiſſet, niſi ſe potentiorem intellexiſſet ex Gallicanarum acceſsione virium. Ideóque prima ſemper illi cura fuit Gallicam prouinciam apud ſe retinere: quam nec Plutarchus ipſe diffitetur pro arce imperij à cunctis fuiſſe habitam. Ideóque eò ſemper fuit intentus, vt Gallicanam à ſenatu prouinciam vel precario obtineret: vt ſi minus ex voto ſuccederet, vel clandeſtina factione, vel vi penè etiam aperta extorqueret. Illud certe conſtat, Gallicanarum acceſsionem legionum indubiam, vt ſiqua res alia, de ſuis æmulis peperiſſe victoriam: vt cuius fultus ope, victor euaſerit: ſine qua aut nullus, aut multis partibus inferior futurus erat. Ea enim gens in ipſo ſtateræ æquilibrio ſuperpondii vicem tenebat. Quod nec ipſum etiam latuit Lucanum, multorum circuitu verborum diſſerentem, quantum momenti attulerit Gallicarum acceſsio legionum: qua de re ita cecinit:

Maſsilia pro fide Romanis ſeruata hoſtiliter direpta.

Cæſar vt acceptum tam prono milite bellum
Fatáque fere videt: ne quo languore moretur
Fortunam, ſparſas per Gallica rura cohortes
Euocat: & Romam motis petit vndique ſignis.
Deſeruere cauo tentoria fixa Lemanno:
Caſtráque quæ Vogeſi curuam ſuper ardua ripam
Pugnacés pictis cohibebant Lingonas armis.
Hi vada liquerunt Iſaræ: qui gurgite ductus
Per tam multa ſuo famæ maioris in amnem
Lapſus ad æquoreas nomen non pertulit vndas.
Soluuntur flaui longa ſtatione Ruteni.
Mitis Atax latias gaudet non ferre carinas.

Finis & Heſperiæ promoto milite Varus.
Quáque ſub Herculeo ſacratus nomine portus
Vrget rupe cana pelagus:non corus in illum
Ius habet aut zephyrus:ſolus ſua littora turbat
Circius:& tuta prohibet ſtatione Monœci.
Et paulo poſt:
Et Biturix,longíſque leues Axones in armis:
Optimus excuſſo Leucus Rhemúſque lacerto.
Optima gens flexis in girum Sequana frenis:
Et docilis rector monſtrati belga Couini:
Aruerníque auſi latios ſe fingere fratres
Sanguine ab Iliaco populi:nimiúmque rebellis
Neruius:& cæſi pollutus ſanguine Cottæ.
Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
Vangiones:Batauíque truces:quos ære recuruo
Stridentes acuere tubæ:quà Cinga pererrat
Gurgite:qua Rhodanus raptum velocibus vndis
In mare fert Ararim:quà montibus ardua ſummis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Vt iam inde colligas id vero verius eſſe, quod volens nolens Sabellicus pronuntiauit enneadis quartæ libro nono. Hic (inquiens) Gallici belli finis fuit: quo nullum ad id tempus aut maiore animorum obſeruatione,aut milium audacia, aut atrocitate præliorum,interfectorum multitudine, copiarum numero memorabilius in terra Italia fuerit geſtum.

Vanè itaque (vt ne quid aliud dicam) & contrà quàm res habet, apud quoſdam neotericos ſeſe præfert Germania Galliæ, ea inquam Germania quæ Danubio circũſcribitur & Rheno, quòd ſcilicet nunquam à Romanis perdomita fuerit, aut in prouinciam redacta, cum contrà Galliam Cæſar ſubegerit.Sed hoc minime attendũt,quòd ſoli poſt homines natos Francogalli ſub pedibus Germaniam, Saxoniam dico & Alemaniam ad ſolum vſque proſtrauerint: eique in longiſſimum tempus tributa imperarint, ídque apud Tolbiacum Vbiorum oppidum. Quod nec ipſi authores ſalua fronte diſſimulare poſſunt. Seruierunt enim Germani,nempe Sueui, Alemani,& Saxones à tempore Clodouei noſtri protochriſtiani vſque ad finem Carolinæ ſobolis, cum ſcilicet Ottones imperio ad eos tranſlato ſibi diu ob ligatam aſſeruerint libertatem ad annos ferme quingẽtos, nempe ab anno orbis redempti quingenteſimo ad paulo plus minusve milleſimũ.

At ea eſt temporis mẽſura,qua Galli Romanorum ſenſere iugum per annos ſcilicet ante Chriſtum natum ferme ſexaginta aduſq; Attilæ ætatem,ſub qua barbaris ſeruire cœpit Roma olim cæterarum domina gentium:ſub annum plus minus à Chriſto nato quadringenteſimum quingenteſimum.

Totidem ergo annis (ne quis glorietur) ſeruiuit Germania Gallofrancis, quot antea ſeruierat Gallia Romanis.

Carolus certe magnus(vt omnibus in comperto eſt) vndecies collatis ſignis Saxoniam illam Germanicam tanta virtute proſtrauit,vt vix ei reſpirare liceret. Fuit autem Carolus magnus ex Gallia Auſtraſiana oriundus, & in Hengelin Ciſrhenano Galliæ oppido natus. Id quod nemo inficiari audet, nec ſi velit poſſit. Qua in re multis paraſangis tranſcendit Gallia Romã,atque adeo imperiũ ipſum Roma-

num, clade Variana ita fœdatum, vt erepta aquilarum ſigna nunquā recipere potuerit. Tantum abeſt vt ſæpius collectis viribus, ſub iugum robur Germanicum mittere valuerit. Id quod Galliæ ſoli à ſuperis conceſſum eſt. Hinc ſequutum eſt, (authore etiam Cuſpiniano) vt ereptas à Romanis geminas aquilas pro ſuis geſtet inſignibus: quas Gallofrācica virt° ſolo proſtratas ſingulari virtute perdomuit. Quod autem ad Iulii Cæſaris partam de Gallis victoriam attinet, illud audenter aſſeruerim, quod Gallicæ conditionis ſortem magis augeat quàm diminuat. Non enim tam à Cæſare aut Romana virtute victa eſt Gallia, quàm à ſeipſa: ſeductis videlicet & ineſcatis conditionis non infimæ Gallicæ nationis partibus, nempe Heduis, Lingonibus, Sequanis, & aliqua etiam ex parte Rhemorum proceribus. Huc accedit, quòd à gemino hoſte Gallia impetebatur, Romano ſcilicet, & Germano. quam fœlicitatis indiuiduam comitem inuidiam peperit ſumma & incomparabilis Gallici agri fœcunditas: in qua inter ſeſe ex æquo dubio marte Ceres Bacchúſque decertant. Ob quam cauſam inter ſeſe colludebant Romanus & Germanus, vt viciſsitudine quadam pacto fœdere, dū alter ſectaretur apros, alter retia ſeruaret. Notum eſt illud ex Eutropio, quàm iniquū ſe Auguſtus Gallis præbuerit, tyrannum potius agens quàm patronum: Hoc tamen (inquit) per Druſum priuignum ſuum adminiſtrauit, ſicut per Tiberium priuignum alterum Pannonicum. Quo bello 4000. captiuorum ex Germania tranſtulit, & ſupra ripam Rheni in Gallia collocauit. Iniquo vtique & ipſi authori, qui Galliæ patrocinium in ſe receperat, parum decoro exemplo. Contra verò nemo ſterilitati Germanicæ ſic inuidit, vt ſedes illic figere vellet: cum omnibus chorographis illud conſtet, ſumma penuria ob iuga montium, aut condenſa ſyluarum laborare Germanos partim Bacchi partim Cereris inopia: tum propter paludoſas reſtagnationes, tum verò propter ariditatē ſoli. adeò illic infœlix lolium & ſteriles dominantur auenæ. Quo fit vt non tam militaris virtus, armorúmve fœlicitas inuictam reddiderit Germaniam, quàm difficultates locorum, ſtagnáque & ſyluæ & paludes: quòd planè teſtatur Iulius Capitolinus in Maximino his verbis: Ingreſſus igitur Germaniam tranſrhenanam, per 300. vel 400. milia Barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, Barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit, cœpit innumeros: & niſi Germani per amnes & paludes & ſyluas confugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet: ipſe præterea manu ſua multa faciebat, cum etiam paludem ingreſſus circunuentus eſt à Germanis, niſi cum equo inhærentem ſui liberaſſent. Vnde & hanc ad ſenatum direxit epiſtolam: Non poſſumus tantum P. C. loqui quantum fecimus. Per cccc. milia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captiuos abſtraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus. Perueniſſemus ad ſyluas niſi altitudo paludum nos occupaſſet. His omnibus accedit nec longo temporis vſu medicabilis morum feritas, in hæc vſque tempora perdurans, ſi authori eorum familiari creditur Beatò Rhenano: qui in Cornelium Tacitum ad hunc diſſerit modum.

Gallia nō à Romana virtute ſed à ſeipſa victa.

Nullas Germanorum populis vrbes habitari ſatis notum eſt: diutius retinuere Germani priſcam illam & rudem ſimplicitatem. Nam & Athenienſes pagatim olim habitaſſe priuſquam in vnam vrbem contribuerentur, Liuius author eſt. Et ex Trogo refert Iuſti-

nus, Gallos à Maſsilienſibus Græcis vſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbarie, & agrorum cultus, & vrbes mœnibus cingere didiciſſe. Tunc, inquit, & legibus non armis viuere, tunc & vitem putare, tunc oliuam ſerere conſueuerunt. Adeóque magnus & hominibus & rebus impoſitus eſt nitor, vt non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciam tranſlata videretur. Hactenus ille. Verùm Germanis nihil tale contigit, quia mediterranei ſunt, & Oceanus ille Germanicus nauigatu periculoſus, ac ignotus, raris ab Italia Græciáque nauibus aditur. Et Galliæ quidem poſteaquam in numerum Romanarum prouinciarum venerunt, cultiores factæ ſunt. At de Germania in prouinciam redigenda cogitauit quidem Auguſtus, & tentauit aliquid Druſus Germanicus, poſterioribúſque ſeculis Poſthumus: & alii quidem Germaniæ paticulam quæ eſt inter Menum, Nicrum, & Rhenum, aliquandiu poſſederunt: verùm res ſucceſſu caruit, amiſſa ſtrenuè recuperātibus Germanis. Deinde poſt ingentē illam cladem ad Tolbiacum vicum Vbiorum acceptam, ita preſſere nos Franci, vt reſpirare non licuerit, donec exoleta ſtirpe veterum Francorum auſpiciis primū Othonis Saxoniæ ducis & Chounradi Oſtrofranci, atque Henrici Saxonis, mox magni illius Othonis (qui inter imperatores Germanicos primum obtinet locum) in priſtinam libertatem nos ipſi vindicauimus. Tum vrbes in prouinciis cum ad Rhenum, tum ad Danubium iam olim occupatis ſitæ, amplificari paulatim, & vici veteris Germaniæ, de quibus Tacitus loquitur, mœnibus cingi cœperunt. Romani igitur non tam agrotū ſuauitate allecti, q̄ timore perſuaſi Germanicos fines penetrarunt, ne ſcilicet multitudine aucti in Italiam irrumperent. Hinc quoque factum eſt, quòd quem ingenti opera & impenſa ad retundendam ferociam Danubio pontem Traianus ſtrauerat, diruendum illum atque euertendum curarit Adrianus, ne ſcilicet in Romanorum fines populariter collectis Germanicæ nationis turbis, facilis pateret acceſſus: Cuius rei ſolus timor in cauſa fuit. Iam verō docuimus, quòd qui terrori erant Romano imperio Germani, Francogallica virtute in ordinem redacti ſint. Quæ res peperit Gallicæ genti æternū nulliſque nationi externæ comparandum decus. Longe itaque abeſt à ſuo inſtituto, qui quo dictum eſt nomine Germaniam Galliæ (irrito conatu, atque adeò præpoſterè) præferre contendit: id quod per apologeſim dictum ſit, non tam inuadendi ſtudio, quàm tela obiecta retundendi. Satis enim habet vnde gloriari poſsit Germania, modò ne Galliæ cauſam eleuare contendat, ipſiúſque faſtidire conditionem. Non eſt cur ei inuidere debeat Gallus ſua fœlicitate contentus. Satis habet, ſi quando à quopiam inuaditur, ſeſe veritatis clypeo tueri, propriámque defendere cauſam citra contumeliam poſsit: alioqui quid dentem dente iuuaret rodere? Illi carne opus eſt, qui ſatur eſſe velit. Nūc quos ex vniuerſo imperii Romani grege æquos ac officioſos ſibíque vtiles patronos experta Gallia fuerit, paucis aperiendum eſt: quādoquidē ex his quæ non multo antè retulimus, vix vnum aut alterum reperias ex primæua Cæſarum ſobole, qui tutandæ aduerſus riuales Galliæ iuſtam nauarit operam, vti veros & æquos patronos decebat. Sed neque à Veſpaſiano aut Tito memoria dignū de ea re quid legitur: hoc tantū in Domitiano traditur, quòd expeditionem in Germanias parauerit & Galliam, ſed neque vtilem neque neceſſariam: eam tamen diſſuadentibus paternis amicis inchoauit, vnō inuidiæ agitatus œſtro: vt ſcilicet fratri ſe & operibus & dignatione adæquaret: æquum

ſe in ea re Antoninus Pius prebuit: cui nihil magis erat in votis, quàm vt procuratores modeſte tributa ſuſciperent: excedentes modum, expilationum ſuarum rationem redderent. nec vnquam lætatus eſt lucro quo prouincialem quempiam ſuſpicaretur oppreſſum. Vnus iam Seuerus occurrit multis à tergo relictis: qui niſi tyrannidem in Chriſtiani nominis gentem exercuiſſet, nec paucis nec modicis titulis ſuam abſterſiſſet obſcuritatem. Hic (vt de cæteris taceam) authore Spartiano, à Gallica gente, ob ſeueritatem, honorificentiam, & abſtinentiam, tantum quantum nemo alius dilectus eſt. In hoc autem nullo non dignus vituperio, quòd cum Iudæos fieri ſub graui pœna vetuiſſet, idem ſanxerit de Chriſtianis: de quo à ſenatu ita iudicatū eſt, Seuerū aut naſci nō debuiſſe, aut nō mori: quòd & nimis crudelis, & nimis vtilis reipublicæ videretur. Sedauit autem in Gallia motus ab Albino perduellionis reo imperandi gratia ſuſcitatos: quem tandem nec prorſus viuum, nec omnino mortuum, ſed ſeminecem ſuperauit: id quod ex oraculo futurum didicerat. Clodius tamen iſte (quod ſatis cōſtat) Albinus, à natiuo cutis candore à patre Poſthumio ſic eſt appellatus, quòd ſcilicet ipſe ſuo natali die totius albedine corporis, linteū quo inuoluebatur, nitore vīceret. Et hinc familia Albina dicta eſt. qui & ipſe in Gallia imperator acclamatus, Septimium Seuerum in Syria, Peſcenninum Nigrum in oriente riuales habuit. Fuderat cum in minoribus ageret, Phrygiorum gentem non ſine magna nominis ſui celebritate: & ob id à Seuero Auguſto primis ſuis diebus vnicè dilectus eſt: adeo vt directis ad eum literis vocatus ſit vnanimis, chariſſimus, amantiſsimus. Fraudem tamen ſubſequentibus indiciis ſenſit Albinus. Nam ſub ſecreti prætextu colloquii percepit quinque validiſsimos ſubornatos in eius mortem conſpiraſſe, conſcio & authore Septimio Seuero. Vtcunque res habeat (quod ad rem noſtram attinet) Galliam ita tuendam ſuſcepit, vt cenſeretur Gallorum propugnator, aut vtilis, aut certè neceſſarius.

Seueri imperatoris tyrannis.

Clodius Albinus.

Fuit & Galliæ non prorſus infenſus Peſcenninus Niger, omnium qui ante eum fuerūt vocaliſsimus, ita vt cum in campo medio declamaret, ad iuſti diſtantiā miliaris poſſet audiri. Is inquā ſacris Gallicis ita affectus legitur, vt caſtitatis leges & ſacra Gallica conſenſu publico celebranda ſuſceperit. Hi itaque duo, ater vnus, candidus alter, de re Gallica non peſsimè meriti ſunt. Non ita ſe habuit Caracallus Antoninus, qui prima occaſione oblata Galliam ingreſſus, Narbonenſi proconſule interempto, rebus omnibus eò loci turbatis, nihil aliud quàm tyranni nomen retulit odioſiſsimum: hoc vno fœlix, quòd Germanos à Gallia abegerit: quam ob cauſam patre etiam viuo Germanici nomen promeruit & Alemanici, Alemanorum gente ſubacta: authore Spartiano.

Peſcennini vocalitas.

Quo erga Gallos animo fuerit Alexander Seuerus, ex Lampridio promptum eſt iudicare: qui cum ſummopere curaret vt anæmaton foret eius imperium, hoc eſt incruentum: indigniſsimè tulit quòd à Germanicis nationibus Gallia vaſtaretur: nihílque antiquius habuit, quàm vt Gallias ab omni iniuria tutas redderet: hæc ad verbum referente Lampridio. Poſt hæc cum ingenti amore apud populum & ſenatum viueret, & ſperantibus victoriā cunctis, & inuitis eum dimittentibus, ad Germanicum bellum profectus eſt, deducētibus cunctis per centum & quinquaginta millia. Erat autem grauiſsimum reipub. atque ipſi, quòd Germanorum vaſtationibus Gallia diripiebatur. Pudorémque augebat, quòd victis iam Parthis, ea natio imminebat rei-

pub.ceruicibus,quæ ſemper etiam minuſculis imperatoribus ſubiecta videbatur. Magnis igitur itineribus lętis militibus contendit. Sed cũ ibi quoque ſeditioſas legiones comperiſſet,abiici eas præcepit. Illud admiratione non caret, qua mente Lampridius Gallicæ nationi impingere auſus ſit,quod magis tribuendum erat militum cohotti inſolentiſſimę.Nam(vt & ipſe author eſt)Germanus erat,non Gallus,qui mortem machinabatur Alexandro:neque hic alio opus eſt quàm ipſius teſtimonio Lampridii,cum inquit: Cum dormiret Alexãder poſt conuiuium hora diei ferè ſeptima,vnus ex Germanis, qui ſcurrarum officium ſuſtinebat, ingreſſus dormientibus cunctis, ſolo tamen imperatore interuigilante viſus eſt:cui Alexander,Quid eſt hoc,inquit, contubernalis?Num aliquid de hoſtibus nuncias? At ille metu perter ritus,& nõ ſperans poſſe euadere,quòd in tentorium principis irruiſſet,ad contubernales ſuos venit, eóſque ad durum principem interimendum exhortatus eſt: qui ſubitò plures armatíque ingreſsi inermes & obſiſtentes contruncauerunt,ipſúmque plurimis ictibus confoderunt.Quid,quòd etiam idem author eſt, aliquorum opinione in Britannia cæſum fuiſſe Seuerum?Sed eſto in Gallia:ex hoc tamẽ vno Gallorum indigenarum innocentia declaratur, quod idem ait: Denique agẽtem eum cum paucis in Britannia(vt alii volunt,in Gallia) in vico cui Sicilia nomen eſt,non ex omnium ſententia, ſed latrocinantium modo quidam milites, & hi præcipuè qui Heliogabali præmiis effloruerant,eum,cum ſeuerum principem pati non poſſent,occiderunt.Multi dicunt à Maximino immiſſos tyrones, qui ei ad exer cendum dati fuerant,eum occidiſſe.

Hic non video quid ſiniſtri imputari debuerit Gallicæ nationi: niſi per Gallicanas mentes,non tamẽ indigenas,legiones quæ in Gallia agebant,intelligi voluerit.Tantum ergo abeſt vt Gallicæ genti im putari debeat Alexandri cædes,vt potius Gallo gratia debeatur. Nã vt idem Lampridius author eſt,præſaga quædam mulier Druias Gallico ſermone exclamauit: Ne victoriam ſperes, ne militi tuo credas. Quam ſi monentem audiſſet Alexander, paratos ſibi à ſuis militibus laqueos euaſiſſet. Gallis igitur gratia debetur ob ſalutaria monita: quibus vitam deberet,ſi mens illi non lęua fuiſſet.Mors itaque ſuis accepta referẽda eſt, vita autem Gallis.Qua certè iniuria nihil iniquius aut ipſi iniuriam paſſo,aut certè reipub. Ipſi inquam tali ac tãto viro, omniũ acclamatione optimo,cui nemo inuidere poſſet, niſi iniquus & malus.Qui(vt idem Lampridius ait)optimę matris cõſiliis vſus eſt: ac tamen amicos ſanctos & venerabiles habuit,non malitioſos, non furaces,non factioſos,non callidos,non ad malum conſentientes, nõ bonorũ inimicos,non libidinoſos, non crudeles, non circũuentores ſui:non qui illum quaſi fatuũ circunducerent:ſed ſanctos,venerabiles, conuenientes, religioſos, amantes principis ſui: & qui de illo nec ipſi riderent,nec riſui eſſe vellent:qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent: nunquam deciperent exiſtimationem principis ſui, ſed amarent. Huc accedit,quòd eunuchos nec in conſiliis nec in miniſteriis habuit,qui ſoli principes perdunt,dum eos more gentium aut regum Perſarũ volunt viuere,qui à populo etiã amiciſsimũ principẽ ſemouent:qui internuntii ſunt aliud quàm reſpõdetur ſępe referẽtes,claudentes principẽ ſuum,& agẽtes ante omnia ne quid ſciat:qui cum empti ſint, & praui fuerint, quid tandem poſſunt boni ſapere? Erat denique eius ipſius ſententia:Ego de præfectorum & conſulum & ſenatorum capitibus mãcipia ære empta iudicare non patiar. Ve-

rũ quid facias petulãtiæ militari, quæ nihil odit niſi quod eſt optimũ? nihil gratum habet, niſi quod ſit peſſimum, & cœlo terræque ingratiſſimum, inuiſumque ſuperis iuxta ac inferis? Qui Seuerum ſequutus eſt Maximinus, tametſi in hoc natus videretur vt biberet, non vt viueret, atque humanum ſanguinem nunquam ſatiatus exhauriret: in hoc tamẽ Galliæ officioſus extitit: vt Germanorum rabiem à Gallorum Romanorumque finibus longius propulſatam, ſua luſtra, ſyluas inquam ac paludes, ipſis tantum cognitas ac peruias, repetere coëgerit. Qua in re quantam nauarit operam, his paucis ad ſenatum directis literis expreſſit. Breui, inquit, tempore, patres conſcripti, tot bella geſſimus, quot nemo veterum: tantum prædæ in Romanum ſolum attulimus, quantum ſperari non potuit. Tantum denique captiuorum, vt illis recipiendis Romanum vix ſolum ſufficere poſsit.

Secundum hunc, nonnullis à tergo relictis, ſucceſsit Poſthumus: qui Gallieni ignauia, luxuque ac perditiſsima petulantia, imperij Romani habenas occupans, mira virtute in tutanda Gallia nemini priorum ceſſurus excelluit. Qua de re Trebellius Pollio ad hunc diſſeruit modum: Cum Gallienus in luxuria & improbitate perſiſteret, cumq; ludibriis & helluationi vacaret, neque aliter rempub. regeret, quàm cum pueri fingunt per ludibria poteſtates, Galli quibus inſitum eſt eſſe leues, ac degenerantes à ciuitate Romana, & luxurioſos principes ferre non poſſe, Poſthumum ad imperium vocarunt: exercitibus conſentientibus, qui occupatum imperatorem libidinibus querebantur. Contra hunc Theodotus exercitũ duxit. Cumque vrbem, in qua erat Poſthumus, obſidere cœpiſſet decernentibus Gallis, Gallienus muros circumiens ſagitta ictus eſt. Nam & per annos 7. Poſthumus imperauit, & Gallias ab omnibus circunfluentibus Barbaris validiſſimè vindicauit.

Eſt in quo merito reprehẽdas iniquam Pollionis cenſuram, quòd ſcilicet leuitatis accuſet Gallos, à ciuitate Romana deſciſcẽtes, quòd principum illius ætatis luxum ferre non tantum noluerint imò nec valuerint. Quænam hic leuitatis ſuſpicio obrepere queat, nõ video: cum nihil aut audiri poſsit aut videri virilius, quàm tyranni principis luxui conuinctam ſæuitiam à propriis humeris fortiter excutere: eius inquam tyranni qui pro ioco habens quòd Galliam perdidiſſet, ſubſannando dixerit: Non ſine trabeatis ſagis tuta erit reſpub.? Si iſtud leuitatẽ olet, quin igitur ipſos ſuos Romanos incuſat, qui hunc ſuum Imperatorem, nullo non genere luxus perditum, ſolo abdomini natum, ac voluptatibus, vino, ſtupriſque vacantem, exauthorandũ cenſuerunt: quique partim Poſthumum, partim verò Regillianum Aureolum aut Æmilianũ imperio ſubmiſerunt? Potius igitur incuſandi veniunt Romani perfidiæ, quàm Galli leuitatis, vel proprio Pollionis teſtimonio, qui ait: Ibant præterea gentes ſimulatæ, vt Gothi, Sarmatæ, Franci, Perſæ, ita vt non minus quàm duceni ſingulis globis ducerentur. Hac pompa homo ineptus eludere ſe credidit populum Romanum: ſed vt ſunt Romanorum facetiæ, alius Poſthumo fauebat, alius Regilliano, alius Aureolo, aut Æmiliano, alius Saturnino. Nam & ipſe iam imperare dicebatur. Inter hæc ingens querela de patre, quem inultum filius relinqueret, & quem externi vtcunque vindicauerant. Nec tamen Gallienus ad talia mouebatur, obſtupefacto voluptatibus corde: ſed ab iis qui circum eum erant, requirebat, ecquid habemus in prandio? ecquæ voluptates paratæ ſunt? & qualis cras erit cœna? quales Circenſes? Sic confecto itinere, celebra-

tiſque hecatonibus, ad domum regiam rediit, conuiuiſque & epulis depulſis, alios dies voluptatibus publicis deputabat.

Incuſet potius eos, de quibus ſubiungit: Verum cum Gallieni tantam improbitatem ferre non poſſent, conſilium inierunt Martianus & Heraclianus, vt alter eorum imperium caperet: & Claudius quidem (vt ſuo dicemus loco) vir omnium optimus electus eſt, qui conſilio non affuerat, eſſetque apud cunctos in reuerentia, vt dignus videretur imperio, quemadmodum poſtea comprobatum eſt. Is enim Claudius, à quo Conſtantinus vigilantiſsimus Cæſar originem ducit. Fuit iiſdem ſocius in appetendo imperio quidam Ceronius ſiue Cecropius dux Dalmatarum, qui eos & vrbaniſsimè & prudentiſsimè adiuui. Sed cum imperium capere viuo Gallieno non poſſet, huiuſmodi eum inſidiis appetendum eſſe duxerunt, vt labem improbiſsimam malis feſſa repub. à gubernaculis humani generis dimoueretur, ne diutius theatro & circo addicta reſpub. per voluptatum deperiret illecebras. Sed de hac re plus ſatis: ad Poſthumum redeo, quem his coloribus depingit Trebellius in Poſthumo ſecundo:

Cum Galli vehementiſsimè Gallienum odiſſent, puerum autem apud ſe imperare ferre non poſſent, eum qui commiſſum regebat imperium, imperatorem appellarunt: miſsiſque militibus adoleſcentem interfecerunt. Quo interfecto, ab omni exercitu & ab omnibus Gallis Poſthumus gratanter acceptus, talem ſe præbuit per annos ſeptem, vt Gallias inſtaurauerit: cum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret, & amore barbaræ mulieris conſeneſceret. Geſtum eſt tamen à Gallieno contra hunc bellum, tunc cum ſagitta Gallienus eſt vulneratus. Siquidem nimius amor erga Poſthumum omnium erat in Gallicanorum gente populorum, quòd ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem reuocaſſet imperium. Ad rem Poſthumi facit Valerianus in epiſtola in hæc verba.

Tranſrhenani limitis ducem, & Galliæ præſidem Poſthumum fecimus, virum digniſsimum ſeueritate Gallorum, præſente quo non milites in caſtris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat. Qui vnicuique proprium & ſuum ſeruet. Virum quem ego præ cæteris ſtupeo, & qui locum principis mereatur iure: de quo ſpero quòd mihi gratias agetis. Quòd ſi me fefellerit opinio quam de illo habeo, ſciatis nuſquam gentium reperiri qui poſſit penitus approbari. Huius filio Poſthumo nomine tribunatum Vocontiorum dedi, adoleſcenti, qui ſe dignum patris moribus reddet.

Quis igitur inconſtãtiam aut leuitatem iure ſuſpicetur, quòd pertæſi Galli vnius Gallieni nemini tolerãdam tyrannicam ſæuitiam, in eius locum ſibi delegerint virum omnibus dignitatum virtutumque gradibus muneribuſque decoratum?

Denique eò deuentum eſt vt nutabundum vacillanſque Romanum imperium, Gallorum nutu aut caderet aut erigeretur, authore Pollione in Poſthumo iuniore, qui ait, Lollianſi in locum Poſthumi ſubrogatum, delatum à Gallis ſumpſiſſe imperium. Qui tamen (depulſo Germanorum à Gallis tumultu, qui pleraſque Galliæ ciuitates barbarico furore euerterant) non multò pòſt à ſuis militibus, quòd in labore nimius eſſet, occiſus eſt.

Poſt quem Gallias rexit Victorinus: cui, vna erga mulieres libidine adempta, neminem præferendum exiſtimarunt: non virtute Traianum: non clementia Antoninum: non grauitate Neruam: non ærario diſpenſando Veſpaſianum: non in vitæ totius cenſura, ac militari

etiam ſeueritate Pertinacem vel Seuerum.

Egregiam ſanè(vt à tyrannis qui diffluente in omnem libidinem, remque totam publicam diſſipante Gallieno, paſsim obuia quæque vaſtabant,ad dexterioris notæ imperatores me conferam) in tuenda re Gallica operam nauarunt Claudius & Aurelianus.Ij enim Gallias & Hiſpanias,Romanæ robur reipub. (vt Pollio teſtatur)in integrum reſtituerunt, perdomitis qui Galliam ſpe vorabant Germanicæ gentis Barbaris, abactis in prædam quæ vllo vix comprehendi poterant numero armentis.

De Aureliano verò ſic habet Vopiſcus ad verbum:Is apud Monciacum tribunus legionis ſextæ Gallicanæ, Francos irruentes cum vagarentur per totam Galliam, ſic adflixit,vt trecêtos ex his captos, ſeptingentis interemptis ſub corona vendiderit. Vnde iterum de eo facta eſt cantilena: Mille francos, Mille Sarmatas ſemel occidimus. Mille, mille, mille, mille, mille Perſas quærimus.

Sed & hanc memoratu dignam legem tulerat, vt de præda tantum hoſtis, non item de prouincialium lachrymis miles locupletaretur. Valerianus eum Auguſtus Galliarum reſtitutorem, magníque totius exempli ducem dicere non dubitauit: nec prius factus eſt princeps orbis catholicus, quàm proſtrato Tetrico in Galliis tyrannidem agente, pacatam reddiderit Galliam. Qui etiam Vindelicos in ſolo Gallico Barbarica obſidione liberauit.Sæuitiæ tamen opinione non caruit, adeò vt non tam inter bonos, quàm inter neceſſarios imperatores reponeretur à multis: qui eum quidem bonum medicum, ſed mala ratione curantem dixerunt. Qui & ſenatorum pedagogus appellatus eſt. Habitus tamen totius victor orbis: Galliæ,Italiæ liberator ac reſtitutor.

Ad reliquos me conuerto .Omiſsis Tacito & Floriano, proximè Probus occurrit: eo vſque adeò nomine dignus, vt cognomentum etiam probi ſibi adſciſcere potuerit, ſi probi nomen illi defuiſſet. foret itaque probitate Triſmegiſtus, re videlicet, cognomento, ac nomine maximè probus. Habuit, nec iniuria, Turdulum Gallicanum ſuarum laudum buccinatorem, virum honeſtate ac ſynceritate clariſsimum, ac minimè aſſentatorem. Inſuper & Valerianum Auguſtum, ita de eo loquentem: Si Probum cogitas, adoleſcentem verè probum: nunquam enim aliud mihi, cum de eo cogito, nomen occurrit: quod niſi nomen haberet, potuiſſet habere cognomen. Hic inquam Probus ſic fugacis nomen abhorruit,vt oblatum equum, qui centum ad diem miliaria currere diceretur, quique ad octiduum in ea curſus pernicitate perſeueraret, ita aſpernatus eſt, vt diceret fugaci militi potius quàm forti, id genus animantis conuenire. Hunc non terror Gallicus, non Pontici motus, non Hiſpanienſis aſtutia à ſuo gradu deflectere potuit. Quid autem tuendæ rei Gallicæ egerit, multis in locis Flauius luculêter oſtêdit: in quibus iſtud eſt quod ait:

His geſtis, cum ingenti exercitu Gallias petit:quæ omnes occiſo Poſthumo turbatæ fuerant, interfecto Aureliano à Germanis poſſeſſæ.Tanta autem illic prælia fœliciter geſſit,vt à Barbaris ſexaginta per Gallias nobiliſſimas reciperet ciuitates.Prædam deinde omnem illi, præter diuinas, quæ tamen offerebantur ad gloriam. Et cum iam in noſtra ripa, imò per omnes Gallias ſecuri vagarentur, cæſis propè quadringentis millibus, qui Romanum occupauerant ſolum, reliquas vltra Nicrum fluuium,& Albam remouit.tantum is prædæ barbaricæ tulit,quantum ipſi Romanis abſtulerant; contra vrbes Ro. &

caſtra in ſolo barbarico poſuit, atque illic milites collocauit.

Sed & apertius ſuis ad Senatũ literis rem totam ponit ob oculos. Ago, inquit, diis immortalibus gratias P. C. quia veſtra in me iudicia comprobarunt. Subacta eſt omnis quà tenditur latè Germania: nouem reges gentium diuerſarum ad meos pedes, imò ad veſtros, ſupplices ſtratique iacuerunt. Omnes iam barbari vobis arant, vobis iam ſerunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur veſtro more decernite. Nam & quadringenta millia hoſtium cęſa ſunt, & ſedecim millia armatorum nobis oblata, & ſeptuaginta vrbes nobiliſsimę captiuitate hoſtium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatę. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates aureas veſtræ P. C. dedicaui. Et has Ioui Opt. Max. cæteriſque diis deabuſque immortalibus veſtris manibus conſecrate. Præda omnis recepta eſt, capta etiam alia, & quidem maior quàm fuerat antè direpta. Arãtur Gallicana rura barbaris bobus, & iuga Germanica capta præbent noſtris colla cultoribus: paſcuntur ad noſtram alimoniam gentium pecora diuerſarum: equinum pecus noſtro iam fœcũdatur equitatui: frumento barbarico plena ſunt horrea. Quid plura? illis ſola relinquimus: ſola nos eorum omnia poſsidemus.

Denique ita pacata reliquit omnia, vt nec mures quidem rebelles vllus audiret. Proculum & Bonoſum in Agrippina Gallia laſciuientes, Gallorum adiutus auxilio à Braccata quoque Gallia depulit.

Nolim in hac cauſa pręterire Saturninum Gallica gente prognatũ, non (vt falſò Vopiſcus ait) tam noui principatus cupida, quàm tyrannicæ ſæuitię impatientiſsima. Hunc ergo Vopiſcum valere ſinamus: non tantum Gallicæ genti, verùm & Chriſtianæ religioni hoſtem infenſiſsimum, blateronémque impudẽtiſsimum: qui vt ſeipſum maledicentia vinceret, ita in Chriſtianos debacchatus eſt, vt neſcio quo furoris agitatus œſtro, diceret legi addictos euangelicæ, præſentia ſemper tempora faſtidire, eóſque non ſine perſpicuo mendacio. Serapi fuiſſe deuotos. Quódque omnẽ vanitatis aleam ſuperat, genus id hominum ſeditioſiſsimum, vaniſsimum, furioſiſsimúmque appellat, vir ipſe omniũ quos ſol iſte vnquã vidit, ſpurciſsimus ac procaciſsimus: cum nihil conſtantius lege Chriſtiana ſtatuatur, quàm perſeuerans in omnibus manſuetudo. Quin & ipſe volens nolens tantum noſtræ religioni tribuit, vt dicat gentem illam noſtram diuitem, fœcundam, in qua nemo viuat ocioſus. Alii, inquit, vitrũ cõflant, ab aliis charta cõficitur: omnes certè lymphiones cuiuſcunque artis videntur & habẽtur. Podagroſi quod agant habent: cæci quod faciant: ne chiragrici quidem apud eos ocioſe viuunt. Vnus illis Deus eſt. hunc Chriſtiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur & gentes.

Sinamus itaque hunc canem ſe quoque ipſum ſua antilogia corrodere: ad Saturninum redeundum Galliæ propugnatorem: de quo Vopiſcus canis alioqui ſpurciſsimus hæc in literas retulit:

Flebat, inquit, & dicebat: Neceſſarium, ſi non arroganter dicam, reſpub. virũ perdidit. Ego certe inſtauraui Gallias, ego à Mauris poſſeſſam Africã reddidi. Ego Hiſpanias pacaui. Sed quid prodeſt? Omnia hęc affectato ſemel honore perierunt. Et cum eum animarent vel ad vitam, vel ad imperium, qui induerunt purpuram, in hæc verba diſſeruit: Neſcitis amici quid mali ſit imperare. Gladii & tela noſtris ceruicibus impendent, imminent haſtæ vndique, vndique ſpicula. Ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur. Non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtu

Imperare quã difficile.

dio. Adde quòd omnis ætas in imperio reprehẽditur. Senex eſt quiſpiam? inhabilis videtur. ſin minus, ineſt furor. Nam quòd Imperatorem me cupitis, in neceſsitatem mortis me trahitis. Sed habeo ſolatium mortis: ſolus perire non potero. Ex quibus conici poteſt eum non adeò ſtuduiſſe tyrannidi, vt non prætuliſſet priuatam quietem, ſi per militum petulantiam licuiſſet aſſumpto imperio. Ideóque Probo penè nolente occiſus eſt Saturninus. Nam & Probus ipſe clementiæ plenas ad eum literas direxiſſe fertur: quibus libens Saturninus paruiſſet, ſi per tumultum militatem illi fuiſſet integrum.

Proculum patria Albingonẽſem, Gallum quidem Ligurem, non item Tranſalpinum, Celtámve, ex latronum principe inauguratum, libens præteriiſſem, niſi quòd nonnihil operæ & impenſæ in tuenda Gallia inſumpſiſſe (Flauio referente) viderem, qui de Proculo ſic ait: Nonnihilum tamen Gallis profuit. Nam Alemanos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non ſine gloriæ ſplendore contriuit, nunquam aliter quàm latrocinandi pugnans modo. Hunc tamen Probus fugatum vſque ad vltimas terras, & cupientem in Francorum auxilium venire, (à quibus originem ſe trahere ipſe dicebat) ipſis prodentibus Francis, (quibus familiare eſt ridendo fidem frangere) victum, interemit. Poſteri eius etiam nunc apud Albingaunos agunt: qui ioco ſolent dicere, ſibi non placere eſſe vel principes, vel latrones.

Quod autem Frãcos illos fluxæ fidei notat Vopiſcus, id nihil Gallico nomini officere poteſt, quæ nihil adhuc cum Gallia commune habuit, nec Gallicos imbiberat mores. Nam longo pòſt tẽpore Francigenæ Galli dicti ſunt. Sapiebant tum temporis ſuas illas Franci paludes, de quibus in Probo dicitur: Teſtes ſunt Franci inuiis ſtrati paludibus: teſtes Germani & Alemani Rheni ſummoti littoribus. Quo apparet Francos illos priſcos ex paludoſis luſtris mæotidibus primũ orbi innotuiſſe. Indicio nobis erunt priſca illa Pharamundi vexilla, tribus inſignita bufonibus, lutoſo (vt ne dicam luteo) colore conſperſis, in area tamen rubricante conſtitutis: vt per hoc poſteritas intelligat viam ſibi ad obtinendas Gallias barbarico gladio aperuiſſe, quæ tum miteſcere cœpit, cum à tergo ranis relictis, liliatis cœlituſque delatis floruit inſignibus.

Fuit etiam (vt ne illud prætercam) Bonoſus educatione Hiſpanienſis, Gallica tamen matre procreatus: ſed origine Britãnus, adeò vini potens, vt quantumlibet bibiſſet, ſecurus ſemper conſiſteret & ſobrius, mentis & memoriæ compos. Hoc vno Britannus videri potuit, quòd (Aureliano teſte) non tam natus in hoc videretur vt viueret, quàm vt biberet: qui cum laqueo vitam finiſſet, palam ioco auditum eſt amphoram pendere, non hominem.

Bonoſum Carus ſequutus eſt, cuius iuſſu Carinus Gallis præfuit, non Numerianus, quòd maximè conſtãtem principem imperij Gallicani moles ardua requireret. Fuit hic (recenſente Eutropio) Galliæ Narbonenſis indigena: inter bonos malóſque principes medius, magis tamen accedens ad bonorum probitatem, quàm ad malorum infamiam, vno tamen Numeriano ſucceſſore obſcurior factus. Cuius mortẽ ſuccedente Diocletiano Dalmata obſcurè nato, nempe libertino patre, Druias ſaga mulier minimè vano (quod ex euentu conſtat) prædixit indicio. Debet itaque Diocletianus ſui inaugurationẽ imperij, Gallicæ genti: clarus alioqui futurus, ſi à ſanguine aduerſus religionem Chriſtianam ſibi temperaſſet. Ideóque eò deuentum eſt, vt ſibi ipſe veneno hauſto mortem conſciuerit: vana tamẽ vulgi opinione

nione donatus apotheoſi: non Chriſtianis tantũ, imò ſibi quoque ipſi ſæuus ac ſanguinarius. Id q̃ abhorreat à diuinitatis opinione, nemo non videt, niſi qui caret ſenſu cõmuni. De Diocletiani in Imperatorem imminẽte aſſumptione, ita Vopiſcus: Cum Diocletianus apud Tungros in Gallia quadã in caupona moraretur in minoribus adhuc militãs locis, & cum Druide quadã muliere rationẽ cõuictus ſui quotidiani faceret, atque illa diceret: Diocletiane, nimium auarus, nimiũ parcus es: ioco non ſerio Diocletianus reſpõdiſſe fertur: Tũc ero largus, cum imperator fuero. Poſt quod verbũ Druias dixiſſe fertur: Diocletiane, iocari noli: nam imperator eris, cum Aprũ occideris. Sẽper exinde Diocletianus habuit in animo imperij cupiditatẽ, idque Maximiano conſcio, atque auo meo, cui hoc dictũ à Druide ipſe retulerat. Denique vt erat altùs, riſit, & tacuit: apros tamẽ in venationibus, vbi fuit facultas, manu ſua ſemper occidit. Denique cum Aurelianus imperiũ accepiſſet, cum Probus, cum Tacitus, cum ipſe Carus, Diocletianus dixit: Ego ſemper apros occido, ſed alter ſemper vtitur pulpamento. Iam illud notum eſt atque vulgatum, quòd cum occidiſſet Aprũ præfectũ præt. dixiſſe fertur: Tandẽ Aprũ fatalẽ occidi. Ipſum Diocletianũ idem auus meus dixiſſe dicebat, nullam aliam fuiſſe ſibi cauſam occidẽdi manu ſua Aprum, niſi vt impleret Druidis dictum, & ſuum firmaret imperium. Non enim tam crudelem ſe innoteſcere cuperet primis maximè diebus imperii, niſi illum neceſsitas ad hanc atrocitatem occiſionis attraheret. Mihi ſanè minus bene (vt ne illud omittã) de Chriſtiana pietate mereri videntur authores, qui cum Chriſtianæ profeſsioni nomẽ dederint, geminas religionis faces ſæuiſsimas quidem eas ac peſtilentiſsimas, Decium inquam ac Diocletianum, tantopere commẽdant, vt propriæ conditionis propè obliti videãtur, & in his præcipuè Pomponius Lætus in Decij partes adeò propenſus, vt orthodoxæ religionis indolem in Philippis duobus Cæſaribus ſuccreſcentem ac penè adultam, nullo authore, ſimulationis fuco obſcurare contenderit: cum tamẽ conſtet Pontiũ diui Cypriani præceptorem hos duos Philippos imperatores ſua prædicatione & induſtria ad Chriſtianæ pietatis iugum pertraxiſſe. Vanũ igitur fuerit Põponii Læti commẽtum, quo perſuadere nititur Philippos in odiũ Decii ſimulatè quidem potius quàm verè religioni noſtræ nomẽ dediſſe. Illud contrà ſatis conſtat, Deciũ in odiũ Philipporũ Chriſtianæ religioni ſeſe infenſiſsimum hoſtem præſtitiſſe. Fuit enim acerrimus Chriſtianorũ perſecutor, ac ſeptimæ in Chriſtianos pſecutionis atrociſsimus ſæuiſsimúſque anteſignanus. Qui digna factis recipiens, in mediis paludibus ita abſorptus legitur, vt diu ac multũ inueſtigatum cadauer à nemine prorſus inueniri potuerit: vnus inquam ex eorum numero, de quibus ſcriptũ eſt: Deſcẽdant in infernũ viuẽtes. Quem mox ſequut⁹ eſt noſtræ religionis fax altera, de quo ad præſens agitur Diocletianus, decimæ author pſecutionis, qua vix vlla aut immanior aut diuturnior memoratur, ad ſolidũ protracta decẽniũ. Quæ euſq; in turbinis morẽ peruagata eſt, vt intra diẽ vix trigeſimũ toto paſsim orbe Chriſtiano 20. hominũ M. fidei tuendæ gratia, acerbiſsimis tormentorũ generibus animas cœlo dederint. Quid? quòd cruenta illa beſtia, Deciũ intelligo, nec ꝓpriæ quidẽ filiæ pepcit nomine Cyrillæ, quã nulli culpæ obnoxiã, iugulãdã tradidit, idque partim Chriſtianæ religionis, partim nimio Philippi ex ꝓfeſſo Chriſtiani odio. Faceſſat itaq; hæc vox nullo aſſerta teſtimonio, quòd Philippus punica fraude deterior, vt ſua tegeret ſcelera, Chriſtiani cultũ numinis ſimulauerit: Pſal. 54.

quin potius Philipporum cauſam illuſtriorẽ reddunt diuini attributi honores, in hunc modum: Moſitheo parenti principum, tutori Reipublicæ, S. P. Q. R. Contrà verò Decius paludum abſorptus voragine, nec quadrigis honoratus nec titulis, more ſeuiſſimæ beſtiæ interiit. Strenue, vt ſi quis ante eum alius, viriliterque ac prudenter, cum adhuc in minoribus ageret, & ſub Diocletiani ſignis militaret, Gallias tutatus eſt Conſtantinus: qui magni poſtmodum cognomẽto honeſtatus, magnificis auctus titulis dictus eſt Marcus Flauius Valerius Conſtãtinus maximus, pius, fœlix, ſemper Auguſtus, Conſtantii pii filius. Sunt tamen quibus videri poſſit non tam Conſtantinum filium quàm Conſtãtium patrem huius apud Lingonas victoriæ fuiſſe auctorem: & ob eam cauſam nõ amabilis modò Gallis, verumetiam venerabilis fuit, ob id etiam potiſſimũ, quòd & ſuſpectã Diocletiani aſtutiam improbámque iactantiam, qua vnus poſt Caligulam oſcula pedum à ſubditis exigebat, & Maximiliani ſanguinariã temeritatem eius ductu & auſpiciis euaſiſſent. Vtcunque ſit, vterque ſeu filius Conſtantinus, ſeu etiã pater, incredibili dexteritate rem Gallicã fouit & auxit. Qui vno penè temporis momẽto, à Germanis apud Lingonas obſeſſus, è victo victor euaſit. Clàm enim, dum obſideretur, muro delapſus, properantem ad ſe exercitũ auxiliarẽ collegit: cuius præſentia fretus, Germanos eueſtigio ingenti ſtrage proſtrauit, adeò vt vix ſupereſſet qui acceptæ cladis nuntium referret. Fuit nihilominus Conſtantinus, vt ſi quis alius, pietate inſignis & armis. Sub eo enim primũ Chriſtiani dogmatis vbique terrarum vexilla libere eruperũt, & crux aërias decorauit purpura turres: niſi quòd varius in reipu. politico regimine à nonnullis reputatus eſt, ſibique per tres annorũ decades diſſimilis. decade prima princeps clariſſimus, & inuictiſſim⁹ habitus eſt: altera, latro: nouiſſima verò, prodigus ac profuſus. Qui vt nouã Romam exornaret, omnes penè vrbes ſuis nudaſſe creditur excellẽtioribus monumẽtis. Fuit tamẽ, quod omnibus in confeſſo eſt, quódque cætera vitia obliterat, Chriſtianæ pietatis inſtaurator magnificẽtiſſimus. Opera nõ diſsimili vſus Maximianus, ſubortos in Gallia tumultus quos Amandus & Ælianus affectatæ tyrãnidis conſcii excitarãt, mira celeritate compreſsit, diſsipata tota Bulgaridarũ factione, quo nomine ruſtica turba appellabatur. Pax itaque Galliis reſtituta eſt.

Conſtantini filius Conſtãtius appellatus, Maxentiũ Gallias infeſtantẽ, cum Lugduni ageret, mira celeritate compeſcint. fratrẽ quoque Senonis agentẽ, Siluanúmque in Gallia res nouas molientẽ, ante diem trigeſimũ interemit. Fuerũt etiã Galliæ reſtitutæ à Iuliano Cæſare, cum imperium dubia iam calamitate nutaret. Ab eo enim apud Argentoratũ Galliæ vrbẽ, id aſſerente Eutropio, ingẽtes Alemanorũ copiæ deletæ ſunt, rege eorũ in vincula coniecto. Submoti vltra Rhenum Germani: ſuis finibus reſtitutũ imperiũ. Multos Lutetiæ aut mẽſes conſumpſit aut annos, gẽtis comitate delectatus: hoc vno infamis quòd rem Chriſtianã non armis ſolũ (quãuis tectè id & priuatim) verumetiã editis voluminib⁹, quãtũ anniti potuit, inſectatus eſt. Neque enim tam palam aut publicè Chriſtianos, ꝙ priuatim ac quodãmodo ex inſidiis adoriebatur. Qui cum in Chriſtianæ pietatis legem nomẽ dediſſet, nõ deſertor tantũ, verũ etiã hoſtis effectus eſt. Nã & Valẽtinianũ ſcutariorũ tribunũ è ſuo gradu depulit, quòd idolis immolare renueret. Non multo pòſt tamẽ ablato è viuis Iuliano, pro tribunatu amiſſo, in perſecutoris locũ Romanũ recepit imperiũ. Fœlix iactura, quæ ingenti fœnore compenſata eſt. At is eſt Valentinianus, cuius in

hæc verba meminit Paulus Diaconus: Valentinianus(inquit) Saxones gentem in Oceani littoribus & paludibus inuiis ſitam,virtute atque agilitate terribilem, in Romanos fines eruptionem meditātem, in Francorum finibus oppreſsit. Burgundionum quoque plus quàm 50. millia armatorum ripæ Rheni fluminis inſederant: qui tamē non multo pòſt tempore Chriſtiani effecti ſunt.

A prima ſtatim huius Valētiniani ætate,præcipiti admodum caſu pronoque ad oculum deſcenſu inclinare cœpit Romani moles imperij, ſumma rerum partita in Orientalem Occiduamque præfecturas. Qui vero præerat Occidenti,ſibi ſi quem deligebat futurum ſucceſſorē,is Gallis ſtatim cum imperio præficiebatur. Erat itaque Gallia,Occidentalis imperij veluti columna mediaſtina, præcipuumque fulcimentum. Teſtis huius rei vnus inſtar omnium nobis erit Paulus Diaconus in Valētinianis, Gordiano & reliquis vſque ad Arcadium & Honorium:ſub quibus Gotthica rabie ſæuiente & Hunnica, Vrbe vſque ad vaſtitatem deleta, Romanum funditus corruit imperium, ita vt meritò tum demum dici potuerit: Fuit Ilium, & ingens gloria Dardanidûm, aut vt propius accedam, Romulidûm.

Quod ad rem Gallicam attinet,ſic habet Paulus in Gratiano:Igitur Gratianus admodum iuuenis,cum inæſtimabilem multitudinem hoſtium Romanis infuſam finibus cerneret, fretus Chriſti potentia, longè impari militum numero ſeſe in hoſtem dedit: & cōtinuò apud Argentariam oppidum Galliarum, formidoloſiſſimum bellum incredibili fœlicitate confecit.Nam plus quàm x x x.milia Alemanorum, minimo Romanorum detrimento in prælio interfecta narrātur. Atque id ei recta fidei cultura tribuit.Nam cum vſque ad id tempus Italia Arianæ perfidiæ morbo langueret, poſt Auxentij feram mortem, cum Ambroſius ex pagano iudice ſubitò apud Mediolanum diuino ſnutu epiſcopus fuiſſet ex cunctis electus, moxque catholico baptiſmate tinctus,præſul eſſet ordinatus,& pro fide catholica libros Gratiano imperatori porrexiſſet, ac reuerentia qua debuerat ſuſceptus eſſet, vniuerſa ſtatim ad rectam fidē Italia repullulauit. Eo tempore in Galliis apud Turonos multis beatiſſimus Martinus florebat virtutibus:totoque orbe doctrinis & ſcientia clarus, apud Bethleem ciuitatem Palæſtinæ ſitus radiabat Hieronymus.

Idem de Valentiniano iuniore ſic ait:

Valentinianus iunior cum in Gallias tranſiſſet, ibique trāquillè rempublicam ageret, apud Viennam dolo Arbogaſtis comitis ſui ſtrangulatus: atque vt voluntariam ſibi conſciuiſſe mortem putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt.

Quo extincto Arbogaſtes tyrannum creauit Eugenium, eligens hominē,cui titulū imperatoris imponeret, ipſe acturus imperiū. Vir barbarus, animo,cōſilio,manu, audacia, potētiáque nimius,cōtraxit vndique innumeras inuictáſque copias, vel Romanorū præſidiis, vel auxiliis Barbarorū:aliis poteſtate, aliis cognatione ſubnixus. Deniq; extabat genere Francus, cultórque ſordidiſſimus idolorum. Vides vt hic criſtas cœperint erigere Franci,nō multò pòſt Gallis imperaturi.

Qualem autem ſeſe Gallis præſtiterit Honorius: ex eodem Paulo his verbis facilè colligitur: Interea (inquit ille) Alaricus Italiam ingreſſus, cum ab Honorio ſedem, in qua cum ſuo exercitu conſiſtere poſſet, expeteret, Honorius deliberato conſilio ei Gallias conceſsit: qui dum ad Gallias pergens, ob recuperationem iumentorum apud Pollentiam aliquantulum reſediſſet, Stilico comes in perniciem rei-

pub. Gotthos pertétans, dum eos inſidiis aggredi cuperet, belli ſummam Saulo pagano duci commiſit: qui ipſo ſacrariſsimo die Paſchæ, Gotthis nil tale ſuſpicantibus, ſuper eos itruit, magnámque eorum partem proſtrauit. Et inde ſequuta eſt tantæ perfidiæ pœna comes, dum relicta quam ſpe deuorabant Gallia, Gotthi conceptum iter animo, deſerentes, in vltionem acceptæ præſentis iniuriæ Romá contendunt, obuia quæque igni ferroque vaſtantes. Incidit hæc vrbis vaſtitas, triduana tantum, in annum à ſuo natali 1163. à parta autem ſalute 412. Verùm non ita multo pòſt ſub Athaulpo Alarici ſucceſſore Romam reuerſi Gotthi, prioris ſtragis reliquias more locuſtarum corrodunt. Quam cladem vrbi communem & orbi, Stiliconis dolo & perfidia ſequuta eſt barbarorum omne gens colluuies, nihil in toto orbe Romano intactum relinquentium. Ii fuere Gotthi, Alani, Sucui, Hunni, Vandali, & Vandalorum ſoboles Burgundiones: Quæ omnia ex Stiliconis technis prodierunt, origine Vandali: qui vt vnum ex ſe prodeuntem puerulum purpuram indueret, totius humani generis ſanguinem fudit. Quin & flumina ipſa, quibus flamma pepercerat, huius tantæ ruinæ perniciem minimè euaſerunt. ruptis enim & clauſtris & aggeribus, ne prioris quidem fluxus minimũ poſteritati veſtigium reliquerunt. Meminit huius Stiliconis, Blondi epitomatarius Æneas Siluius, ad hunc modum: Stilico genere Vandalus duas Honorij filias in matrimonium accepit. Cum prima obiiſſet intacta, impietatem ſuam magnis ſimulationibus texit, Eucherio filio ſuo imperium parans: quod non prius attentare auſus eſt, quàm imperatores maximis calamitatibus inuoluiſſet. Ob quam rem Sueuorum, Burgundorum, Alanorum & Vandalorum immanes gentes ad inuadendas Gallias inuitauit: & Viſogotthis vlterius ſtipẽdia dari diſſuaſit, ſperans Viſogotthos deſperatione coactos in Italiam proficiſci, & ſe ducem aduerſus eos decerni, qui copiis ingentibus inſtructus facilè imperium obtineret. Anno itaque ſeptimo & quadringenteſimo Chriſtianæ ſalutis Stilico & Aurelianus conſules creati ſunt.

Quid non mortalia pectora cogit regnandi cæca libido? quæ ſic coruum deludit hiantem, vt ipſum authorem ſpe ſua deluſum ſæpe perdat incautum ac perimat. Nam fraudis à Stilicone intentatæ conſcius Honorius, ad extrema quæque paratum militem miſit, qui pro impetrato ab imperatore auxilio, Stiliconem & Eucheriũ læſæ reos maieſtatis vno eodémque momento digna mercede perderet. Gotthi interim Stiliconis perfidiam vlturi, omiſſa Galliarum cura, vrbis ruinam pro ſcopo habent: Romam obſident: obſeſſam, nec vllo defenſam exercitu, nullo penè negotio occupãt. Qua de re ita Æneas Siluius: Quo tempore Hieronymus apud Bethleem floruit, capta eſt vrbs quæ totum cepit orbem: ſed fame periit antequam gladio. Et vt Hieronymus ad Principiã ſcribit, vix pauci qui caperentur inuenti ſunt. Ad nepharios cibos irrupit eſurientium rabies, & ſua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactẽti infantiæ, & recipit vtero quem paulo ante effuderat. Id factum eſt calendis aprilis: túncque primum Roma rerum domina eſſe deſiit. Annus tunc vrbis ſexageſimus quartus & centeſimus ſupra milleſimum numerabatur: qui ſalutis Chriſtianæ duodecimus & quadringenteſimus fuit. Prohibuit Alaricus ne fugientes ad baſilicas Petri & Pauli læderentur: iuſsítque à cædibus & ſanguine temperari.

Tum igitur primum, nullo adiuta Gallia patrono, collapſo Romanorum imperio, aut ſaltem adhuc palpitante ac tantum vacillante,

præſentémque minante ruinam,reliquæ nationes fracto iugo ſuæ indemnitati pro viribus cõſulentes, libertatem ſibi aſſerere cœperunt. Iam enim deerat qui eos ab iniuria tueretur, foris ſæuientibus barbaris, intus vero rem Romanam medullitus exhaurientibus tyrannis. Vandalis Betica ceſsit, quæ & Vandaluſiæ nomẽ ad multa tempora retinuit. Alani & Sueui Galitiam occuparunt, ſolis Cantabris & Aſturibus in fide Romanorum permanentibus. Toloſates, & Occitanos, conniuente Honorino, Vallia Gotthorum rex ſuæ ditioni addixit. Ea regio poſtmodum Vaſconia dicta eſt: aliàs Occidentalis Gotthia: à Cattis & Alanis, aliàs verò Gotthis dicta eſt Catalonia. Aetius Galliarum vrbibus præfectus, quas neque Viſigotthus, neque Burgundio occupaſſent, Turonios, Andegauos, Cenomanos, Nanetes ac Venetos Britones, qui & Cyautes dicti ſunt, in fidem ſuam ſub Romanorum nomine recepit.

Inter hos omni parte variantes motus, obrepere cœperunt Frãci, qui prius ab Aetio ex Galliis in patriam Franconiam repulſi fuerant. Ii tamẽ inſpecta Galliarũ clade, colliſis rei Romanę colũnis, Clonone Neroneoq; ducibus reſumptis animis in Senonũ ꝓuinciã irrũpẽres, ſedem apud Aurelianos Pariſióſque ſibi perennem delegerunt.

Oborta eſt demum tempeſtas Hunnica, Hunnorum rege Attila authore, qui ſe flagellum Dei & eſſe & dici gloriabatur. Hic terrori omnibus eſſe cœpit, adeò vt cogerẽtur Aetius & gens Gotthica vnà cum Francis Merouco duce, Saxonibus, Lambronibꝰ ac Lutetianis, aduerſus Hunnicam rabiem fœdus inter ſe percutere. Inuaſerat Attila Rhemos: vrbem captam ſanguine fœdauit, nec ſexui nec ætati parcens, nec ordini. Nam diuum Nicaſium vrbis illius præſulem immaniſsimè obtruncauit, ita tamen, vt trunci capitis lingua à Dei laudibus non ceſſaret. Reſtabant Aureliani, (quorum prædæ totus inhiabat Attila) iam obſeſsi, niſi obuiam itum fuiſſet ab Aetio: qui Attilam relicta obſidione in Catalonicos campos Toloſatiũ finibus concluſos deſcendere coëgit. Eo prælio cecidit Theodoricus Gotthus: Hunni tamen terga dare compulſi ſunt. Ea clade ceciderũt centum & ſexaginta quinque hominum millia. Catalonici verò agri area (Paulo Diacono authore) patet in longum ad leucas centũ, in latum verò ſeptuaginta. Sed & hodie etiam appellatur locus ille Hunnorũ campus, à fuſo fugatoque Attila, tantúmque non interempto. Hæc omnia prius acciderunt vſque ad annum poſt Romam captam quartum ac quadrageſimum, intra quod tempus (vt Siluius ait) Germania, Dacia, Sarmatia, Hiſpania, Aquitania, Vaſconia, Heduenſiúmque & Veſuntiorum Gallia, iugo Romano excuſſo amiſſa eſt, & Pariſiorum terra priſcæ libertati reddita.

Ventum eſt ad annum ab vrbe capta per Gotthos 63. quo Auguſtuli non ſine omine ſiniſtro ita appellati (veluti per tranſennam imperantis) nomẽ auditum eſt. Qui tandem imperii cedens inſignibus, quæ ad annum & menſes duos geſtauerat, purpuram ac diadema depoſuit, anno poſt Octauii Auguſti glorioſum nomen adeptum quingenteſimo decimoſeptimo. Rei itaque Romanæ gloria, vis & potentia, vnà cum ſolo quod reſtabat nomine extincta eſt. Et hæc fuit Romanæ ditionis extrema periodus: ita vt qui Galli prius dicebantur: Romanenſes, Galloſranci, aut Francogallici & dicerentur & eſſent: eorum poſteritas, Francigenarum natio appellata. Et hic finem habet Gallicæ nationis ætas media, poſt priſcam altera. Et de hac perioche hactenus.

ALIA PERIOCHE NVMERO DECIMA.

COLLAPSO penitúſque diſcerpto Romanæ ditionis imperio, tumultuantibúſque in Galliis hinc Viſigotthis, inde verò Burgundionibus: irruente deſuper Hũnica rabie ſub Attilæ ſignis, rem tamen Romanam quoad fieri poterat defendente Aëtio, Francorum genus Chriſtus erigere cœpit: quod tranſcenſo flumine Rheno, Galliæ Belgicæ tota virium mole incubuit, in ſuam ditionem redactis Colonienſibus, Mogontinis, Treuirenſibúſque, ac Tornacis. Quibus in ordinem redactis, Senonenſi Galliæ inhiare cœpit, non tam domitis ſubactiſve Lutetianis quàm percuſſo fœdere iunctis, quibus volentibus & ſcientibus ſedes primaria totius Francorum regni & imperij deſignata eſt. Proferam in eam rem ineluctabile epitomatarij Æneæ Siluij teſtimonium, ne quis forſan refragari poſsit.

Aëtius (inquit ille) & Theodoricus fœdere iuncti ſunt: in quod fœdus Burgundiones Franci, quorum rex erat Merouєus: (à quo ſcilicet Merouingi dicti ſunt) & Saxones Riparioli, nempe ad ripam Oceani conſtituti, Lambrones & Sarmatæ, inſuper & Lutetiani, Hunnorum metu recepti ſunt. De Ripariolis autem coniectura eſt hos eſſe, qui in conſtitutionibus Caroli magni Riprũ ſeu Ripuarienſes dicti ſunt: hi nimirum, qui ſunt accolæ Rheni, Moſæ, ac Moſellæ: quos nonnulli dixere Neuſtrios, Auſtraſios, atque etiam VVeſtrichios. Quod ad Lambrones attinet, ſuſpicor legendum eſſe Ambrones, qui hodie ſunt Ebroduni, vulgo Ambrun: quorum Metropolis cenſetur ſublimiſſima totius Galliæ, Narbona verò ſitu loci infima.

Nec multo pòſt ex eodem ſequitur: Quartus hic & quadrageſimus fuit poſt Romam captam annus: intra quod tempus Germania, Dacia, Sarmatia, Hiſpania, Aquitania, Heduenſiũ, Veſuntiorumque Gallia amiſſa eſt, & Pariſiorum terra, nec vltra recuperata, ſubaudi à Romanis. Gallia itaque Belgica in Francorum manus deuenit: vi tamen armorum Lutetianus ager, Galliæ Senonenſis metrum & menſura, ita ad Francos peruenit, vt Francus & Gallus mutuo conſenſu nullo diſcrimine haberentur, vt ſcilicet iidem dicerentur Galligenæ & Francigenæ: adeò vt nemo pro Frãcorum rege haberetur, niſi qui apud Pariſios obtineret principatum. Et hinc initiũ ſumpſit Gallorũ ætas nouiſſima, in tres tamen diſtincta gradus. Recens enim Merouingorum dicta eſt aduſque Carolũ magnũ. Recentior Carlingorũ: à Caroli magni ditione, vſque ad Hugonẽ Capetũ. Quem rectè appellaueris Capitonem. Tertia vero ab Hugonianis, ad hãc vſque ad quã Dei beneficio peruenimus Henrici ſecũdi fœliciter imperãtis ætatẽ prorogata. Is nimirũ eſt Hẽricus, qui deo propitio hodie cenſetur ex fœdere nuptiali illuſtriſſimi ſui ſanguinis Anglicanus, Scoticus, & ex dilatata nuper ditione Allobrox, ac Subalpinus princeps, quẽ Pedemontanum vocant, breuique futurus (quod fœlix, fauſtum, fortunatumque ſit) ſuperis bene fauentibus Galliæ totius Ciſrhenanæ princeps catholicus. Seruiuit itaque Gallia Romanis ad annos plus minúſve quingentos, ex Pauli Diaconi calculo: quem ad hunc modum ſubtexere libet: A Caio (inquit ille) Cæſare ad Auguſtulum numerantur anni 517. à Chriſto nato 475. Reſtant igitur à Caio Cæſare ad Chriſtianum natalem anni 42.

Rectius tamen ſubduceretur calculus hac ratione, à ſubacta Gallia per Iulium Cæſarem ad imperiũ Auguſti pacificum anni 20. Ab

Auguſti vero monarchia ad Chriſtianum natalem anni 30. ab hoc, ad Auguſtuli exhauſtum imperium, 450. paulo plus minúſve. 500.

Adeo ſibi non conſtát in annorum calculo hac in parte chronographi: vt vtrum alteri pręferre debeas, vix diſcernere poſsis. Certior tamen ratio iniri poſſe videtur, ſi mutuò conferantur anni Vrbis cum annis Chriſti, partim ex Paulo Diacono, partim vero ex Blondo hiſtorico. Docet Blondus vrbem Romam primùm a Gotthis euerſam ſub annum à ſuo natali.1164. vno plus minus anno. his ſi adieceris Auguſtalis diadematis ſub Auguſtulo defectionem annorum trium & ſexaginta, ſummatim prodibunt anni vrbis 1227. Cui numero è regione reſpondet annus à parta ſalute quadringenteſimus quintus ſupra ſeptuageſimum vno plus minus anno. Id planè teſtatur ſeries annorũ ex vtróq; collata abaco. Ad id nemo propius attigit, quàm Sigiberti Chronicum: quo authore ita digeritur annorum ſeries.

Pharamundus Regno Francorum inauguratur ſub annum Chriſti 419. ad annos 11. ſuccedente Clodione capillato ad annos 18.

Continuò ſubſequitur Meroueus ad annos 10. ſub quo cecidit Attila in campis Catalauniis: quibus alludit vox vulgata Challons en champaigne, ad differentiam Cabilonis in Burgundia ad littus Sagonæ, ſeu Araris, vulgo Challons en Bourgongne. Habes hic in vniuerſum numerum annorum Chriſti 458. vno tantum ſuperante anno ex annis Pharamundi vndecim, cum alii decem tantum tribuant Pharamundo, nonnulli vero ſeptem. Chronographia Gallica duobus tantũ annis hunc calculum ſuperat, Bochetus vno, Maſſæus quatuor.

Ex his annalibus calculis colligere promptum eſt Romano Gallos imperio vtcunque paruiſſe ad annos non amplius quingentos. Qua exacta periodo, Francogallica gens coëuntibus in vnum populum Francis & Gallis, præſertim Senonenſibus, fœdere inter ſe percuſſo, vti iam diximus, Paulo etiam Diacono authore, in ſua perpetua libertate permanſit. Ea gens ex quo tempore libera eſſe cœpit, nemini vel græco vel latino ſeruiuit vnquam: quin potius ipſa imperauit Romanis ſub Carolo magno imperatore in penitiſsima Ciſrhenana Gallia oriundo & orto, parentibus Auſtraſianis occidentalis Auſtrię, natus ipſe in Engelin Gallię Belgicæ Ciſrhenanæ oppido, in ędem olim palatinam erecto: Pipino patēte natu ac ditione Auſtraſiano, ſeu, vt nunc vocant, Lotaringo.

Succeſsit itaque Romanorum vaſtæ & nullo vnquam tempore reſtaurandæ ruinæ, Francogallorum æternum duratura gloria. Romæ autem exitium hoc caballiſtico carmine olim deſignatũ eſt. R R R. F F F. ex quibus elementis hæc demum ſententia elicitur:

Regna ruunt Romæ ferro, flammáque faméque.

Deficiente itaque Romanorum tutelari patrocinio, iure, & quidem iuſtiſsimo, ſuam ſibi quęque gens vendicauit libertatem. Inde enim factum eſt vt Hiſpani Romano iam deſtituti auxilio, ac deinde Britãni, Romanum, quiſquis eſt, non agnoſcant imperatorem. Galli verò, præſertim Senonenſes, percuſſo cum Francis fœdere (qui & ipſi nunquam non antea liberi fuerant) nihil ſubinde cum Romano imperio habuere commune, ſi imperandi parēdíve neceſſitatem attendas: niſi cum idem fuit imperator Romanorum & Francorum rex è gente Gallica procreatus, Carolus ſcilicet cognomento magnus, tantiſper videlicet dum Auguſtale imperium in Caroli ſobole permanſit, aduſque tempora Teuthonici Othonis. Tum enim vtraque gens, & Teuthonica & Gallica in ſua quæque ditione libera permanſit.

Vt autem inſtitutum ſequamur, nunquam antea Francorũ gens regio vſa eſt titulo, donec Pharamũdus Marcomiri ducis, priorúmque principum (qui non niſi duces dicebantur) auguſta & inclyta proles, regii ſtemmatis titulo potitus eſt, ad annos non amplius vndecim. Nondum tamen Gallias penetrauerat Pharamundus: verùm tum primum Gallia Francogallia dicta eſt, cum Pharamundi filius Clodio crinitus capillatúſve cognominatus, & qui eum mox ſequutus eſt Meroueus, rerum potiti ſunt, fuſo fugatóque Attila, fœderis & impollutæ religionis hoſte infenſiſsimo, humani generis, fidei & naturæ inſectatore peſtilentiſsimo. Tum florere cœpit criſtáſque in ſublime erigere Francogallica gens, cunctis ſuper æthera nota.

Proximè ſequens eſt, regni huius Francogallici à primis cunabulis proceres ſuis depingere coloribus. Pharamundus itaq; primus omnium Galliæ occidentalis Rex acclamatus eſt, excuſſo orientalis Frãciæ ducali titulo, qui in hunc vſque diem perſeuerat apud Francones Francofordienſes, gentéſque illis conterminas: vt nuſquam ſuperſit regius titulus niſi apud gentem Francogallicam. Ex eo tempore dicta eſt Gallia fœlix regibus, legibus, & frugibus. Frugum enim dulcedine ſolíque ac cœli Gallici amœnitate atque vbertate allecta Francorum gens plurimum ſudauit & alſit vt rerum in Gallia potiretur: nec vnquam laborando deſtitit, vſque dum fine potiretur optato. Quantum autem Francia iſta occidentalis orientalem fœlicitate ſuperet, notius eſt ipſo etiam Germanorum teſtimonio, quàm vt vlla probatione indigeat. Scribit enim Villanouanus Ptolemæi elucidator, quæ mox ſequuntur ad verbum: Vulgo dicũt: producit Hungaria boues, Bauaria ſues, Frãconia cepas, rapas, & glycyrrhiſam, Sueuia meretrices, Bohemia hæreticos, Bauaria iterum fures, Heluetia carnifices bubſequas, Vveſtphalia fallaces, tota deniq; Germania ac totus Septentrio gulones & potatores.

Quibus recens huius ætatis chronographus Munſterus Chriſtianus ſe in eandem ſubſcripſit ſententiam. Quoniam, inquit, bonis mala commixta ſemper ſunt, & nulla ex omni parte perfecta, ſunt Sueui in Venerem multum proni, fœmineus ſexus virili ad malum facilè cõſentiens. Vnde prouerbium ortum, vnam Sueuiam latæ Germaniæ ſatis meretricum transfundere: quemadmodum Franconiam copiã dare raptorum, & mendicantium, Bauariam furum, Heluetiã carnificum & lenonum, Saxoniam potatorum, Friſiam atque Vveſtphaliam periurorum, Rhenum gulonum.

Vt iam nemini incredibile videatur aut iniurioſum, quod multis antea ſeculis Tacitus memoriæ commẽdauit, Germaniam fuiſſe ſyluis horridam, paludibus infœcundam, frugiferarúmque arborum & omnis culturæ impatientem, eam præſertim quam Rhenus & Danubius intercludunt. Complectebatur illa Sueuiam fere totã, Bauariámque, Franconiam, & Hercyniam ſyluam.

Vt ergo hinc me expediam ad alia properans, nolim ſilentio præterire Munſteri in tabula Franconiæ planam eius deſcriptionem.

Franconia (inquit) hæc & Francia orientalis appellatur. habet id nominis à Franco Sicambrorũ duce, à quo Galliæ quædam pars Frãcia nuncupata putatur. Cum enim circa annum Chriſti 326. implacabile diſsidium eſſet natum inter Turingos & Sueuos, vocatus à Turingis Genebaldus dux Francorum, eorum ſcilicet qui tũc iuxta oſtia Rheni habitabant, vt ipſis contra Sueuos auxilium ferret, venit cum magna Francorum multitudine, datúſq; eſt eis locus inter Turingos

& Sueuos murus ſolidiſsimus, qui hos ab illis dirimeret. ſuſtulerúntque diſsidium. Duci Genebaldo ſucceſsit Dagobertus, & tertius aut quartus ab illo fuit Goſbertus: ſub quo ſanctus Kilianus conuertit Francones ad fidem Chriſti. Vltimus dux fuit Hectanus, in cuius defuncti locum Pipinus rex ſubſtituit ſanctum Burchardum epiſcopum Herbipolenſem, eidem & omnibus eius ſucceſſoribus tradens ducatum Franconiæ, anno ſcilicet ſalutis 752. qui & in hunc vſque diem ducatui & epiſcopatui præſunt. Et paucis interiectis ſequitur: Habet Franconia duas ciuitates epiſcopales, Herbipolim, quæ & Parthenopolis, & Marcopolis, & vulgo VVirtzpurgum vocatur: & eam quam vulgo Bambergam appellant. Herbipolenſis epiſcopus dux eſt Franconiæ, non totius, ſed maioris partis, cum & Epiſcopus Bambergenſis magnam habeat ditionem in ea, præſertim in Vvitlandia, & ſimiliter Marchio Brandemburgenſis. In Bambergenſi agro creſcit mellea illa radix quam glycyrrhiſam vocant, effoditúrque in tanta copia, vt ingentes currus ea onerati in diuerſas abducantur regiones. In confinio Fräconiæ eſt ſita celeberrima Nuremberga: vrbs in arenoſo ſolo, vnde nihil ferè commoditatis haberi poteſt, niſi terra ipſa multo labore maceretur, paſtinetur & ſtercoretur. Hinc eſt quòd huius vrbis ciues omnes exercent artificia, aut negociis intendunt, & diuitias quas ex ſterili terra eruere nequeunt, ex variis ingenioſiſque artificiis multo fœlicius conquirunt.

Vt autem ad rem redeam, habet Fräconia fluulos treis, Nabum, Salam, & Egrã. A Sala Salingi dicti ſunt, vnde etiam (vt diximus) prodiit legis nomenclatura Salicę, magno ſcriptorum conſenſu.

Porro tanti apud Francos fuit Salæ fluminis nomen & memoria, vt ſibiipſis Salingorum cognomentum indiderint, ad multa ſubinde tempora duraturum. Id ne quis efſictum putet, Claudianum audiat, inſuper & Marcellinum, probos in ea re teſtes, & omni inficiatione ſuperiores.

Vt (inquit ille) Salius ſua rura colat, flexoſque Sicambri
In falcem curuent gladios: geminaſque viator
Cum videat ripas, quæ ſit Romana requirat:
Vt iam trans fluuium non indignante Cayco,
Paſcat Belga pecus: mediumque ingreſſa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Quo fit, vt eodem nomine cenſeantur Sicamber, Francus, & Salius. Salius dico, non Sueuus, vt probè Rhenanus animaduertit. Id etiam probatur Ammiano in Iuliano Cæſare: Petit (ait ille) primos omnium Francos, quos conſuetudo Salios appellauit: auſos olim apud Toxiãdriam (id erat in Tungris oppidum Moſæ flumini adiacens) habitacula ſibi figere prælicenter. Franci igitur à Sala fluuio Salingorum cognomentum magna cum voluptate audiebant. Hinc ad Mæni ripam ora maritima faſtidita, Salingoſtadium oppidum erexerunt. Sub Fräcorum autem nomine abſorptos lego modo Gaudos, modo Anſuarios ſeu Anſibarios: quibus etiam Tenteros adiungere licebit.

Nec ea re contenti, legi etiam recens à ſuis proceribus conditę, ab eo vocabulo Sala, Salicę appellationem impoſuerunt, qua potiſsimũ cauetur ne Gallicæ terrę hæreditas ad muliebrẽ ſexum veniat, ſed ad virilem maſculũve hæredem tota perueniat. Hinc ſequutũ eſt, vt imperii Gallofranci faſces aliquando à fratre ad fratrẽ, nonnunquam à nepote ad patruum, aliquoties etiã in quartum quintũve gradum per deuolutionem perueniãt. Poſuit, inquit Munſterus Galliã deſcribens

legémque conſtituit rex Pharamundus, quam Salicam vocant, ne regni ſucceſsio in colum tranſeat: hoc eſt, ne mulieres regni hæredes fieri permittantur. Cui alludit illud Euangelicum: Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, parturiendo: neque nent, penſa trahendo: vti infirmo illi ſexui peculiare eſt. Quo fit, vt nec Salomon in tota gloria ſua veſtitus fuerit ſicut vnum ex his. Nam muliebre, gens illa Iudaica nonnunquã, ſeu æquum, ſeu iniquum, volens nolens ſuſtinuit imperium: id quod in Athalia, inque Machabæorum ſobole experimento compertum eſt.

Math. 6.

1. Reg. 8 & 2. Paralipo. 22.

Qua in re habet vnde ſibi gratulari poſsit regnum illud auguſtiſsimum gentis Francogallicæ, quòd dei ſingulari beneficio regnum ſacerdotale præ cæteris regnis merito appelletur. Hoc enim habet cum ſacerdotio commune, vt quemadmodum ſacerdotium tranſuolare non poſsit in fœminam, ita nec monarchicũ Salicæ monarchiæ imperium. Quid igitur reſtat niſi vt gratiæ à deo acceptæ memores, in hæc verba prorumpant: Dignus es domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniã occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu, lingua, populo & natione. quos ſcilicet Chriſtianiſsimi regni titulo illuſtrare dignatus es. Quin feciſti etiam nos reges & ſacerdores, & regnabimus ſuper terram: hac ſcilicet ſacerdotali dote locupletati. Nihil ergo vetat quo minus dici poſsit gẽs illa, gens ſancta, regale ſacerdotium, ſeu (ſi mauis) ſacerdotale regnum, populus acquiſitionis, ob religionem poſtea quàm ſemel quæſita eſt, nũquam intermiſſam, verùm fœliciter ac proſperè ſemper adauctam. Sola (inquit Hieronymus) Gallia monſtris caruit, quibus reliquæ penè nationes plus ſatis abundarunt.

Apoca. 5.

Vt autem legis Salicæ rationem proſequamur, aliud quidem ſentire viſus eſt de ratione vocabuli Munſterus Chronographus, qui in dictione Sala ſic ait ad verbum (vnde id hauſerit, ipſe viderit: ſuũ cuique integrum maneat iudicium, nec enim ſuper hoc cum quoquam contendere velim.) Sala fluuius oritur apud vicũ Salam in Comitum terra vulgo dicta. apud Gemundam oppidũ ſe Mæno immiſcet. Franci Salici dicti ſunt, qui prope vtrámque Salæ ripam habitarunt.

Verùm leges Salicæ non ab iſto fluuio, ſed à Sala dictione franca, quæ palatium Latinè ſignificat ſiue aulã, nomen habent. vne ſalle gallicé. Salica igitur diceretur lex, quaſi aulica ſeu palatina. Illic enim erat quartumuiralis ſenatus, qui hodie apud nos euaſit in centumuiralem, qui iuxta legis Salicæ edicta lites occurrentes dirimeret. Sed de hoc poſtea.

Non defuere qui dicerent inde prodiiſſe legis Salicæ nomenclaturam, nouello quodam inuento, plus tamen vanitatis habente quàm veritatis: quòd ſæpius in codice illo repetantur hæc verba: Si aliquis, aut ſi aliqua. ac proinde colliſione literæ vnius nomen cõuenerit lex Salica, annuente voce populari. Quo minus autẽ id dici debeat, illud in cauſa eſt, quòd ea ipſa ratione leges Riboariorum Auguſtales ſub Carolo Theodorico Lotharióque editæ, id nominis obtinerẽt, quãdò illic ſæpius omni numero repetitur capitulare hoc vocabulum, Si aliquis, aut ſi aliqua. At nunquam fando auditum eſt, quòd Carolinæ illæ leges, legis Salicæ nomen obtinerent: quanto minus nomen inde traheret terra quam dixere Salicam?

Paulo altius aſſurgunt & commodius, qui legis etymõ Salicæ non tam ex medulla vocis quàm ex vocabuli cortice à ſale per alluſionẽ quandam deducunt, vt hinc legem Salicam dictã velint, quaſi ſit per-

petuò conſtans,inuiolabilis,incorruptibiliſque, in omne tempus duratura. Sal enim in voluminibus ſacris teſſera eſt incorruptionis ac perpetuæ durationis: adde etiam & ſapientiæ & diſcretionis, vti diſertis verbis Numer. 18.& Leuitici 2. expreſſum habetur. Numerorum 4.Omnes primitias ſanctuarii, quas offerunt filij Iſraël deo, tibi dedi & filiis tuis iure perpetuo:pactum ſalis eſt ſempiternum coram domino tibi & filiis tuis. Et in Leuitico:Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies: nec auferes ſal fœderis dei tui de ſacrificio tuo.in omni oblatione offeres ſal.Item 2.Paralipome.13.Non ignoratis quòd dominus deus Iſrael dederit regnum Dauid ſuper Iſrael in ſempiternũ ipſi & filiis eius in pactũ ſalis. Ex his apparet manifeſte ſalem incorruptionis ſymbolum habere. De diſcretionis autem teſſera, Sermo veſter (ait Paulus) ſit ſale conditus. Et apud Marcum Omnis victima ſale ſalietur. bonum eſt ſal. quod ſi inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Vt vel ſic intelligas legem Salicam ſale diſcretionis ac multæ rationis condimẽto conſperſam, perpetuò in ſuo vigore permanſurã. Ea autem inter cætera ſic habet Titulo de Allodiis ſexageſimoſecundo,cap.1.Nulla portio hæreditatis de terra Salica mulieri veniat, ſed ad virilem ſexum tota hæreditas perueniat.

Cap.2. *Coloſſ.4.* *Marci.9.*

Porrò terram Salicam vocant, quæ monarchico Francorum ſceptro indiuulſe adhæret. Quam conditionem ſequuntur Bituriges & Aurelianenſes, atque etiam Burgundionum ducatus. Qua ratione Francorum Monarchia ſtabilitur: quæ cum nõ recognoſcat ſuperiorem,potuit ſuo iure legem hanc in perpetuum duraturam condere, & conditam euulgare.

Huius rei ſi ad viuum ratio exigatur, ex vi ipſa vocabuli facilè deprehendes non poſſe conſiſtere monarchiam, rerúmve ſupremũ dominiũ,niſi in ſexu virili, vt ſit ſceptrũ illud monarchicum Guerman, hoc eſt prorſus virile, nil habens muliebre admixtum. Iure enim diuino,non vno loco cõſtat ipſa etiam natura duce mulierem viro eſſe ſubditam.Sub viri poteſtate eris, ait ad mulierem dominus, non tam perſonam,quàm ſexum deſignans. Et ex Paulo: Caput mulieris,vir. Iam quî fieri poterit,vt mulier ſi monarchice imperet,non habeat ſupremam in virum poteſtatem? Si vir imperet:non erit monarcha mulier.Contrà verò ſi mulier ſummum penes ſe dominium retineat,iam non erit vir imperator, vt qui ſubſit fœminæ legibus. Non enim poſſunt duo eſſe eiuſdem rei ex æquo domini quilibet in ſolidum.

Coloſſ.3. *Gene.3.* *1.Corin.11.*

Hæc igitur inter ſe pugnãt,eſſe ſummum monarcham, & eſſe fœminam.Qui igitur in ea re dubitat,nec ſe ipſum audit loquẽtem, vim vocabuli ignorans. Qui verò in ſuis regnis ſummum ſibi imperium aſſerunt: nihil aliud agere vidẽtur ius regni ſupremum in fœmina admittentes, quàm quòd monarchici principatus maieſtatem minuũt. Qua de re ipſi viderint: nempe Angli,Hiſpani,Siculi,& reliqui penè omnes.Nam reliquæ quantumuis excellentes ditiones, ſalua ſui principatus dignitate,modò ne ſit ſuprema & monarchica,admittere poſſunt in fundi ſucceſsione ſexum muliebrem.Non enim deerit vertex monarchiæ,qui ſexus fragilitatem in tuẽdo reſtituendóve iure,armorum præſidio ſuppleat.In monarchatu verò ſi fœmina præſit, neceſſe eſſet virum ſubeſſe mulieri, contra omnem & ſacri & prophani iuris diſpoſitionem. Et hæc vna ratio ſit inſtar omnium. Sed & nunquã fando auditum eſt quòd cadat in fœminam gratia ſanitatum qua ſanentur ægroti à ſcrophulis. Vides itaq; vt ſeſe mutuò ita muniant ac fulciãt cognato quodam ac indiuiduo fœdere iunctę, monarchia Sa-

licam,& Salica monarchiam:vt vtrauis adempta alteram aut mutari neceſſe ſit,aut prorſus interire. Vtcunque ſit, quid magis aut ridiculũ, aut præpoſterum ac ineptum,quàm ſi Gallo Gallina imperet? Quod
3.Eſdræ.4. quàm indecorum ſit,nouit qui ait:Mulieres dominantur vobis, nõne doletis?Nemo appellauerit potentiſsimum dominum metuendúmque principem ,ſexum muliebrem, natura ex diametro repugnante. eſt ergo is ſexus potentiſsimi principatus prorſus incapax: vſq; adeo ad lapſum pronus & præcipitium, vt freno potius indigeat quàm ſce
Prouerb.31. ptro. Scriptum enim eſt:Mulierem fortem quis inueniet? Fuere, ſat ſcio,prouidę nonnullę,multiſq; virtutibus decoratæ in fœmineo ſexu matronę inſignes: verùm hæc rara auis eſt, nigróq; ſimillima cygno. Atqui lex ea cõſiderat quę paſſim obuia ſunt:nõ quę rarêter accidũt.

Quid autem(vt quidam ait)pluma leuius?aër.quid & aëre? vẽtus.
Quid vento?mulier.quid muliere?nihil.

Hinc & illud Menandri:Mare,ignis,mulier, mala tria ſunt. Sunt qui dicant fœminam optimã phœnice rariorem. Illud omnibus in aper-
Eccli.25. to eſt & confeſſo,non eſſe malitiam ſuper malitiam mulieris. Quam ſententiam ita in ſuo Bucolico carmine Baptiſta Mantuanus approbat, vt nemo teſtatius ac dilucidius:

Fœmineum ſeruile genus,crudele,ſuperbum.
Lege,modo,ratione caret:confinia recti
Negligit,extremis gaudet facit omnia voto
Præcipiti:vel lenta iacet,vel concita currit.
Fœmina ſemper hyems,atque intractabile frigus.
Aut canis ardentes contriſtat ſydere terras.
Temperiem nunquam,nunquam mediocria curat.
Vel te ardenter amat,vel te capitaliter odit.
Si grauis eſt,mœret toruo nimis hernica vultu.
Si ſtudeat comis fieri,grauitate remiſſa
Fit leuis,erumpit blando laſciuia riſu.
Et lepor in molli radiat meretricius ore.
Flet,ridet,ſapit,inſanit,formidat & audet.
Vult,non vult:ſecúmque ſibi contraria pugnat.
Mobilis,inconſtans,vaga,garrula,vana,bilinguis,
Imperioſa,minax,indignabunda,cruenta,
Improba,auata,rapax,querula,inuida,credula,mendax,
Impatiens,oneroſa,bibax,temeraria,mordax,
Ambitioſa,leuis,vaga,lena,ſuperſtitioſa.
Deſidioſa,vorax,ganeæ ſtudioſa,palatum
Docta,ſalax,petulans,& dedita mollitiei.
Dedita blanditiis,curandæ dedita formæ.
Iræ odiíque tenax,in idonea tempora differt
Vlciſcendi animos:infida,ingrata,maligna,
Impetuoſa,audax,fera,litigioſa,rebellis.
Exprobrat,excuſat tragica ſua crimina voce.
Murmurat, accendit rixas,nil fœdera pendit.
Ridet amicitias,curat ſua commoda tantum.
Ludit,adulatur,defert,ſale mordet amaro.
Seminat in vulgus nugas,auditáque lingua
Auget:& ex humili tumulo producit olympum.
Diſsimulat,ſimulat:doctiſsima fingere cauſas,
Ordiríque dolos,fraudíque accommodat ora,
Ora omnes facili caſus imitantia motu.

Non potes

Non potes inſidias euadere,non potes aſtum
Vincere:tantæ artes,ſolertia tanta nocendi.
Et quanquam videas oculis præſentibus,audet
Excuſare nefas.potis eſt eludere ſenſus
Sedulitate animi. nihil eſt quod credere poſsis,
Et nihil eſt quod non,ſi vult,te credere cogat.

Quid quòd Amazones ipſæ proprio exemplo vt ſibi ſummum dominium vendicarent,virilem quadãtenus conditionẽ magno ſuo luctu, ſæuáque membrorũ mutilatione ambierunt, mammis etiã ferro amputatis:vel hoc vno declarantes ſexũ illũ eſſe ad bella gerẽda ineptũ, quod & nomẽ ipſum Amazonũ indicat,à mammarum amputatione deſumptũ. A cæteris quæ in hanc rem proferri poſſent,prudẽs abſtineo,hoc tantũ dixiſſe contentus,ꝙ ſi iura non admittunt fœminas virilibus ſeſe immiſcere officiis & functionib⁹,ſi à tutela pupilli (quia virile munus eſt)arcentur: quomodo quave ratione ad ſummũ totius monarchiæ faſtigiũ tutandum protegendúmq; recipientur? Excedit enim,& id quidẽ multis paraſangis,rei vnius tutela publicę, rei cuiuſque pupillatis aut protectionẽ aut directionẽ. Quod autẽ de filiab⁹ Salphaad nõnulli obiiciunt Numer. 27.extra cauſam eſt. Non enim deneganda eſt fœminæ paterna hæreditas quantũuis aut pinguis aut opulenta,modò ne monarchię totius ſummũ faſtigium in fœminam cadat,huic ſuſtinendo oneri prorſus imparem. Non enim honor eſt, ſed onus,ſpecies læſura ferentem.Vt luna ſolis, ita & matrona radiis viri coruſcat. At nemo vel de ſomnio cogitauit ꝙ Sol luminare maius,à Lunæ fulgore dependeat,in ſummo præſertim monarchicóque principatu. Proinde prõptius expediet Gallorũ maſcula virtus quòd teſtudo curſu leporem,quàm quòd Gallum Gallina cantu impetióve pręuertat.Id enim naturæ præpoſterum eſt, quæ maſculos ad ſceptra tenenda atmiſq; tuenda creauit.Hinc illud epigrammatarij poëtæ:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis?vxori nubere nolo meę. Proinde
Inferior matrona ſuo ſit Priſce marito:
Non aliter fient fœmina vírque pares.

Vides vt nõ niſi inuita natura viro imperet fœmina? Vincat igitur cũ Salicę legis integritate, quæ ſuper omnia vincit veritas. Cæteri penè omnes principatus, ſucceſsione (ita mihi bona pace omnium dicere liceat)Gallinacei ſunt: in his enĩ mulier ſuccedit viro, & vir mulieri: Gallus verò monarcha omniũ quos tota alit Europa, minime Gallinaceus eſt,ſed virilis tantum & maſculus, nullo iure hæreditario muliebris. Quódque magis mireris, in quibuſdam accidit vt filius patri non ſuccedat,ſed ſucceſsio quodam poſtliminio ad nepotem redeat: nimirũ vbi filius eſt ſpurius aut nothus, minime ſuccedit patri, recẽti adhuc memoria prolis adulterinæ:qua tamen ſopita & deleta,nepos ſuccedere poterit auo,aut abnepos, aut ꝓnepos Secus in muliebri ꝓpagine.Ea enim eſt perpetuò inhabilis ad monarchiæ Gallicę ſucceſſionem.Eſt in re huiuſcemodi indelebilis memoria.Sic fit,quòd cum generationes adulterinę non figant radices altas: fœminea tamen propagatio quod ad monarchiã attinet,penitus nullas ꝓferre valeat. *ſapientiæ.4.*

Statuitur etiam ac confirmatur lex iſta Salica, quin potius incrementũ accipit ex lege Fridericiana ex titulo primo de vſibus feudorũ §.hic autẽ notandũ.& in glo.cap.in legibus humanis.12.quęſt.2.

Hoc loco non poſſum non vehemẽter demirari iuxtà ac deteſtari Polydori Vrbinatis infẽſiſsimi Gallomaſtigis, (idq; ex ꝓfeſſo quoties de re Gallica ſermo ĩcidit)aut ĩpudẽtiã,aut(vt leni⁹ dicã)imprudẽtiã,

M

adcò vt rectius eũ dixeris Polylœdorum inurbanũ, q̃ Vrbinatem Polydorum. Ille, vt cx vno cætera diſcas, dum Edouardo Anglo Frácici ſceptri hęreditatẽ ſeu iure ſeu iniuria aſſerere nititur, Philippũ Valeſium ex publica Flandrorũ voce non ſine ſcõmate regẽ repertum vaniſsimè appellat, tanquã non iure creatum, ſed fortuitò oblatũ ad regium ſceptrum perueniſſe. Sed tu mihi vide, ad quã impudentię notam ſtudio contradicendi ille pucnerit, dum magis curat vt dicat, q̃ quid dicat. Si enim (vt videri vult) inanis eſt lex Salica & elũbis, adeò vt ad Edouardum potius q̃ ad Valeſium ius ſceptri Frácici pertineat, quid aliud agit q̃ ꝓ ineuitabili perfidię nota inurit huius ſcõmatis authores? Hac enim ratione perfidi ſunt & Flandri, & eorum pediſſeqni Hainonij, qui regi Anglo beneficiariã denegant obedientiã, ſicq; inter ſacrum ſaxúmq; cõſtituti aut pfidi ſunt, aut impoſtores. Cur enim Anglo non parent beneficiarij, ſi ius regni Francici ſit penes Anglũ? Si verò (vti res habet) penes Francũ ſumma rerũ conſiſtat, quid aliud q̃ ſcurræ impoſtoréſve atque ſpermologi cœlo terráque teſtibus æſtimandi ſunt? quos maledicendi ſtudium ita vexat, vt rationis inopes euadant, ínq; ſuũ redeant tela retorta caput. Vſque adcò præceps eſt effutiendę vanitatis, expuendíq; deſideriũ ſcõmatis, vt nunquã ſit ſuis limitibus contentum. Hic ergo ſi forſan incidiſſet in lectionẽ Cuſpinianæ rhapſodiæ, in qua de vita agitur & nomẽclatura Conradi Salici, digitum ori (ſat ſcio) niſi perfrictam frontẽ omnino haberet, impoſuiſſet. Ille enim de Salica lege, déq; Francorum regum origine, poſteaquã ingenuè profeſſus eſt ex antiqua Troianorũ ſtirpe Francorum principes Clodoucos prodiiſſe, ſic ait: Sed cur Salic⁹ ſit dictus hic Cõradus, paulo altius repetendum eſt. Pharamundus Marcomiri, qui à Troianis deſcendit, filius, Francorũ rex, cum modeſtiſsimè regnum adminiſtraret, vt feros hominum mores exueret, leges cõdidit atque promulgauit, quatuor primatibus ex Sicambris ſpectatis cooperantibus, Vſugaſto, Loſogaſto, Viſogaſto, & Sologaſto. A quibus leges cœptæ ſunt dici Saliqnæ, & ipſi Franci Saliqui, qui his legibus vtebãtur. Teſtatur Nicolaus de Cuſa Cardinalis lib. 3. de concordantia catholica cap. 25. ſe leges Salicas ſeriatim vidiſſe & legiſſe. Erat inter cæteras lex Saliqua, vt ſoli virilis ſexus reges à maribus regibus orti, regnũ adminiſtrarent, nec ad eam dignitatem fœminæ admitterentur in regno Francorum, qui ab his legibus Salici nominabantur. Vnde & hic Conradus, quòd Frãcus eſſet, & ex veteri familia Francorum, Salicus eſt cognominatus. Fit mentio Salicæ legis 12. quæſt. 2. cap. in legibus, in prima gloſſa: quomodo videlicet emendentur qui ſacra compilarint. Fit & in libro Feudorum de filiis natis de matrimonio ad Morganicam contracto, cap. vnico.

Ex his quæ dicta ſunt, liquidò conſtat ſemper fuiſſe regnum hoc Chriſtianiſsimum vſque adeò virile, vt fœminei ſexus vel è propinquo vel è longinquo prolem, ad ſui regimẽ nunquam admiſerit, nec aliquando admiſſurum ſit. Quin (vt in Biturigum ritibus Bohierius aſſerit) ſi tota illuſtriſsimę huius domus Francicæ familia maſcula periret præter vnum aliquem è priſco ſanguine progenitum: etiam ſi centeſimo diſtaret gradu, ad eum ius monarchię Frãcogallicę deuolueretur. non ita in reliquis ſucceſsionibus, quarũ deriuatio decimum gradum nõ excedit. Quod ſi nullus extaret aut recta aut laterali coniunctione iunctus, deficiẽte materia ſucceſsionis locus eſſet electioni. Quo forſitã caſu eligi poſſet ex procerib⁹ vnus, etiã ſi ex linea materna produſſet: neq; id pugnat cum lege Salica, quæ ſucceſsionẽ tantũ

prohibet,non electionem. Inde ſequutum eſt, vt propter Childerici titulótenus monarchę inertiam,ad Pipinum ex materno Francorum ſanguine prognatum,non tam ſucceſsione quàm procerum conſenſu ius ſceptri deuolueretur.& id quidem in Merouingorum ſobole. Neque id ſolùm:quin etiã in cauſa caſúq; nõ prorſus diſsimili, detrũcata ſtirpe Caroli magni,cum ſpurij duo ſeſe regimini intruſiſſent: ſenſim dilabi cœpit in aliã ſcaturiginẽ regũ ſtẽma Francorũ,in Hugonianos proceres:idque duplici de cauſa.Primùm quidem ob Carolinę ſtirpis inertiam:deinde propter adulterinę plantationis mixturam.Inde ſequutum eſt vt regni faſtigiũ,procerũ conſenſu ad Hugonis magni cognomẽto Capeti vel Capitonis (qui & ipſe Pariſiorũ comes, Neuſtrię etiam,hoc eſt occiduę Gallię,marchionatum tenebat)& rerũ ſumma perueniret:nõ abnuentibus Teutonicæ nationis proceribus,qui ad ſe tracta orientalis Franciæ portione, monarchicóq; regimine occiduæ Galliæ,imperiũ cum ſummo principatu libere regendum Hugoni & ſucceſſoribus eius ſpõte permiſerũt,adeo vt hucuſq; Francogallici regnarint, ſubinde vero Gallofranci Hugoniani occiduæ Galliæ ſummam tenuerint.Hi tamen omnes à prima Pharamundi ſtirpe Frãcigenæ meritò appellãdi ſunt,ſtatim ab excuſſo iugo Romano libertate adepta. Harum autem quæ à ſummo vertice ad imum calcẽ totius monarchicæ Gallię ſeriẽ complectũtur, trium ſtirpium periodos ſi quis fortaſſe requirat,paucis abſoluã. Eliſa eſt Merouingorum propago(paulo altius ſumpto initio à Pharamundo)ad regię domus prę-fectum Pipinũ,ab Honorij primi Romano præſulatu ad Zachariæ põtificatum,qui non tam Chilpericum depoſuit,q̃ Francorum proceribus deponere volentibus cõſenſit, ſub annum à Virgineo partu 749. ſubductis ab eo numero annis ſuper quadringẽtos viginti: à quorum fine inauguratur Pharamundus. Ecce tibi pro periodo primę ſtirpis Frãcogallicę annos 239. Carlingorũ periodus altera ſic habet: à Pipino ad Hugonem Capetum Capitonémve perdurauit Carlingorũ monarchia ad annos partæ ſalutis 988. Interſunt ãni medij 239. Hugonianorũ verò proſapia ad hanc vſq; ætatẽ prorogata, dũ Chriſti domini beneficio ann⁹ agitur 1552. euulſis annorum circulis 988. ſumma æquãte prodeũt anni periodi tertię Hugonianę ſobolis 564. A Pharamundo verò quanto tempore in hunc vſq; diẽ cõtinuis ſucceſsibus perſtiterit florẽtiſsima nec minus frugifera Frãcogallica monarchia, promptũ erit expedire,ſi ab annis Chriſtiferę virginis partus in hunc vſque diem currentibus viginti ſupra quadringentos ſubtraxeris.Occurret enim numerus monarchiæ Francigenarum Gallofrãcicę 1232. Numerabuntur itaq; inter Henricos duos,primũ inquã Hugonis Capetiani nepotẽ,& hũc huius nomẽclaturæ ſecundũ, 522. hinc adẽptis duabus,Hugonis videlicet & Roberti eius filij regnantium,ætatibus.

Hæc igitur anacephalæoſis eſto. A Chriſto nato ad Pharamũdum anni 420. A Pharamundo ad Pipinũ cognomẽto puſillũ,an.330. A Pipino ad Hugonẽ Capetum ſeu Capitonẽ anni 238. Ab Hugone ad Henricum ſecundum hodie regnantem 568. Habes in totũ annos gratiæ ſalutaris 1556. à Chriſtiano natali,quo numero apud nos ſalutis agitur annus. Cæterum ante Pharamundum fuerunt Francoſicambri reges numero quadraginta. A Pharamundo ad nos Francogalli monarchæ vndeſexaginta. Qui in vniuerſum cõplent imperãtium centuriam,vna minus monade: vnde & futur⁹ ſperatur qui fauore numinis ſuperſtes eſt Archidux Delphinus ſuo tempore centeſimus. Qui velut arbor plantata ſecus decurſus aquarũ,fructum ſuũ dabit in tem-

pore ſuo. Illud expedire libet, quo iure Hugo Capetus ad huius monarchiæ Francogallicæ faſtigium (ne quis calumniari poſsit, aut vim aut dolũ prætexere, vt quidam falſo calumniantur) euectus fuerit & aſſumptus. Fuit enim, id quod ſciunt omnes, progenitus à Roberto fratre Odonis Andegauenſis, ideóq; illi in linea virili ꝓximo, cũ nõ haberet filiũ ſuperſtitem. Qua autẽ ratione ius ſibi ſceptri Robertus aſſeruerit, quanuis in mediis conatibus interemptus, nõ obſcure docet Paulus Æmilius his verbis: Hæc Odo moribundo corpore, ſed vegeto pectore dixit: ſed nullius minus quàm fratris ſui paterno nomine Roberti animum permouit. Is enim inter factionis ſuę homines eam actionem mouit, quæ ne cum ipſo quidem extincta fuit, ſed immortalis tantos ſpiritus proli eius ſubdidit, vt tandem ad regnum peruenerit. Dictitabat conſenſione concilióque vniuerſo Francię ius regni vltro Odoni delatũ eodem exemplo quo ad Pipinum delatum fuerat. Si iure Pipinus regnaſſet, iure Odonem regnaſſe, nec potuiſſe vlla in morte voce ſupremáve obteſtatione tranſlatum in domũ ſuã regnandi ius ſtirpi Balbi reſtituere. Ius enim regni Franciæ, non ſingulorum hominum, capitúmve, ſed ſanguinis eſſe. Cæterum quanta populi acclamatione, procerúmque omnium conſenſu ſummáque tranquillitate Hugo Capetianus regni Francogallici gubernacula tenuerit, idem Æmilius apertè demõſtrat, dum ait: Ottonem Ioannes duodecimus põtifex maximus coronauit: ad eúmque in Germaniam reuerſum concurſus totius orbis terrarum fiebat. È Francia Francus rex cum fratre Carolo, matréque Gerberga, magiſter equitum cũ matre Auida, vtraq; Cęſaris ſorore, adfuere. Duces nobiliſsimi genere factiſque comitabantur. Totius Latini nominis proceres aderãt, & ſummi Græcorum viri, quòd Nicephorus Auguſtus Theophaniam filiã Ottonis filio per oratores deſpõdebat. Feſti celebréſq; dies ludis, conuiuiis, omni magnificentia, hilaritate, comitatéq; acti. nunq̃ Francicum nomen iunctius Germanico fuit. Germani quoq; gloriã antiquorum Francorum regum ducúmq; ac Auguſtorũ ſuam ducunt, quòd oriundos ab ſe eos prędicent, apud ſeq; Francos adhuc Orientales eſſe: hos in Gallia Occidentales dictos, ſobolẽ illorũ eſſe. Sed animotũ germanitas inter vtrãq; gentẽ nunq̃ maior propiórq; q̃ Ottone Cæſare fuit.

Ad id quoque nõ parum facit, quod de Hugoniana prole Roberto, paucis interiectis ſubiũxit, Tertium ſtemma in ſolio locatur, nimirum Francico, haudquaquam Francis pœnitendum. Nec multò pòſt ſic ait: Pace terris veniáque à numine reddita, Henricus Cæſar Robertúſque rex ſuper Charum fluuium cum delectiſsimis Ducibus Comitibúſque ad colloquium congreſsi ſunt, pace fida ſubſequuta inter regnum imperiúmque. Hæc ille. Vt hinc ſcias æquiſsimo iure tranquilláque poſſeſsione, regni ſceptrum Francici ad Hugonianæ prolis poſteros (velint nolint æmuli) prono (quod dici ſolet) alueo defluxiſſe. Fuit itaque Pharamundus (aliàs Veremundus appellatus) vtriuſque temporis, pacis inquam & belli, artibus cultúq; inſignis, ſceptriger inquam ac legifer, Gallicæ monarchiæ fundator primarius. Qua in re ita excelluit, vt Salicę ſuę legis multo circunſpectionis ſale conditę monarchiã fundarit: vicíſsímque monarchico regimine legẽ Salicam imis fixã radicibus in ſublime erexerit: factus ex duce orientalis Franciæ, occiduę Francogalliæ rex, nemini regum qui toto orbe extãt, potẽtia, maieſtate, rerumq; omniũ abundãtia ſecũdus. Vna tantũ illi deerat rectæ & impollutę religionis cõſũmata cognitio. Eo tamẽ fœlicior, quòd ex infœcũda fœcundam, ex ſterili fertilẽ, ex inuiis

paludibus, amœniſsimam Galliæ terram receperit, ranas ac buffones non multò pòſt in ſua ſaltem ſobole in lilia commutaturus.

Mirantur (vt ne illud omittam) nonnulli, quòd veteres illi Franci etiam populariter Gallias inuaſerint, ac nõ potius Galli Germaniæ ſolo incubuerint, ibíque ſedes affectarint. Qui ſi argutè ſingula perpenderent, ſuæ hebetudinis conſcij ſeipſos ſtupiditatis non modicæ incuſarent. Quis neſcit in feracibus agris opulẽtam meſſem omnes ad ſe allicere? At hæc eſt Gallicæ gloriæ portio nõ infima. Eſt autem fœlicitatis perpetua comes inuidia. Cõtrà verò quis inuideat inuiis paludibus, ſuã ipſis quoq; incolis inuiſam infœlicitatẽ? Nemo certe illic (niſi plane demens fuerit) iacere cupiat ſementem, vnde nullam meſſem expectet. Illud itaq; nõ parũ gloriæ adfert ſolo Gallico, quòd viri alioqui famelici & inopes, ſuam illi inuiderint fœliciſsimam copiã: & ob eam cauſam recte vt ſiquãdo aliàs mihi dixiſſe videtur in ſua Aſia dum ait Æneas Syluius: Quòd autẽ ad interiora eorũ & vltima verſus Boream non eſt itum, paupertas ſoli fecit, & itineris aſperitas, atq; intolerabile frigus, & nullum vincentis præmiũ. Multos Romani populos (vt Appianus tradit) ſeſe ſpõte dedentes reiecere, quod nullo eſſet emolumento eorum imperiũ. Quis arma ſumat, & cum mortis periculo dimicet, cum ſciat victoriam ſterilẽ eſſe? Id perinde eſt ac ſi quis laudis cauſa cũ beſtiis pugnam ineat. Nec Scytharum robur inſuperabile eſt magis quàm elephantum & taurorum, quos ingenio vincinus, ſed in his ineſt aliquid vtilitatis. Scythas exteriores illos ſi prælio ſuperaueris: nõ tam tibi quàm illis victis pane alendis, qui multis eſt incognitus, vbi ſeruitia eorum quæras. Fatemur tamen ab his exiiſſe complures qui res magnas geſſere. facilè enim migrant, quibus ſterilis ſedes eſt, & melioris ſoli fama multos trahit. Neque enim ocioſe id à Sidonio Apollinari dictum eſt: Francorum penitiſsimas paludes intrares venerantibus Sicambris, ſolis moribus inter arma tutus. Fuere quidem Franci poſt multa à primæua origine tempora Germani, non tam indigenæ, quàm aduenæ, nempe à primæuo ortu Troiugenæ. teſtis in Francorum regibus Michael Ritius. Adminiſtratio (inquit) rerum Marcomiro permiſſa eſt, quem ſummopere celebrabant & colebant, opinione vulgata, quòd de Priami ſanguine propagatus eſſet. Quanquã non prorſus admiſerim quod aiunt, Gallos Germanias non penetraſſe, cũ ſplendidi mendacij arguantur huius vanitatis authores: id quod ſuprà multis argumẽtis docuim⁹. Gallos prius Germanis imperaſſe, quàm Germanos Gallis, argumẽto ſunt Boij, q & Bohemi: Baioarij, qui & Bauari: & in Galatia Galatæ, qui & Gallogræci: & in Thracia Tectoſages, aliq́ue innumeræ nationes, quas nõ tã indigenas quàm Galligenas meritò appellaueris. Illud nolim præterire ſilentio, his nominibus Salegaſtus Vidagaſtus nihil aliud ſignificari quàm Salingorum ſeu Vidingorum præfectos. Salingain verò, Bodingain, & Vidingain, nihil aliud deſignare, quàm Salingorum, Bodingorum, atque etiam Vidingorum tractus. Vnde etiam colligitur multas Germanorũ regiones à priſcis Gallis nomen originémq; contraxiſſe. Quod ne quis inficiari poſsit, referã ad verbũ beati Rhenani in Cornelium Tacitum luce meridiana clariorem ſententiam, qui in hæc Taciti verba, Eóque credibile eſt etiã Gallos in Germaniã tranſgreſſos, ſic ait: Sanè Titus Liuius libro 5. primæ decadis apertè tradit, quum Ambigatus Biturix rex Celtarum magno conatu ipſe regnum prægrauante multitudine exonerare cupiens, quæ iam vix regi videbatur poſſe, Belloueſum ac Sigoueſum ſororis filios impigros iuuenes

miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedes, oſtendiſſet, Sigoueſo ſortibus datos Hercynios ſaltus. Cæterùm quos Gallorum populos ſecum eduxerit, non commemorat nominatim, propter inſtitutā de primùm tranſcenſis alpibus narrationem, id quod à Belloueſo factum. At mihi fit probabile è Celtis Sigoueſum habuiſſe & Andegauos, quandò horum nomen hodieque extat in Hercynio ſaltu quà Galliā ſpectat. Siquidem amœniſsimā conuallē quę eſt oppidulo Noppenaugiæ vicina, ſubiecta Cinebiſo monaſteriolo Benedictinę factionis, vernacula Germanorū lingua Andegaſt appellat. In cuiᵒ extremo rhermę reptę ſunr ętate patrū noſtrorū, recentibus vulneribus ſanandis mirum in modū cōducibiles. Quòd ſi liqueret Bellouacos quoq; è Belgis vnà cum illo tranſiſſe Rhenū, tribueremus illis vicinā vallem quā vulgus Voluacenſem vocat, quaſi dicas Beluacenſem, à Voluace ſeu fluuio ſeu oppidulo, hoc eſt Bellouaco, vt Senonibus Gallis proximā Hercyniū ſaltus partē, quam hęc ętas Simonis nemᵒ cognominat. Porro de Tectoſagibus Gallis qui trans Rhenum coloniam miſerinr, reſtatur his verbis Iulius Cæſar commentario ſexto, Itaque ea quę fertiliſsima ſunt Germaniæ loca circum Hercyniam ſyluam (quam Eratoſtheni & quibuſdam Græcis fama notam eſſe video, quam illi Orcyniam appellant) vulgò Tectoſages occuparunt, atque ibi conſederunt. Hæc ille. Cæterum penitioribus illos cultioribuſque locis habitaſſe ad Nicrum fluuium, argumento Decenſis arcis, in noſtris rerum Germanicarum libris annotauimus. Atque hic obſeruandum, ab idoneis eſſe relatum autoribus, inde nomen Alpium ortum, quòd ſua lingua montes Galli vocanr Albas. Itaque montis qui Nicro fluuio vicinus eſt, & haud procul Rutelingua aſcenditur, illa longè lateque patens planities, tritici in primis ferax, indubie etiamnum Albæ nomē à cultoribus olim Gallis retinet. Suſpicorque montem hunc à Flauio Vopiſco deſignatum cum ſcribit in vita Probi imperatoris, Cæſis Alemanorum in Gallia multis millibus, reliquias vltra Nicrum (ſic enim illic legimus) & Albam remouit. Significat enim, Probum eos qui ex Alemanis ſupererant, in vlteriorem Germaniæ regionem & tranſnicrinam, ſiue vt hodie loquimur, tranſnecaranam atque tranſalbanam ducatus Vvirtembergenſis partē ſubmouiſſe verſus Danubiū: cui propter ſecuritatem Galliarum præſtabat illos eſſe viciniores, quàm Rheno: & Rhetię prouinciæ ſteriliori minus erat periculi à Germanis. Siquidem de Albi inclyto flumine non videtur accipiendum, quem à recentioribus Albiam vocari haud ignoro. Poſt hæc epilogum faciēs ait: Igitur de numero fertiliſsimo Germaniæ locorum circum Hercynium ſaltum, in quibus Tectoſages ſeu cæteri Galli conſederunt, iſta Alba eſt, pars poſtea Martianarum ſyluarum. ſic enim pluratiuè Marcellinus appellat, indicans per has Iulianū Auguſtum tranſiſſe quum Danubiū ex Rauracis adiret nauigaturus in Illyricum. Neque id diſſimulāter præteriit Iulius ipſe Cæſar ſexto ſuo commentario: Fuit (inquit) antea tempus cum Germanos Galli virtute ſuperarent, & vltro bella inferrēt, ac propter hominum multitudinē agrique inopiā trans Rhenū colonias mitterēt. Itaque ea gens (Tectoſages inquam) ad hoc tempus his ſedibus ſe continet, ſummamque habet iuſtitiæ & bellicæ laudis opinionem: nuncque in eadem inopia egeſtate patientiáque Germani permanent: eodem victu & cultu corporis vtuntur: Gallis autem propinquitas, & tranſmarinarum rerum notitia, multa ad copiā atque vſus largitur. Id aurē auget gentis Gallicæ decus egregium quod de ea re loquens teſtimonium protulit Rhenanus, his verbis:

Iſtam Tectoſagum gentem arbitror Nicri ripam accoluiſſe,quo loco vetuſta adhuc arx viſitur, quæ Decenſibus poſtea ducibus nomen dedit. La Teck appellatur vulgo,quæ prima Tectoſagum eſt ſyllaba. Mox ex eo ſequitur: Validiores olim Gallorũ res fuiſſe ſummus authorũ diuus Iulius tradit: eoque credibile eſt etiã Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat quo minus vt quæque gens eualuerat, occuparet permutaretque ſedes promiſcuas adhuc, & nulla regnorum potentia diuiſas? Igitur inter Hercyniam ſyluam Rhenumque & Mœnum amnes,Heluerij incolũt.Tacitus in de ſitu Germaniæ. Hic Ptolomæus Eremum Heluetiorũ conſtituit. Cæterum in hoc veritatẽ obnubilare videtur, cum ait: De Heluetiis ita loquutus Tacitus ſubdens,Vlteriora Boij, inquit, Gallica vtraque gens tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, ſignificátque loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus. Vbi ſciendum non ſic Tacito vel Heluetios vel Boios dici Gallos,quemadmodum vetuſtiſſimi Græcorum authores (quos Diodorus Siculus, Herodotus, Ariſtoteles,& hiſtorici cæteri ſequuntur)Celtarũ nomen vſurpant,quod promiſcue cum Germanis tum Gallis accommodant. Nam non ſolum iſtæ noſtræ & vicinæ noſtris regiones priſcis illis Græcis ignotæ fuere, ſed & Italia, atque adeò Roma ipſa parum cognita extitit: id quod Ioſephus aduerſum Appionem abũde teſtatur: cuius nobis copiam ſuperioribus annis fecit Ioannes à laſco Polonus Græcum exẽplar impertitus. Nam latinè ſic verſum imò peruerſum habemus, vt nullus intelligere poſsit: quo magis appareat nothum & ſubdititium eſſe libellum qui Beroſi illius Chaldæi & Manethonis titulo circunfertur. Neque enim virulento caret animo, quòd neget Celtarũ cum Germanis nomen eſſe commune: cum ſexcẽtis penè locis probetur Celtici Germanicique nominis communio. Nec liuoris notam effugere poteſt, qui Ioſephi & Beroſi auctoritatibus preſſus, pſeudographiæ eos arguit,dicens eorum vacillare auctoritatem. Nam quod de Ioſepho ob codicis mendoſitatem male ſuſpicatur, nec ſic quidem aſſequitur quod optat.Extat Ioſephus Hebræus,qui in eadem eſt ſententia de Francis tempore Herodis.Ideoque in ore duorum vel triũ, teſtimonium verum ſit oportet.Qua in re,vt in aliis pleriſque,liuoris eius impuritas deprehẽditur,quòd malit duorũ authorum auctoritatem eleuare ſacroſanctam, vt Gallico nomini fumũ offundat potius, quàm agnoſcere id quod eſt ad Gallicæ ſplẽdorem gloriæ pertinens. Sunt certè Boiemi Gallorum Boiorũ inclyta proles. Nec docere vnquam poterit Boios ita in vniuerſum fuiſſe expulſos, vt omnino loco ceſſerint,nulla ex ſe illic prole relicta: alioqui doceat quo authore id poſſit euincere, videlicet in quem locum populariter eiecti ſeſe receperint. Id priuſquam argumento aliquo valido indicare poſſit, citius leporem curſu teſtudo præuerterit.Manet igitur æternumque manebit Gallica laus & priſca vetuſtas, euaneſcente fumo marceſcẽtis inuidiæ. His, ſi liuor abſit, & inueterati odij memoria, iuſta lance perpenſis, procliue erit agnoſcere legis Salicæ authores dicæarchaſque aſſeſſores Gallos fuiſſe gneſios, & nihil minus quàm alienigenas. Qui dictaturam ſuam exercentes,leges Frãcorum regibus magna ex parte oneroſas indixerunt, à iure regni Francici hæreditario fœmineam prolem ſexumque deteriorem veluti ignauum fucos pecus à populi Salici præſepibus arcentes. Franci itaque Gallis arma tutelaria, Galli verò Francis leges ſuas impoſuerunt: quibus tanquam vinculis constricti, ſexus fœminei chariſsima pignora,ſuaſque delicias à

ſupremo Galliæ regimine abduci permitteret. Atque ita ſpes ſucceſſionis nulla ſupererat Franco Regi, vbi proles deeſſet maſcula. Nec vnquam inter arma leges iſtæ ſiluerunt. Nam & in hunc vſque diem cedunt arma togæ, & Salicæ præcellit gloria legis, quã Galli Francis præſcripſere regibus. In cuius rei gratiam Salicæ legis præloquium hæc ferme habet ad verbum.

Salicæ legis præloquium. Gens Francorum inclyta, deo authore cõdita, armis potens, profunda conſilio, pacis fœdere firma, corpore nobilis, forma egregia, audax, velox, aſpera. Legis authores Salicæ fuere, Viſegaſtus, Salegaſtus, Vindegaſtus, Arbogaſtus, quãdoquidẽ aliàs fuiſſe legantur quartumuiri legiſlatores, nec amplius. Nihil tamen refert alios ad hunc numerum acceſsiſſe non paucos, quorũ nomina hactenus ſuppreſſa ſub priſcæ antiquitatis tenebris deliteſcant. Omnia enim ad aſſem conſequi ac comprehendere, Heroicum potius fuerit quàm humanum. Ab his quartumuiris prodiit Parium Franciæ nomenclatura. Erant enim hi quatuor magiſtratus authoritate ac ſublimitate præfecturaque omni ex parte æquales, tam in condendis legibus, quàm in controuerſiis quæcunque ſe offerebant terminãdis: ita vt mereretur *Parlamentum.* eorum ſenatus auláque Salica ſiue Palatina dici Parlamentum, hoc eſt, parium lamentum. Et hic quidem numerus exereſcente gentis Francicæ & conditione & numero, ex triente euaſit in duodenarium aſſem, vti hodie cernere eſt in regno Frãcorum pares proceres duodecim, penes quos in rebus arduis ſummíſque legis Salicæ enodãdis apicibus ſita eſt ſuprema poteſtas. Habuit tamen hic ordo parilium procerum apud indigenas Gallos multo ante Francogallicam Monarchiam tempore primæuam ſuam originem. Petrus ſiquidem Ægidius priſcæ antiquitatis enucleator ſyncerus ac veridicus, author eſt, apud priſcos Gallos cum democraticè popularitérve alta pace fruerentur, delegiſſe ſibi ex duodecim ciuitatibus primores præcipuos, qui vniuerſæ Galliæ æquo iure & leges conderent, & municipalia iura interpretarentur: ex quorum memoria parium Franciæ longo pòſt tempore deriuata eſt inſtitutio.

Sed neque illud ſilentio prætereundum, in quo Cæſar commentariorum ſexto, obliquo, ac (vt ſic dicam) more ſcorpionis arcuato vulnere pungendo offendit Gallici memoriã nominis: qui poſteaquam inuictos ſupra cæteras nationes quõdam fuiſſe Gallos vltro agnoſcit, demum hæc verba ſubiungit: Paulatim aſſuefacti Galli ſuperari, multíſque præliis victi, ne ſe quidem ipſi cum aliis comparẽt. Verùm quid ſi quis obiecerit, mutato nomine, de te, quiſquis es qui Gallicam famam arrodis, fabula narratur? In primis etiã de republica Romana, neque id mirum, cum hoc ipſum ei atrociſsimè acciderit, vt victor qualitercunque Galliarum, victus tandẽ, & à ſuis circumuentus, duobus ac triginta vulneribus confoſſus perierit. Vicit Roma exteras nationes, victa prius à Gallis, ac deinde funditus euerſa à Gotthis & VVandalis, defenſa nihilominus & vindicata (nunquã tamen priori decori reſtituta) ab ipſis Gallis, ductu & auſpiciis Caroli magni, natione & imperio Gallici. Sic enim omnium rerum viciſsitudo eſt. Didicit vinci Gallia, ſed maiore virium impetu reſurgens, ſuos domitores domuit, ſuíſque pedibus ſubſtrauit, in agris ſcilicet Catalaunenſibus Gotthos: & ſub Clodoueo VVandalos: ſub Carolo item magno Longobardos, & reliquos Heſperios. Hoc pharmaco facilè occalleſcit vulnus Gallis à Cæſare odioſè inflictum. Ipſe quoque paſſus eſt telis vulnera facta ſuis. Quid quòd Germani ipſi apud Tolbiacum

(vti ingenue profitentur aduerſarii) proſtrati ceciderunt? ipſo etiam Rhenano authore: vti alio retulimus loco. Sed & (quod magis mireris) caput Italici ſoli Roma ita exciſum eſt, vt priſtino nunquam nitori reſtitui potuerit. Lutetia verò totius vertex Galliæ, ex quo ſemel emergere cœpit, tantum abeſt vt collapſa fuerit, vt potius in hunc vſque diem fauore diuini numinis excreuerit penè in immenſum. Id quod ita conſpiciunt omnes, vt nemo ſit qui vel inficiari poſsit, vel tergiuerſari. Teſtis mihi in eam rem locupletiſsimus noſtra etiam ætate accedit encomiaſtes Nanceidos natu Pariſienſis Barrhoianus, poëta minime contemnendus, qui ita de Lutetia percontatur:

Vrbem dicemus, an orbem,
Parrhiſiæ gentis vaſtum mare? (reſponſio) commodè vtrunque
Dixeris. Vrbis enim nomen & orbis habet.
Quis non miretur, quam totus ſuſpicit orbis
Vrbem vnam aſſiduè terraque marique potentem?

Nunc cœptum iter proſequentes, quandò in ea ſtamus arena, in qua Pharamundi texitur hiſtoria, illud dicendum occurrit, quæ fuerit Gallofrancorum atque adeò Francigenarũ origo primaria. Qui quidem per id tempus vtrunque accepere titulum, diuerſa tamen ratione. Nam tum primum Gallofranci dicti ſunt, ex fœdere (cuius ſupra meminimus) percuſſo inter Lutetianos & Francos. Quo factum eſt vt Francus Galluſque ſimul nullo diſcrimine haberentur, diceretúrque Francogallici. Francigenæ verò appellati ſunt ex commixtione ſeminum, Gallici videlicet & Franci: vt vel ſic rudem adhuc Francorum barbariem lenitas ciuilitaſque Gallica temperaret: viciſsimque Frãcorum robur Gallos à Romanenſi iugo ac tributo immunes redderet. Tum enim primum deſierunt eſſe Romanenſes Galli, excuſſo iugo tributi, frenoque ſeruitutis, ſuæque libertati redditi: ac deinceps per libertatis teſſeram Francigenæ appellati. Hoc enim eſt eſſe Francum, quod eſſe liberum. Sunt tamẽ qui neſcio quo inuidię œſtro perciti, ſubobſcurè, quandò id manifeſtè non audent, in Francigenæ verbo aliquid imminutæ maieſtatis latêre ſubindicent: quos ſcire oportuit, vix vllam eſſe ſub cœlo nationẽ, quæ poſt priſcos ſuos indigenas non defluxerit in alienigenarum & nomen & germen. Fuere (vt hinc ordiar) Bithynii Græci prius, poſtea tamen & fœdere Gallogræci, & propagatione Galligenæ. Id ipſum contigit vniuerſæ à Rubicone ad Alpes quaqua latiſſimè patet Italiæ: cuius incolæ facti ſunt ex Oenotriis & Hetruſcis & cõſtitutione oppidorum partim Senogallici, partim Gallocenomani, ſed omniũ maximè Galligenæ. Indicio eſt, cui nullus refragari poteſt, Galliæ ciſalpinæ nulla obliuione delenda memoria. Sed illud grauius eſt, quòd ingruente barbarica rabie facti ſunt aliquãdo Gotthigenæ ſub Theodorico Gottho, VVandaligenæ etiam ſub Genſerico. Demum verò ſub Alboino Longobardo, non ſolum propagatione, immo ex phraſi quadantenus atque adeò legibus & moribus, tota denique ad longum tempus educatione, Lõgobardigenæ. Quod dicimus, teſtatur quod etiamnũ extat Longobardiæ nomen. Fuere in eadem conditione Germani Hunnigenæ, poſteaquam multis & diebus & annis Hunnorum gens in Pannonia tam ſuperiore (quæ Auſtria dicitur) quàm inferiore (ea eſt Hũgaria apud Budam, qua pro gazophylacio vſi ſunt) ſuas fixere ſedes.

Francus, id eſt liber.

Quin & Bohiemi ipſi à Boiis Gallis originẽ ducentes, quomodo non Galligenæ appellabuntur? vti & ora illa Græciæ quæ Byzantio adiacet, à Tectoſagibus nõ poteſt non dici Galligena. Galli verò Ita-

ligenæ nunquam per ſeminis deriuationem, bene autem Gallia Romanenſis dicta eſt à penſione tributi per annos ferme quingentos, à Iulio ſcilicet Cæſare ad Pharamundum, & fuſi fugatique in campis Catalaunicis Attilæ ignominioſa fuga. Neminem latet Hiſpaniam totam partim fuiſſe VVandaligenam, partim Alanicã, partim etiam Gotthicam. Id oſtẽdunt nomina VVandalouſiæ ab VVãdalis in Berica: & Catalauniæ (vulgo Catalogne) à Catis & & Alanis. Non diſsimilem conditionem ſortiti ſunt Narbonenſes Galli: qui cum antea eſſenr Tectoſagæ, poſtmodum alienigenæ facti, in Gotthicum genus degenerauerunt, vſque dum à Clodoueo Frãco expulſis Gotthis, deturbataque Ariana hæreſi, ſimul in catholici Gallofranci nomen religionemque abierunt. Id autẽ nominis ex quo in Galliis viguit & valuit, nunquam aut ablatum eſt, aut alteratum. Gens Armorica, quæ continẽtis Britanniæ nomẽ habet: Beda genere Anglo authore, primùm Albionem incoluit, & ab his etiam ante Bruti tempora ex Albione Britãnia dicta eſt. Facti ſunt deinde Angloſaxones, primis Albionicæ gentis ſatoribus in ſuam Britãniam depulſis ac reuerſis. Fuerunt tamen Saxonigenæ illi & Angligenæ in aliud genus trãſmutati, ex quo Gulielmus nothus Nortmanorum dux Angliam rotam in ſuam recepit ditionem, adeò vt eis non imperent niſi qui ex ſemine Nortmanico proceſſerunt. Dicendi itaque veniunt aut Gulielmigenæ, aut certè Neuſtrigenæ. Et ob eandem cauſam Apulia tota, occupantibus eam Nortmanis, Neuſtrigena dicenda eſt. Id teſtatur Bohemundi Neuſtrij principis elogium, quo ſic cauetur:

Appulus & Calaber, Siculus mihi ſeruit & Apher.

Lege Michaëlem Ritium in Siculis regibus. Quid plura? Vix vlla eſt ſub cœlo natio, quæ non aliquando alienigenarum obruta ſit procellis, & ab his leges, mores, ſeminiſque propagationẽ hauſerit. Sed neque Franci ipſi, prius Sicambri appellati, huius mutationis conditionem euadere potuerunt. Fuerunt enim prima ſui origine, cum Mæotides paludes incolerent, Sarmatigenæ ſeu Scythigenæ: quod ſubindicat poëta Martialis Sicãbris Sarmatas cõtinuo adiũgens, dum ait:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Non Sicambri illi neoterici Cleuenſes aut Gueldrenſes, quos verius dicas Gallos Rhenenſes: ſed vetuſti illi priſcique Sicambri, vnde & Franci prodiere. Adiunxit idem poëta continuo:

Venit & epoto Sarmata paſtus equo.

Quin & illud inter Franciã orientalem occiduamque intereſt, quòd illa Franconia, iſta verò planè citra imminutionis notam Frãcia appellatur. Illa ducalis tantum fuit, iſta verò Monarchica ſemper & regalis. Illa Francogermanos, iſta verò Gallofrancos procreat. Hic locus expoſcit, vt de Sicambrorum, qui in Francos tranſierunt, priſca origine diſſeratur ea quæ mox ſequitur perioche.

DE FRANCORVM SICAMBRORVM Sarmatigenarum origine priſca, per digreſsionem.
Perioche Vndecima.

PRIVSQVAM tamen in rem de qua agitur, præſentem deſcendamus, tollenda prius è media via exiſtimaui, quæ nos à cœpto itinere auertere poſſent offendicula. Miras meráſque tragœdias non multis ab hinc annis nobis obtruſere nõnulli ex neotericis ſcriproribus, haud ſcio quo

inuidiæ œſtro ſtimulati aduerſus Gallicæ antiquitatis indelebilē gloriam: in hoc ſolum intenti, vt Francos primaria ſua origine puros putoſque Germanos, indigenas fuiſſe ſtatuant, eóſque à Troianis primęuam ſumpſiſſe originem, fortiter, vt ne dicam peruicaciter, pernegēt, non coniecturis ſolum, verumetiam atrociſsimis obiurgationibus, atque adeo puris putiſque conuiciis rem ſuam agentes, vt ſi rationibus nequeant, iurgiis ſaltem lectorem à veterum ſententia abſterreant. Sed fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Et ne diutius in ea contentione laborent, fidem hiſtoriæ ac venerandæ antiquitatis radicitus euellere contendentes, omnium ſcriptorum auctoritatem eleuant, quicunque à parte noſtra ſtare dignoſcuntur. Beroſus & Manethon in ſua vetuſtate venerādi authores, apud illos fictitii ſunt, ac meræ laruæ, & hiſtoriographorum inania ſpectra. Quarum fictionum inuentionem primariam, in monachorum familiam aut impudenter, aut certè (vt lenius aliquid dicā) imprudēter debacchantes reiiciunt. Illud cunctis in proſpectu eſt, monaſtici proceres ordinis nunquam paſſuros, vel priuati etiam nominis & honoris curam habentes, meras nugas poſteritati à ſuæ religionis profeſſorib⁹ in vulgum (mox pro ridiculis habendas) licenter emittere: cum inter eos plurimi eſſent viri & cultores honeſti, & inquirēdæ veritatis maxime ſtudioſi. Videāt obiurgatores illi, ne ab his quos ita ſuis proſcindunt latratibus, digna factis recipiant. Quid enim obtrectatori dentem dente iuuabit rodere? Carne opus eſt ſi ſatur eſſe velit. Non recipimus (inquiūt) Beroſos, Hūnibaldos, & alios complures monaſticū ordinem profeſſos. Quid ſi viciſsim audiant,

Non licet aſſe mihi, qui me non aſſe licetur?

An non erit iſtud dignum patella operculum? Satius itaque forſan videbitur audire ſua verba pronūciantem Beatum Rhenanum, ne quis ea quæ diximus, commentitia putet. Sic ille habet ſuæ illuſtrationis Germanicæ lib. 2. Omnium ineptiſsimus eſt Annius quidam in Beroſum, authoris fabuloſi fabuloſior interpres. Nam quoties ille hircum mulget, iuxta prouerbium, hic cribrum ſupponit. Non nego tamē doctum fuiſſe qui nobis Beroſum effinxit, quiſquis fuit. Nam ita rem temperauit, vt non cuiuis impoſtura ſtatim ſuboleat. Is legerat apud Tacitum Germanos dicere Herculem apud ſe fuiſſe: quare quùm forte deeſſet nomē regis, aſſcripſit, Apud Tuyſcones regnat Hercules Alemānus. & hunc Teutanis filium facit. Annius nugis nugas cumulans, Hebraicam etymologiam, ſi diis placet, affert ex Talmudiſtarum arcanis literis. אלך enim alueū ſignificare, & Mānum eſſe Rhenum. proinde dictos Alemānos, quòd ad Rhenū habitent. Bona verba quæſo o Beate. Æquô animo eſto, donec ad ſingula tibi reſpondeatur. De Beroſo cuius tantum eleuas auctoritatem, tibi ſatiſfactum puta ex his quæ chronographus conterraneus tuus Munſterus nobis nulla in re familiaris libera voce teſtatus eſt, hęc ad verbum referens:

Beroſum quidam reiiciunt, idque ob id quòd ille liber ſub eius nomine euulgatus, non concordet cum reliquis ſcriptoribus. Quicquid ſit, hoc vnum ſcio, quantum attinet ad hebraica vocabula (que multa ſunt in eius fragmentis) nullam in eis inueniri impoſturam, quin hæc cogunt me fidem adhibere authori, & libro eius, potiſsimū quòd eo tempore quando Beroſus per monachum quendam eſt publicatus, nemo fuerit inter Chriſtianos qui hebraicā calluerit linguā. Alioquin quis indoctis monachis dixiſſet, quid Eſtha, Maia, Arecia, & Ruha ſignificauerint, qui linguarum penitus rudes fuerunt? Non tamen

inficias eo, quin bono authori aliquid falſi ſit admixtum.

Habes rationem qua facilè conſtitui poſſit, Beroſi authoritatem ſartam tectam apud poſteros conſiſtere & debere & poſſe. Idemque de Manethone Ægyptio chronographo ſentiendum ex Euſebiano calculo(cuius apud omnes non leuis eſt authoritas)palam cognoſcitur ſub annum mundi 2530. Quin potius quem negas eſſe hunc, verum probat eſſe Beroſum.

De Annio Viterbienſi, quem atrociter inſectaris, nihil eſt quòd tantopere eius authoritatē imminuere, aut certè ſi queas, ſupprimere fruſtra labores. fides enim aſſertionum ſuarum vniuerſa pendet ab his quorum teſtimonia citat authoribus, Tito inquā Liuio, Diodoro Siculo, Q. Fabio, Catone, Philone, ac reliquis non infimæ claſsis ſcriptoribus. Quos qui deteſtatur, improbè venerandæ apud omnes antiquitatis ſacroſanctā lædit authoritatem. De Monaſtici ordinis proceribus, quos tanquam per omnia fabuloſos pleno ore traducis, illud ſcire te oportuit, culpa non diſsimili magna ex parte laborare quos tu pro teſtibus citas authores. Pleraque in Plinio fabuloſa deprehendas, in Liuio aſſentatoria, in L. Floro non pauca nihil aliud quàm tetrum liuorem ſubolentia: in Solino (ſi elegātiam adimas) à communi hominum & ſenſu & opinione ita diſcrepātia, vt vtilius contemnantur quàm legantur. Secernēdum igitur eſt precioſum à vili, probúmque ab improbo, poëticè effictum à priſcorum apud omnes recepto pronunciato. Nec enim paſsim, (vt eſt in prouerbio) nec omnia, nec ab omnibus. Miranda enim canunt, non prorſus credenda, ſed nec omnino reiicienda, poëtæ: præſertim quando non ſine cortice veterum ſcriptorum ad hæc vſque noſtra tempora receptorum, veluti in quodam flumine natare ſolent. Nam & quos tu ipſe citas authores, quandoque vanitatis, aliquando verò aſſentationis ac hyperbolicæ aſſertionis pro tuo notas arbitrio. Quódque minus fidei meretur, tuis illos affectibus ſeruire compellens, eorum non verba tantum, imò & iuſtas ſententias, pro tuo nutu ac renutu miro ſupercilio inuertis & contorques. Quaſi vero ſatis ſit dixiſſe, mēdoſos eſſe codices omnes præter vnum quem apud te retines, priuata cuiuſdā manu aut emendatum, aut certè corruptum codicem. Sed hic non augure opus eſt, ſed Apolline nobis: qui certius quàm ipſe feceris, nouellæ tuæ interpretationis rationem reddat. Sidonium Apollinarem, Claudianum, Marcellinum, alioſque complures, non tam ſua ipſorum mēte quàm & ore & ingenio alienis loquentes nobis obtrudis, qui nullius ſumus addicti iurare in verba magiſtri. Si quid mutādum ex authorū collatione, nō ex tuo ipſis augurio pēdeat neceſſe eſt: alioqui inuerſio eſt, non verſio. Nullum agnoſcimus Pythagorā, cui tantū debeamus, vt dixiſſe ſufficiat: Hoc magiſter pronunciauit. Reſtat igitur, vt in tuis ædibus potius quàm in externis, exerceas principatum. Quem cum impetrare nequeas apud omnes, ſatius fuerit vt tu tuo per nos, nos verò noſtro per te ingenio ac libero fruamur iudicio.

Vt autem exitum aliquando breuiorem cauſa inueniat, donemus te id aſſequutum, quod magna animi audacia præſtitiſſe confidis, magno videlicet authorum conſenſu demonſtraſſe Frācos à Sicambris prodiiſſe tam vlterioris quàm citerioris ripæ Rhenenſis accolis, id quod ex Ptolemæi Coſmographi deſcriptione conſtat: nunquam tamen reuinces eos qui altius Sicambrorum originem repetentes, multis teſtimoniis oſtendunt mediæ ætatis Sicambros, altius repetita origine à peregrè profectis poſt excidium Iliacum Troianis traiecto

iecto mari Helleſpõtiaco Scythicas paludes incoluiſſe, Sicambriam poſt hæc in Pannonia extruxiſſe, quæ labẽtibus annis Buda ſit appellata, demumque ad Rheni fluẽta perueniſſe. Qui enim quod ait, hoc probat adeſſe, non ſtatim demonſtrat id quod aſſerimus nunquam fuiſſe. Fuere Sicãbri primùm Troiugenæ, ſubinde vero Scythæ Mæotidis accolæ paludis: qui tãdem ex Danubii oſtiis profecti ſibi nouas ſedes quærentes Antenore duce, ad Rheni fluenta ex Ptolemæi deſcriptionẽ conſederunt. Quæ ſententia veterum authorum teſtimoniis nec paucis nec modicis facilè comprobatur. Argumẽto ſunt Pharamũdi inſignia in candida area tribus inſignita buffonibus. Candida illa area Mæotidis paludis faciem ſuo candore deſignat. Buffones nil aliud quàm paluſtria loca planè demonſtrant. Quæ inſignia fœlicioribus agris adeptis, liliorum imagine auſpicatiora euaſerunt tum primum cum ex Scythis & Sicambris conflata eſt Gallofrancorum ſub protochriſtiano Clodoueo diuino nutu nunquam interitura gloria. Huius rei fidem indubiam faciunt qui mox citandi ſunt à nobis authores. Præter enim Beroſum, Manethonem, Ioãnem Marium, Tritemium Viterbienſem, vnus ex multis ſe offert Sigebertus Gemblacenſis ſuo citandus loco. Teſtis nobis erit in C. Mario Plutarchus, pro eiſdem habitos multo ante ſuam ætatem tempore Cimbros: qui & Cimmerii dicebantur, atque etiam Celtoſcythas: qui traiecto Mæoti flumine in Aſiam irrupiſſent. Quo apparet, ex Mæotide ſeu fluuio ſeu palude aliquando prodiiſſe Celtogalatas, priſcamque inde traxiſſe originem: id quod paſsim Galliæ annales magno conſenſu pronunciant.

De Sicambris vero Strabo libro 7. non pauca retulit, Sugambros eos appellans. Sic enim ait: Ea Germanorum regio quæ ad Aquilonem vergit, ad Oceanum pertinet. Cogniti autem ſunt qui ab exitu Rheni vſque ad Albim initium capiunt: è quibus celeberrimi ſunt Sugambri Cimbrique.

Vides Sugambros & Cimbros non magno diſcrimine haberi. Porrò Cimbros latrocinando incertis ſedibus erraſſe, aduſque etiam paludem Mæotim priſcis aliquando temporibus militiam agitaſſe, idem ex Poſidonii teſtimonio nõ obſcurè teſtatur: vnde & Cimmerius vocatus eſt Boſphorus, aliàs verò Cimbricus: quo nomine prædones interpretantur. Quanquam & Strabo ipſe Sugambros Rheni amnis accolas alio aſſerit loco.

Quo datur intelligi Sugambros è Scythia primùm traiecto Danubio, poſtmodum Rheni ripas obtinuiſſe. Id quod ex Ptolemæi coſmographia notius eſt, quàm vt probatione indigeat: modò ne quis diffiteatur, priſcam Sicambrorum Cimbrorúmve gentem è Scythia paluſtribuſque Mæotici fluminis locis originem traxiſſe. Et hi ſunt qui Helleſpontiaco mari traiecto, è Troia profugi, Scythiam incolentes, poſtmodum fœlicioris ſoli deſiderio allecti, traiectis Danubii oſtiis, Rheni ripam vlteriorem, ac deinde traiecto Rheno citeriorem obtinuerunt: quæ nunc Brabantia dicitur, & Gueldria. Et hi in Francorum & nomen & germen lapſu temporis defluxerunt, quantumuis refragetur Albertus Crantzius: qui quod rationibus nequit, conuiciis obtinere nititur. Dum autem Gallicam gentem arguit leuitatis & timoris, ſuam ipſius feritatem minimè agnoſcens, trabem in oculo ſuo non videns, ſeipſum manifeſtæ cæcitatis arguit.

Illud quoque libet attexere: quod de Galloſcythis Adriæ accolis

idem Strabo diſertis verbis recenſet, ad hunc omnino modum:

Vt autem Ptolemæus Lagi perhibet:ad Alexandrum Galli Adriæ vicini,amicitiæ & hoſpitalitatis gratia conuenere:quos cum rex ipſe comiter excepiſſet, in conuiuio percontatus quidnam eſſet quod ii maximè pertimeſcerēt, illos ratus ſeſe ipſum reſponſuros:illi reſponderunt,nihil aliud,præſtantiſsime rex, quàm ne ſupra nos cœlū ruat. nihilominus tanti principis amicitiam ſe plurimi facere. Hæc ſunt ſimplicitatis Barbarorum ſigna. Qui cum deſcenſum in inſulam minimè conſecuti fuiſſent, miſsis muneribus amicitiam conciliarunt: neminemq́ue timere dixerunt, ingentium virorum familiaritates maximi facientes.

Qua in re temperatius ac modeſtius intra propriam pelliculam ſe continuit vnus ex recentioribus Ioannes Nauclerus:qui in mediis controuerſiarum variantium, quandoque etiam inter ſe pugnātium opinionum fluctibus, rectum clauum tenens, complicato velo rem totam in medio relinquit. Reſtat nodos diſcutere, ac etiam ſoluere quibus ea quæ ad præſens defenditur ſententia, non tam verè quàm in ſpeciem aut ſupprimi poſsit, aut obnubilari. Eius verba referam, quæ ſunt huiuſmodi: Quòd autē Sicambri,quos C. Iulius transmiſſo Rheno perſequi ſtatuit,à quoquam tum Frāci nominati fuerint, aut Francia aliqua extiterit,probatu erit difficile.Nam ſi fuiſsēt binomii, puta Franci Sicambri, id minimè latuiſſet maximos authores eorum temporum, C. Iulium, Suetoniū, Strabonem, Cornelium Tacitum, Florum,aut Ptolemæum, apud quos Sicambrorum frequens memoria habita eſt, non etiam Francorum, quod ego inuenire potuerim. Quî enim fieri potuit,ſi tam celebre nomen Sicambrorum fuiſſet, vt non verbū aliquod tantis ſcriptoribus de his excidiſſet? Interim prædicta vera puto, donec veriora videro, non tamen contendo aliter, ſatius ducens alieno ſenſui cedere, quàm contentionibus deſeruire, & quia plus vident oculi quàm oculus. Hæc ille. Quid quòd ſuſpenſum teneat iudicium? tantum abeſt ne reprobem, vt maxima Nauclerum vel hoc vno cādoris ac modeſtiæ nomine, commendatione dignum exiſtimem. Id nihilominus leui manu dilui poteſt,quod obiicit, Romanos ſcriptores Frācorum ex Sicambris originem aut minimè ignotaturos fuiſſe (ſi ita res ſe habetet) aut ſi ſciuerint, huiuſce antiquitatis monumenta nullo vnquam ſilentio obumbtatutos aut obnubilaturos fuiſſe.Ego verò vtrūuis facilè admiſerim. Quid enim credibilius quàm quòd ignorauerint, ad quos vix vlla vel de nomine ſolo memoria peruenerit, Beroſi, Manethonis, Chaldæorúmve aut Hebræorum, & qui ſunt priſcæ hiſtoriæ ſcriptores? qui perpetuò ſub nube ignorantiæ latuiſſent, niſi Hebræus ille Ioſephus præſtò nobis adfuiſſet cum face, qui nomina authorum priſcorum ex antiquitatis profundæ tenebtis contra Appionem grammaticū ſuæ luci reſtituit. Rurſum, vix credibilius quicquā efferri poteſt, quàm quòd ſciuerint illi quidem priſcas gentium origines, quas tamē cum haberent in digitis,liuoris inuidiæq́ue magis ſtudio, quàm veritatis amore perſuaſi, ne quid externæ gloriæ, domeſticæ laudi detraheret, ptinaci animo ſuppreſſerint.Id certè vero ſimillus eſt,quàm vt probatione indigeat. Alioqui mirū eſt q cum Moſis nomē frequēs eſſet apud eos, iuxta illud: Tradidit arcano quodcūq; volumine Moſes,ne vnā quidē ſententiam ex eo citare dignati ſint. Idem de Chriſti Euāgelio nec verbulum vnum,niſi forſan ad contumeliam, in lucem edere curarunt. Idem de Salomone,deq́ue prophetis dicendum occurrit.Obturabat,

Iuue.ſat.14.

enim malæ mentis animique peruerſi liuida contagio os eorũ & linguam. ac per hoc facilè eluditur Naucleri parum efficax argumentum. Id quidem ex Budæo partim, partim verò ex chorographo Munſtero diſertis verbis colligitur:

Strabo (ait ille in ſuo aſſe lib. 4.) Moſen non magum fuiſſe dixit, ſed oraculis deditũ, quales fuiſſe Amphiaraus & Orpheus & Muſæus leguntur. Iuſtinus hiſtoricus, Ioſeph in Ægypto magicas artes edoctum, cito inſinuatũ apud regem fuiſſe dicit: cuius auctoris epiromen tricesimamſextam qui legerit, & Cornelij Taciti librum vnum & viceſimum, facillime intelliget ſemina quædam veritatis per totum orbem diſſeminata fuiſſe, ſed præimbuta mendaciis Ægyptiorum: quo factum eſt vt hiſtorici Græci & Latini vaniſſimi interdũ à nobis fuiſſe deprehendantur, qui ſacram hiſtoriam & incorruptam habemus. In quo profecto eorum vicem dolere deberemus, niſi in pleriſque eorũ improbam mentem cerneremus, blandiente ſemper ipſis in Iudæos maledicẽtia ob vnius Dei cultum. Sed inuidia vecors aduerſus Chriſtianum nomen Tacito, Suetonio, & Plinio iuniori fuit. quanquam cum fuerint illi æquales, maledicta eorum ſacrilega ac nefaria etiam inuicem colliduntur. Tranquillus in Nerone, Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ ac maleficæ. Tacitus decimoquinto de incendio vrbis loquens per Neronem excitato, Ergo abolẽdo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos propter flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaque in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat non modò per Iudæam originem eius mali, ſed per vrbem etiam. Et poſt aliquot verſus enumeratis cruciatuum generibus, Vnde, quanquã aduerſus ſontes (inquit) & nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur. O hominem nefarium Tacitum, aduerſiſque placitis prouidentiæ genitũ, qui æqualium ſuorum ſenſui ſeruiens, non ſuo iudicio, prodere hoc exemplum nefariæ mentis non veritus ſit. En vides quouſque ſerpat zelus & inuidia eorum qui Romanas texuerũt hiſtorias: vt qui tantum ſibi indulſerint, vt nihil intactum relinquentes, ſacra omnia iuſta ac prophana vel ſilentio obſcurarint, vel blaſphemis ſuis latratibus, vitreo tamen fulmine, & irrito conatu contaminare ſtuduerint.

I nunc & dicito nihil eſſe in orbe geſtum ſculptúmve aut pictum, niſi quod ipſi pronunciarint. Conqueritur ſuper hoc, communi nobiſcũ oblata occaſione, de huiuſmodi ſcriptoribus Sebaſtianus Munſterus in re ſua Germanica, in hæc verba:

Cogimur hic fidem dare maiorum noſtrorum hoſtibus, qui proculdubio ſæpe falſa pro veris ſcripſerunt, vt eſt ingenium omnium hominum, ſua detorquere, ne dicam deprauare, in hunc finem, vt maiorum ſuorum mereantur fauorem & gratiam: aduerſariorum autem etiam bene facta extenuare, aut penitus in nihilum redigere. Habuerunt Romani principes plurimos aſſentatores, qui ſolam ipſorum quæſiuerunt gloriam atque victoriam, & facta eorum mitis euexerunt laudibus, ſubticentes interim ea quæ Romanis à Germanis illata ſunt, quoties ſcilicet ſuccubuerint, & quàm grauibus ſæpe ab eis affecti fuerint damnis. Id quod in hunc vſque diem euenire ſolet. Quoties enim ab aduerſis partibus bellũ aliquod inter eas cõmiſſum deſcribitur, nemo non ſuæ gentis aut partis colorat factũ, aduerſæ autem partis verba & facta aggrauat, atque omnes circunſtantias meti-

tur,quibus rem ipſam atrociorem faciat. Et hinc eſt quòd in hiſtoriis tanta ſæpe eſt diſcordia. Nam nemo ferè non ſcribit ex affectibus.

Demum quantũ velint obſtrepant, ſeque ipſos atra bile conficiãt noſtræ ætatis zoili ſibi indulgentes,inque alios plus iuſto ſeueri:nunquam tamen efficient vt non idem liceat Gallicam texentibus hiſtoriam, quod primæ etiam claſsis hiſtoriographis ipſiſsimo eorũ teſtimonio licuit,nempe Tacito,Tranquillo, Liuio, Halicarnaſſeo, Ammiano denique Marcellino, & reliquis: quorum vnus ſuas decades, annales alius, quocũque nomine cenſeãtur,ex chartulis,ſchedis,minutuliſque vndecũque fruſtillatim mẽdicatis,in iuſta volumina conferſerunt, dum ſe accingunt ad texendam continuam rerum geſtarum ſeriem. Nobis itaque æquo cum cæteris iure licere contẽdimus, ex vetuſtatis monumentis,vernaculis etiã annalibus,ac vetuſtis quorumcunque ſeu ſcripturæ picturæ ſculpturæve documẽtis, genti Gallicæ peculiarem conficere hiſtoriam. Quibus id dolet, ſi aliud non habent, cepas edant. Hac vna ratione lenienda venit ira Crantzii Alberti vni Gallico infenſa nomini,ſi tamen admittit, quãdò nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſsit, ſi modò culturæ patientem præbeat aurem. ſin minus, hac vna iuſta ratione victus debellari poterit. Is inquam omnibus & ſolis Gallicam texentibus hiſtoriam ex æquo infenſus,nihil aliud quàm mera fulgura aut fulmina crepat,ſibi interim atque aliis maximè indulgens. Præſtiterit forſitan audiiſſe beſtiam ſua verba reſonãtem. Quis mirabitur hũc hominem vana de VVandalis ſcripſiſſe, quãdò tam multa commẽtitia de ſuæ gentis, hoc eſt,Francorum origine,contradidit? quod etiam alio loco monſtrauimus. Troianam, inquit,originem habuere Franci:Sicambriam ad Mæotidas paludes vrbem inſignẽ coluere: vnde Valẽtiniani iuſſu expugnauere Alanos:quo merito per decẽnium tributo liberi fuere: ſed exacto tempore illo,cum cenſum negarẽt,ab eodem imperatore expugnati, in Germaniam tranſierunt. Hæc eſt Gallorum omnium cantilena ab Roberto renouata. Troianos origine Francos quis credat, nullis per tot ſecula ducibus commemoratis? Quaſi nulla gens clara prodierit,niſi illa ſtirpe:de qua cum Romani glorientur,Franci quoque, ſi diis placet, eò ſe contulerunt. Sicambria verò non ciuitas ſed regio fuit:non ad Mæotidas,ſed Rhenũ, teſtibus Ptolemæo Straboneque,& in commentariis Cæſare. Sed eò confugiunt,vt geminã contendant fuiſſe Sicambriam:credamus,ſi vel vnum teſtem producant:ſed commentitiam rem eſſe ſequentia monſtrabunt. Hæc ille.

Qui cum Gallicam nullo diſcrimine gentem & temeritatis arguat & tumoris, vix diſcernere queas vtrum è duobus vitium in ipſo vno ſcriptore aut abundet copioſius, aut certè extra communem hominum aleam intemperantiùs redundet. Quid enim tumidius aut dici aut cogitari poſsit eo qui adeò ferus eſt, vt non miteſcere poſsit, nec bene culturæ patiẽtem præbeat aurem? Non hoc potius eſt eſſe plus quàm tumidum, addo etiam ſæuum & ferocem, gentem ex parte ea culpa vacantem, vno mucrone confodere velle, imò & ſeipſum ſuis etiam verbis mediũ ſecare? Si leuis eſt Gallus,nullo negocio leuique momento ira deferueſcẽte placatur.Contrà verò quid tumidius leonina ferocia,ac beluina feritate,quæ nec ſanguine fuſo aut ſedari poteſt, aut mitigari?

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Quid igitur facias homini tam exoculato,vt non id videat, manticæ vel quod à frõte, vel quod à tergo eſt? Componat prius animũ ſuum

omni talpa cæciorem, eiuſque tenebras depellat, qui in exterorum vitiis ita cernit acutum. Videri poterat hic homo exorabilis, ſi tamen veritatem admitteret: cuius rei cum ſpes nulla ſuperſit, iuſta acie debellandus erit. Ferat ipſe conditionem, quam vltro nobis obtulit: vt ſcilicet nobis credat vel inuitus, ſi rei de qua ad præſens cōtētio eſt, teſtimonia omni fide maiora, omni denique numero copioſiora, externa potius quàm domeſtica (ideoque minus ſuſpecta) in lucē protulerimus. Hic autem erit cardo cauſæ inter nos controuerſæ, quòd Galli illi vetuſtorum vetuſtiſsimi Samothei, Iliacam gētem ſua progenitura ediderint: Troiani deinde ſanguine ab Hectoreo, Helleſpōtiaco mari traiecto extorres facti, Scythiam Europæam incoluerint: ac lōgo temporis interſtitio ſedes fixerint ad Tanaim Mæotidaſque paludes: quibus mutatis ſedibus, ex Danubij oſtiis profecti Pannonicam Sicambriam tenuerint, idque probatorum authorū teſtimonio Antenore duce certis loco & tempore deſignatis. Antenore dico Hectoreo, non proditionis cum Ænea conſcio, qui mediis elapſus Achiuis tentauit Illyricos penetrare ſinus. Subinde vero Pannonii illi Sicambri, Sicambrico remanēte nomine, Tranſrhenanæ regioni (vt ex Ptolemæi tabulis liquidò apparet) agris incubuerint. Quorum portio, Rheno traiecto, Ciſrhenanæ Sicābriæ nomen indiderit apud Brabantinos Gueldrenſes, qui & Galli Rhenēſes & Cleuenſes. Quæ omnia ſuo ordine (adſit tantum æquus index) promptū erit demonſtrare. De Samotheis Gallis ſatis ſuperque prima atque altera perioche diſſeruimus: de Troiugenis verò præſens aderit Ammianus Marcellinus: Ambigentes ſuper origine prima Gallorum ſcriptores veteres, notitiam reliquere negotii ſemiplenam: ſed poſtea Timagenes & diligētia Græcus, & lingua, quæ diu ſunt ignorata, collegit ex multiplicibus libris: cuius fidem ſecuti, obſcuritate dimota, eadem diſtinctè docebimus, & apertè. Aborigines primos in his regionibus quidam viſos eſſe firmarūt: Celtas nomine regis amabilis, & matris eius vocabulo Galatas dictos. ita enim Gallos ſermo Græcus appellat. Alii, Dorienſes antiquiorem ſequutos Herculem, Oceani locos inhabitaſſe confines. Draſidæ memorant reuera fuiſſe populi partem indigenam: ſed alios quoque ab inſulis extimis confluxiſſe & tractibus tranſrhenanis, crebritate bellorum, & alluuione feruidi maris ſedibus ſuis expulſos. Aiunt quidam, paucos poſt excidium Troiæ, fugitantes Græcos, vbique diſperſos, loca hæc occupaſſe tunc vacua. Regionum autem incolæ id magis omnibus adſeuerant, quod etiam nos legimus in monumentis eorum inciſum, Amphitryonis filium Herculem ad Geryonis & Tauriſci ſæuorum tyrannorum perniciem feſtinaſſe, quorum alter Hiſpanias, alter Gallias infeſtabat: ſuperatiſque ambobus, coiſſe cum generoſis fœminis, ſuſcepiſſeq; liberos plures: & eos, partes quibus imperitabāt, ſuis nominibus appellaſſe. Vides Marcellinum aſſerētem Gallos quadam ex parte fuiſſe Troiugenas: & à reliquiis exciſæ Troiæ quadātenus deſcendiſſe. Quod etiam animaduertit qui Mediolanenſem texuit hiſtoriam Donatus Boſſus. Id quod ſupra attigiſſe meminimus. Qui & Sicambros ex Pannonia, Tridentina via, in Italiā perueniſſe ſcribit, citans in eam rem Gothofredi poëma in memoria veterum ſeculorum ita inquientem:

Nunc Mediolanos ſocios habuere Sicambri.

Quod vt notius euadat ac dilucidius, illud pro axiomate habendum eſt, quòd Sicambrici nominis gens & natio, tres (ex probatiſſimis authoribus) deprehēditur habuiſſe ætates: priſcam ſcilicet, mediam,

& neotericã. Priſcæ ætatis homines fuere Troës reliquiæ Danaûm, atque immitis Achillei. Qui ex Aſia Tanaim traiicientes, Europam penetrarunt, non longè à Mæotide palude. Quod cum pernegent hi quibuſcum mihi res agitur, Peutingerus & Nuenarius ſententiæ contrariæ aſſertores, reſtat, quod dicimus, authorum claſſicorum authoritate comprobare. Authorem igitur habeo Iuſtinum hiſtoricum lib. 12. qui Sicambros nominatim citans, tempore Alexandri magni multum armis valuiſſe refert. Et hi nimirum ſunt, qui ex Aſia transmigrarunt in Europam. Verba eius, ſi quis forte diffidit, referam, quorum etiam meminit Nauclerus in ſua Germanica hiſtoria: Alexander (inquit Iuſtinus) ad amnem Aceſynem pergit: per hunc ad Oceanum deuehitur. Ibi Geſonas Aſiboſque, quos Hercules condidit, in ditionem accepit. Hinc ad Ambros nauigat, & Sicambros: quæ gentes cum armatis 800. milibus peditibus, & 60. milibus equitum illum excipiunt. & quæ ſequuntur. Illic lethale penè vulnus Alexander accepit, vt Iuſtinus refert: cuius etiam accepti vulneris multa digreſſione meminit Quintus Curtius. Cenſet Nuremburgenſis chronographus ac recenſet hos eſſe Sicambros, quorum meminit Herodotus in ſua Melpomene, ſub inuolucro tamẽ nominis Scythici, vbi ait quòd Scythæ Cimmerios regione cedere coëgerũt. Conſtat (inquit ille) Cimmerios in Aſiã fugiſſe. Et rurſum: Cimmerii quidẽ fugientes, iter ſemper ſecundum mare tenebant: Scythæ autem eos ad dexteram Caucaſum habentes inſequebantur ingreſsi Mediam, itinere in mediterranea conuerſo. De Cimmeriis autẽ ſic habet. Extant in Scythia tum muri Cĩmerij, tum portoria Cĩmeria, tum Boſphorus qui Cimmerius appellatur. Sed ad rem iſtã propius apertiuſque accedit Strabonis nullis inuolucris adumbrata narratio. Lib. ille 7. ſic ait. Non male profectò coniecturam facit Poſidonius, quòd latrocinando incertis errabundi ſedibus Cimbri ad paludem vſque Mæotim militiã agitarint. ab eis enim Cimmerius vocatus eſt Boſphorus: quaſi Simbricus, cum Græcorũ lingua Cimmerios, Cimbros nominent. Idem verò Strabo Cimbros Sicambris coniũgit, quos alterato paululum nomine Sugambros appellat. Cogniti (inquit) ſunt qui ab exitu Rheni vſque ad Albin initiũ capiunt, è quibus celeberrimi ſunt Sicambri, Cimbrique.

Quod autem Sicambros Rheni accolas dicit, id quidem verum eſt, ſed poſt mutatas ſedes, longamque peregrinationẽ ab orbe Scythico ad Germanicum. Idem enim Aquilonares Getas enumerat, dicens: Poſtmodum extenditur latius ad Aquilonem vſque ad Tyrrhegetas. Certos vero terminos proferre non poſſumus. Moxque ſequitur: Qui Riphæos montes, & Hyperboreos narrauere, digni quorum ſermones admitterentur, habiti fuere.

Getas autem à Græcis Thraces opinatos, qui vtrunque Iſtri latus incolerent, Strabo recenſet, his adiungens Myſos Lydoſque & Phrygas & Troës.

Vt iam nõ dubites Troiugenas appellare Sicambros. Quin & his Gallicas gentes admiſcet Strabo, his verbis: Qui pro domo (inquit) plauſtris vtuntur, Scythæ ſunt ac Sarmatæ. Hæ enim nationes, Thracibus hac tempeſtate promiſcuæ ſunt, & Baſtarnæ magis his qui extra & intra Iſtrum ſunt. Cum his miſcentur Gallicæ gentes Boij & Scordiſci & Tauriſci. Tauriſcos vero quidam Ligiriſcos vocant: vt intelligas priſcos Gallos, Boios ex Borboniorum genere, Ligiriſcos verò Ligeris fluminis accolas, Scythicas illas penetraſſe regiones.

Iam verò ex Mæoti aliò tranſmigraſſe Sicambros, argumento eſt quod Michael Ritius in regibus Hungariæ tradidit,ita diſſerens: Atti la mox in Pannoniam rediit:eiuſque fratrem Budam ſua manu iugulauit,per cauſam,quòd is in ſe nouas res molitus eſſet:armiſque depoſitis apud Sicambriam(quam Budam vocāt) quinquennio quieuerit. Hoc ipſum iteratò confirmat,quod ait: Magnis vndique comparatis copiis,in Sicambriæ finibus acti prælio cum externis militibus Hunni inter ſe pugnauerunt. Ex quo colligitur Sicambros alias fixiſſe ſedes in Pannonia Hungarica. Tranſmigrarunt nihilominus vſque ad ripam Rheni Germanicam & Gallicam,vlteriorem ſcilicet & citeriorem. Nam & Gueldrenſes Sicambri appellati ſunt, quos tamen rectè vocaueris Gallos Rhenēſes.Sunt enim in Belgia ſiti,& ripæ citerioris Rheni accolæ.

Hic habes tres Sicambrorum ętates.Priſcam apud Męotin,mediā apud Pannoniam Hungariæ,nouiſsimā in citeriore & vlteriore Rheni ripa.Quo fit, vt Gueldrenſes dicantur iure Sicambri, ſed longo à priſcis Sicambriæ patribus temporis interuallo diſsiti:maiore ſcilicet diſtantia,quàm ſint vel trinepotes vel quadrinepotes,imò(ſi ita dicere liceat)decanepotes,à ſuis maioribus ſeparati.Quibus ita ſe habentibus,liquidò conſtat Francos(qui & ipſi Sicambri fuere,à prima ſuorum maiorum ætate)non fuiſſe Germaniæ indigenas, verùm potius alienigenas & aduenas. Vnde & error manifeſtus aduerſariorum deprehenditur.De Tacito quod obiiciunt,irritus eſt labor :non enim tā credit quàm hæſitar,rem in medio relinquens Cornelius,modò vnū, modò aliud proferens,potius quàm aliquid priuato nomine pronuncians.Qui enim ait, Ipſos Germanos indigenas crediderim minimè aliarum gentium aduentibus & hoſpitiis mixtos: idem tamen recenſet nonnulla quæ apud Beroſum de Tuiſcone eiuſque ſobole Manno fuſius diſſeruntur.Quin & ipſe animi dubius refert Vlyſſem in Oceanum Germanicum delatum: cuius aduentus memoria indelebilis eſt Aſciburgium,ara quoque Vlyſſi conſecrata adiecto Laertæ patris nomine.Tandem æſtu opinionum agitatus,nihil definiens ait: Ea neq; confirmare argumentis,neque refellere in animo eſt.ex ingenio quiſque ſuo demat vel addat fidem. Languet itaque Taciti in ea cauſa elumbis aſſertio.ita credit,vt neque id crediſſe videri velit.Quin & alio ipſe loco ait:Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos.

Non igitur omnes ſunt indigenæ,qui Germaniā incolunt:id quod de Sicambris plurimis argumentis teſtatum volumus. Quóque res illuſtrior euadat,audi loquentem Tacitum:Hercyniam ſyluam, Rhenumque & Morum amnes Heluetii, vlteriora Boii, Gallica vtraque gens,tenuere.Manet adhuc Boiemi nomen, ſignificatque loci veterem memoriam, quanuis mutatis cultoribus.Habuit igitur priſcos alienigenas Bohemia.Et hi ſunt, quos multis argumentis probabitur fuiſſe Sicambros.Sed & in hoc vacillat,dum ait:

Vtrum Arauiſci in Pannoniam ab Oſis Germanorum natione, an Oſi ab Arauiſcis in Germaniam commigrauerinr,cum eodem adhuc ſermone(ſubaudi Pannonico)inſtitutis,moribus, vtantur,incertū eſt: Mirum autem, quòd dicat incertum: cum euicerit eos linguæ idiotiſmo fuiſſe alienigenas.

Fuere autem Sicambri,id quod ex profeſſo ſtatuimus, Pannoniæ incolæ.Sed nec id omnino diſsimulare potuit Rhenanus,qui in Taci tum ſic ait: Hæ (inquit) inſulæ, & hi ſinus Francos nobis dedere

& Saxones, illáſque gentes quaſdam quæ ex littoralibus & inſularib⁹ mediterraneæ factæ ſunt. Prodiit ergo non modica Germanorum natio ab alienigenis. Quod ne quis diffiteri poſsit, ea omnia quæ de Tuiſcone, déque filio eius Manno triplici aucto ſobole à Tacito referuntur, dilucidè oſtendũt. Appellatur enim Mannus, gentis illius conditor, haud dubium quin alienigena. Quid plura? Quam fidem expectes ab eo, cuius mens & iudicium in vtramuis partem ex æquo pendet? Ait ille: Peucinorum, Venedorúmque & Fennorũ nationes, Germanis an Sarmatis aſſcribã, dubito. Quanquã (inquit) Peucini, qui & Baſtarnæ, ſermone, cultu, ſede ac domiciliis vt Germani agunt: nonnihil habent cum Sarmatis commune.

Et hoc ipſum eſt, quod ſupra de Sicãbris ac Sarmatis conſtituẽdũ deſiderabam⁹. Nã Baſtarnas authore Strabone Scythicę nationis fuiſſe, ex prædictis notũ fecimus. Nihil ergo eſt quod ex certo & liquido aduerſus eam quam de Sicambris ſtatuimus ſententiam obiici poſsit: quin potius vident coniurati illi ſuis ipſorum laqueis ſe interceptos. Tacitus à Germanis indigenis ſuo ſilentio Sicambros ſecęrnit, ſubindicans eos non indigenas fuiſſe, verùm potius alienigenas. Vti enim regula firmat exceptionem, ita & exceptio regulã. Firmat enim propoſitum, dum ſuæ opinioni intentus, probare contendit non potuiſſe exteras nationes pedeſtri itinere, ſed ſola claſſe marina inuia illa loca attigiſſe. Hoc enim eſt quod ipſi vltro agnoſcimus, Antenoridas Troianos è patria profugos, traiecto Helleſpontiaco mari Scythiam, ac deinde ex Scythia & oſtiis Danubij Sarmatiam, demúmque Germaniã penetraſſe. Quin & ipſe vltro agnoſcit heroëm priſcæ ætatis Herculem non ſine comitatu ſui in Germania incolatus vetuſta monumenta reliquiſſe. Hinc enim factus eſt põtus de Axeno Euxenus, hoc eſt de inhoſpitali hoſpitalis. Extant etiam vetuſtatis monumẽta, quale eſt Aſciburgium in Vlyſsis memoriam conditum. Argẽtuaria prætera, quæ hodie Columbarium dicitur in Alſatia, clauem Herculis pro inſignibus habet. Teſtatur hoc ipſum Sylua vltra Viſurgim Herculi ſacra. Itẽ & zuiccauia in Saxonibus, Cygnea olim à Cygno Herculis filio appellata. Non igitur tam infeſtus fuit Oceanus, vt peregrinarum in Germaniam gentium aditum penitus prohiberet: nec illa tam inculta & horrida, vt non ad eam exteri diuerterent. De externis cõiugiis quid attinet dicere, cum exteri ſecum iuſtas familias adueherent? Nam & Tuiſcon ille (cuius meminit Tacitus) ac Tuiſcones appellati, hodie Tudeſches, quid niſi externi erant, & illis (vt ſic dicam) barbari? Vt igitur probè differit Ioannes Lucidus in ſua chronographia, cuius peruiũ eſſe poterit Gallos Gomeritas à priſco Iapeto filio Noë, natu medio inter Sem ſagum, & Cameſem ignobilem, media ætate procreatum originem traxiſſe. Fuit autem Gomerus, Iapeti (à futuri latitudine imperij ſic vocati) primogenitus: quem ſequutus Samothes Dis (cui⁹ meminit Cæſar in commẽtariis) Samotheos Gallos à ſe denominauit. Qui vt cæteri, nunquam bilinguis fuit: neque enim auitum idiotiſmum, cæteris in aliud idioma defluẽtibus, deſeruit. Cęteri inquã fuere bilingues: ipſe verò monoglottos, vti de Heber apud Moſen legitur: ideoq; Dis cognominatus eſt Samothes, hoc eſt vnilinguis. Nec multo poſt ſecutus eſt Frãcus, à quo Galli & Francigenæ merito appellandi veniũt: ita vt potius Sicãbri à Francis Gallis prodierint, quàm Galli à Sicambris.

Fuere tamẽ (id quod res habet) Galli gemino titulo Franci: priſca ſcilicet origine Gomeritarum, ac deinde recẽtiori fœdere Sicambro-

rum cum indigenis Gallis, Gallis inquam Senonibus, cum ſcilicet fœdere percuſſo aduerſus Attilam Franci, qui & Sicambri, in vnam coaluere nationem: vt eoſdē meritò appelles Gallos priſca origine Francos, ac deinde communi inter Sicambros Gallóſque indigenas conſenſu, Gallofrācos. Quòd ſi obiicias Belgas vi & armis fuiſſe ſubactos, vt id nolim inficiari, ita & conſtanter aſſerere auſim non tam armis q̃ fœdere iurato Senonicam Galliam, gentémque Sicambricam in vnū coaluiſſe. Nam & antea Germani Gallorū, authore Strabone, appellati ſunt. Atqui hæc duo pugnant inter ſe, hoſtilitas & germanitas.

Vt autem ad rem redeam, Tacitus, qui fuerint indigenę enumerat, ne minima quidem Sicambrorum facta mentione: quo quid apertius quàm à Germanico genere tum exemptos fuiſſe Sicābros? Sunt autē Sicambri apud Ptolemæum in Germania ſiti, nominatímque inſcripti extra indigenarum aleam. Neceſſe ergo eſt vt dicantur alienigenæ, id quod res ipſa clamat: nempe Troiugenæ primùm & Antenoridæ, deinde Pannonij Sicambri, Germani quoq;, nouiſsime verò Galli Rhenenſes, Belgæ, atque vt hodie viſitur, Gueldrenſes. Hic nihil habet quod obiicere poſsit Rhenanus, cuius poſt Cornelium Tacitum verba recenſui. Nam præter enumeratos indigenas, alios in Germania fuiſſe aduenas teſtis eſt totius ſchola geographiæ: à qua nec Strabo diſsidet, nec Tacitus.

Multus eſt Strabo in Sicambrorum gente commemoranda lib. 7. Ait ille: Quędam gens in profundam regionem tranſmigrans peruenit, ſicut & Marſi cæteri pauci ſunt, & Sugambrorum portio. Sugambros dixit pro Sicambris. Idémque multo poſt ait: Sunt alij Germaniæ populi indigentia magis laborantes, Cheruſci, Catti, Gamabrinij, ad Oceanum præterea pertinētes Sugambri. Rurſúmque paulo poſt: Cæterum Sugambri vicini Rheni amnis accolæ, belli exordia factitarunt. Hæc ille. His ita ſe habentibus, non obſcure colligitur, Francos, qui & Sicambri fuere, ab ipſis Troianorum reliquiis potius quàm ab indigenis Germanis primæuam traxiſſe originem. In qua opinione firmáque ſententia etiam ante Romani initia imperij conſtat fuiſſe Aruernos. Huc inclinat notiſsimum carmen Satyrici:

Aruerni Latios auſi ſe dicere fratres.

Cui ſuccinens Sidonius Apollinaris ait:

Eſt mihi, quæ Latio ſe ſanguine tollit alumnam
Tellus clara viris.

Tollit, inquit, non fictè, ſed merito. Id quoq; de Aruernis adiungens:

Hanc Aruerne colens nulli pede cedis in armis:
Quos vis vincis equo, teſtis mihi Cæſaris eſto
Hic nimium fortuna pauens, cum colle repulſus
Gergouiæ, caſtris miles vix reſtitit ipſis.

Auſi ſūt Galli Aruerni (id quod res ipſa habet) Latios ſe dicere fratres ſanguine ab Iliaco. Audent & Franci ſe Trougenas dicere Antenoridas, vti & Romani ſe dicunt Æneadas. à communi enim ſtipite Troianorum omnes prodierunt. Quam ſententiam multis ita fultam indiciis, vetuſtatíſque monumētis ſtabiliuit Hubertus Thomas Leodius in cap. de Sicambris. Qui & ipſe vetuſtatis Troianæ multa indicia profert, ex vetuſtis nominibus collecta, vt ſunt Foreſta Dardanię, Dionantum, Diones Veneris templum à Tungari Troiano duce & Tungrorum conditore conſtructum. Pro Sicambris opinionē auget Xanthum oppidum in Cliuis nō procul à Paſsiburgio. Fuit autē Xāthus fluuius Troiæ, poëtarum memoria inſignis: cuius meminit Ver-

gilius Æneidos 1.

Ardentéſque auertit equos in caſtra, priuſquam
Pabula guſtaſſent Troiæ, Xãthúmque bibiſſent.

Idem de Phryſia non leui argumento coniectat, quę olim Phrygia dicta ſit: déque Groninga in Phryſiis, à Grunnio Troiano condita. Habet itaque aurhor ille pro conſtanti, Troianos à Troia profectos pri' in Scythiam, Sicambrorúmque nomine penetraſſe Hungariam, ac deinde numero auctos ad Rhenum ſedes quæſiuiſſe: quibus minime contentos, fertiliorem penetraſſe Galliam.

Id nõ diſsimulat Baptiſta Mantuan' in opere ſuo Dionyſiaco, cũ ait:

In noua iurabunt Franci Germanica proles:
Si genus inſpicias longum, Troiana propago.

Et hi ſunt quorum meminit Horatius his verbis:

Te Cantaber non antè domabilis,
Meduſque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela præſens
Italiæ, dominæque Romæ.

Scythas profugos inſinuans, dum ait:

Te Dacus aſper: te profugi Scythæ.

Nempe ex Troia in Scythiam, rurſumque ex Scythia in Germaniam: poſtmodum dicti Sicambri. moxque ſequitur:

Te purpurei metuunt tyranni. Et rurſum:
Te non pauentis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberię:
Te cæde gaudentes Sicambri,
Compoſitis venerantur armis.

Alludit & iſtud:

Non qui profundum Danubium bibunt
Edicta rumpent Iulia, non Getæ,
Non Seres, infidive Perſæ,
Non Tanaim prope flumen orti.

Meminit & Sidonius in panegyrico maiorum dicens:

Tibi maxime fluctu
Eridane, & flauis in pocula fracte Sicambris
Rhene tumens, Scythiæque vagis equitate cateruis
Hiſter, & ignotum plus notus Nile per ortum.

Idem in epigrammate:

Detrũſus Vvahalim bibat Sicamber.

De hac Rheni ripa ſupra nonnihil attigimus. Idem alio loco:

Tungrumque & Vvahalim, Viſurgum, & Albim,
Francorum & penitiſsimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.

Rurſũmque lib. 4. Sicãbrorum nomẽ celebrat Horatius hoc carmine

Concines maiore Poëta plectro
Cæſarem, quandóque trahet feroces
Per ſacrum cliuum merita decorus
Fronde Sicambros.

Feroces appellat, quia fuit aliquando vt Centuriones Romanos qui ad extorquenda ſtipendia miſsi erant, vi retentos crucis ſupplicio exterminarent.

Ex his longo verborum ſyrmate deductis, conſtat quid de Sicambrorũ origine tenendum ſit: quos etiã Francos fuiſſe, id atteſtantibus

aduerſæ etiam partis fautoribus, luculenter ſatis apparet. Potrò non tam arroganter aut temere, quàm conſtanter ac verè, Aruerni Latios auſi ſunt ſe dicere fratres, & id quidem ſanguine ab Iliaco. Audierat hoc ille poëta, & fama fuit, fama inquam conſtans & fixa, nō leuibus innixa veterum ſcriptorum fundamentis, Gallos ſcilicet fuiſſe Troiugenas. Eam itaque ipſam ſententiam vel inuitus confirmat poëta, atque (vt ſic dicam) reprobando comprobat, qui ait:

Aruerni Latios auſi ſe dicere fratres
Sanguine ab Iliaco.

Quòd ſcilicet hi ab Ænea, iſti ab Hectore progeniti ſint. Id enim dū diſſuadere conatur, ſatis oſtendit, ſua ętate, conſtanti memoria, famáque percelebri per ora hominum paſsim volitaſſe, quòd à Troianis Galli proceſſerint. Quin vt & aliquid amplius dicam, iure & eo quidem iuſtiſsimo audebunt Gallofranci nō tam Latios ſe dicere fratres ſanguine ab Iliaco Æneæ progenitos, imò verius Priamidas ſanguine ab Hectoreo. Quantum verò diſtet iſtud ab illo veluti præſtantius atque illuſtrius, teſtem in eam rem citabo Friſingenſem Ottonem, cuius ſcripta ipſis etiam Germanis pro oraculis habentur. Sic enim ille habet: Anno ab imperio Nini. 870. raptam fuiſſe Helenam, coniurationémque factam aduerſus Troiam ferūt. Hinc decennalis obſidio, famoſúmque ſequitur Troiæ excidiū. Quod qui ſcire deſiderat, legat Homerū, eiúſque imitatorē Pindarum, ſeu Vergilium. Hinc Romanorum gentem duxiſſe originem ab Ænea profugo, & vt ipſe adulatur, viro forti: vt verò ab aliis traditur, patriæ proditore, ac necromantico, vtpote qui etiam vxorem ſuam diis ſuis immolauerit, vt ſcribit Vergilius. Ferunt etiam Francorum gentem ab eis traxiſſe principiū. Dum enim Troianorum principes incertis vagabantur ſedibus, plurimi eorum in Scythia conſederūt, tegémque ſibi creauerunt. Ac primo dicti Sicambri, poſtmodum elapſo tempore ſub Valētiniano imperatore, cùm ipſi propoſito ſibi libertatis præmio, vicinas imperio gentes ſubieciſſent, à præfato principe Attica lingua Franci ſunt vocati, à feritate, vel Franci à nobilitate. Lingua enim eorum Franco nobilis dicitur. Tradunt tamen quidam, à quodam Francone Troianorum principe, qui iuxta Rhenum conſedit, Francos eſſe appellatos. Monſtrátque in argumentum vrbem adhuc, quam ipſum conſtruxiſſe, patrióque nomine Troiam, fluuiúmque eius Xanthum vocaſſe aſſerunt: quæ poſtmodū à Sarracenis deſtructa, ac turſum à Chriſtianis reædificata, Xanthis vſque hodie vocatur. Hæc ille. Plura in eam rem nobis ſuppetunt atque etiam ſuperſunt ex ipſo eodem authore teſtimonia, quale eſt illud apud eundem lib. 6. cap. 28. de Cōrado imperatore natione Franco. Hic (ſcilicet Conradus) ex parte patris à Conrado VVarmacienſium duce (qui in prælio cum Hūgaris ſub Ottone habito occubuerat) proſapiam ducens, ex parte matris ex probatiſsimorum Galliarùm principum, qui ex antiqua Troianorum ſtirpe deſcenderant, & à beato Remigio baptizati fuerant, originem trahens: vxorem Giſilam nomine, de antiquo & glorioſo Carolorū ſanguine oriundam habuit, ſicut quidam his verſibus atteſtatur:

Quando poſt decimam numeratur linea quarta,
De Carlo magno proceſsit Giſila prudens.

Ottonis hæc verba ſunt: ex quibus penè ad nauſeam vſque recenſitis, nemo inficiari poterit Gallos prima origine fuiſſe Troiugenas.

Hæc ex eodem Ottone Friſingenſi præſule proferre libuit, etiam extra eorū aleam poſito, qui ex humili plebe procreati ſint. Fuit enim

duorum Cæſarum vnus quidem frater, alter verò patronus. Fuítq; vir omnium horarum, vtpote in ocio negocium, atque in negocio ſectatus ocium. Quin & ipſe ita hiſtoriæ legem ſeruauit, vt neq; cognatio veritati, neque cognationi veritas obſtreperet. Quòd ſi quis teſtimonium eius eleuet ob eam potiſsimum cauſam, quòd vnus ille ex numero cucullatorum fuerit, quorum authoritas apud quoſdam noſtræ ætatis argutulos cenſores nutare cenſeatur: id intelligant velim, plus fidei & authoritatis ineſſe viris qui nunquã à cœpto propoſito ſemel aſſumptæ religionis exorbitarunt, quàm excucullatorũ (quorum nũc plurima turba eſt) vacillanti teſtimonio: qui perpetua nota laborant deſertæ, quam perſanctè iurarunt, religionis. Ab immũdo enim quid mundabitur? & à perfido quid verum dicetur? Huius verò conſtãs eſt authoritas ponderibus ſubnixa ſuis. Nemo enim dubitauerit (niſi in quo ſenſum communem meritò deſideres) potius ſtandum eſſe teſtimonio virorum in ſua fide ac profeſsione conſtanter perſiſtentium, quàm eorum qui ſuæ perfidiæ conſcij, ſigna propria deſerentes, pro refugis ac retrogradis paſsim habentur, quíque eorum partes tuenatur. In quos propheta inuehitur, dicens: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes: quíque dicitis bonũ malum, & malum bonum: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Hic igitur author vnus nulla in re ſuſpectus, nobis erit inſtar omniũ. Quibus igitur illud dolet, ſi nihil aliud habeat quod ex patrio ſuo ſolo demetere poſsint, illos cepas edere iubemus: aut certè (quod magis optem) ab ea quam hactenus ſecuti ſunt æmulatione quantocyus diuertere, vt lubentes volentéſque redeant in eam à qua hactenus exorbitarunt ſemitã. Quod vtiq; velle debebunt, ſi ſapiant, aut reſipiſcãt.

Eſa. 5.

Quanto verò fœlicior fuerit Francorum cõditio, qui ab Hectoreo ſemine prodierunt, quàm qui vel ab Ænea, vel Antenore illo, qui potuit (vt poëta ait) mediis elapſus Achiuis Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus Regna Liburnorũ, ac fontem ſuperare Timaui: nobis etiam tacentibus, confidenter incunctantérque aſſeuerat Otto Brunſuingenſis libri ſuæ hiſtoriæ ſecundi cap. 25. Romanorum gentem duxiſſe originem ab Ænea profugo, & vt ipſe adulatur, viro forti, vt vero ab aliis traditur, patriæ proditore, ac necromantico, vtpote qui etiam vxorem ſuam diis ſuis immolauerit, ſcribit Vergilius. Ferũt etiam Francorum gentem ab eis traxiſſe principiũ. Dum enim Troianorum principes incertis vagabantur ſedibus, plurimi eorũ in Scythia conſederunt, regémque ſibi creauerũt: ac primò dicti Sicambri, poſtmodum elapſo tempore, ſub Valentiniano imperatore, cum ipſi propoſito ſibi libertatis præmio vicinas imperio gentes ſubieciſſent, à præfato principe Attica lingua Frãci ſunt vocati, à feritate, vel Frãci à nobilitate. lingua enim eorũ Franco nobilis dicitur. Tradunt tamen quidam, à quodam Francone Troianorum principe, qui iuxta Rhenum conſedit, Frãcos eſſe appellatos. Monſtrátque in argumentum vrbem adhuc, quam ipſum conſtruxiſſe, patrióq; nomine Troiã, fluuiúmque eius Xanthum vocaſſe aſſerunt: quæ poſtmodum à Sarracenis deſtructa, ac rurſum à Chriſtianis reædificata, Xanthis vſque hodie vocatur.

Franci vnde dicti.

Qui aut hæſitant, aut hæſitare ſe ſimulãt, an præter Aſtyanactẽ plures Hector liberos ſuſceperit, nihil aliud quàm in meridie aut noctem aut vmbram vidẽtur exquirere: cum ex Euſebio conſtet, Beda & cæteris in eam ſententiam conuenientibus, Hectoris prolem adiutore Heleno patruo Troiano ſceptro ſucceſsiſſe fuſo fugatóq; Antenore, qui ob

qui ob proditionem ſecretorum conſcio Ænea perpetratam, à Græcis Troiæ imperio fuerat inſinuatus, pulſus tandem & profugus factus poſteaquam duos & viginti annos Troianę pręfuiſſet vrbi. Vnus ergo ex Hectoris filiis Antenor, cum ſolum vertiſſet, in Scythiam nauigans, primam dedit Sicambris virtutis & nobilitatis originem. De Ænea verò haud ſcio an recte arguatur ſub obſcuris natalibus, dum Anchiſæ Venerisque filius paſsim acclamatur. Ea enim verba ſubindicant ex parum legitimo complexu prodiiſſe Æneam. Hæc enim aſſentatio non caret emphaſi, quæ eſt apud Horatium in carmine ſeculari, dum dicitur: *Aeneas ſpurius*

Quique vos bobus veneratur albis
Clarus Anchiſæ Veneriſque ſanguis,
Imperet bellante prior iacentem
Lenis in hoſtem.

Denique quoties Veneris filius appellatur Æneas, quoties item Romulus à lupa educatus pronunciatur, illud non caret obſcurorum ſuſpicione natalium. Hectoris autem proles candida prorſus & nobilis apud poſteros nihil tale ſiniſtrum audiit vnquam. Quę res ad Francici nominis gloriam non parum conducit.

Porrò nec paucis nec obſcuris verbis, Æneæ & Antenoris coniurati facinus ſuis coloribus depingit Dares Phrygius his penè verbis, teſtis ipſe oculatus, quo ſcilicet aſtu, qua vafritie Æneas & Antenor proditores vrbem Troiam Agamemnoni diripiendam tradiderint. Condictum enim fuerat, vt nocte intempeſta ad portam Scęam, certo luminis indicio ſibi inuicem coniuratores occurrerent, verba fides ſecuta eſt. Irrumpunt hoſtes, regia inuaditur. Priamus ante aram Iouis obtruncatur. Agamemnon, Antenoris interuentu, Hectoris fratrem Helenum & Caſſandram tutos ab omni iniuria reddit. Qui & ipſe Helenus pro Hecuba & Andromacha impunitatem impetrat, quòd ſemper viam pacis ineundæ quæſierint. Polyxena, quæ aliquantiſper latuerat, inuéta tandem à Neoptolemo ad tumulum patris iugulatur. Erant autem Helenus & Hector fratres ex matre Hecuba. vxor Hectoris Andromacha. Ex Troianis cecidere hominum milia ſexcenta octoginta ante vrbis excidiũ. Quo peracto clades ſecuta eſt ducentorum ſeptuaginta ſeptem milium. Æneas cum ſuis in ducentis nauibus profugus euaſit. Euaſere & Helenus & Andromacha vnà cum milibus ducentis. Durauit obſidio annis decem, menſibus ſex, diebus duodecim. Per id ergo tempus Antenor Hectoris filius (vti Francorum hiſtoria narrat) nauigio attigit Tanais fluminis ripas: quibus tandem tranſgreſsis, Pannoniam penetrauit, illic conſtituta ciuitate nomine Sicambria: vnde & multis poſtea effluxis annis coaluerunt Sicambri in gentem magnam.

Quæ, vt certiorem fidem inueniãt, proferam magno numero authorum ſententias. Vnus ad præſens occurrit Æneas Syluius: qui in Aſia ſua vacillans ſuper Franciçæ gentis origine, in ſua tandem Europa dubium omne abſtergit, Francis Troianam originem extra omnem ambiguitatem incunctáter tribuens. Sic autem primum in Aſia ait: Vicum poſtea in eo loco ędificatum dicunt, in quo vetus Iliũ fuit, & Troianorum regia: ex qua originẽ cuncti ſe ducere iactitant, qui nobiliſsimi videri volunt. Nam & Franci & Angli, & alij complures hinc maiores ſuos veniſſe tradunt. Sed Romanorum genus ab

Ilio profectum, multi auctores prodidere: quibus fides habenda eſt.

Hanc ipſe Syluius idem conſultior factus & oculatior, hæſitantiæ nebulam à ſe depulit re ipſa diligentius conſiderata: qui in ſua Europa cap. 38. hæc retulit ad verbum: Francia huic ſuccedit, nobilis ſanè prouincia, & admodum potens, ab incolatu Francorum ſic appellata. Franci quidem, Troiani ab origine fuerunt: qui deleto Ilio, duce Priamo Priami ex ſorore nepote, per Pontum Euxinum in Mæotidas paludes in Scythiam peruenere: ibique ciuitatem ædificarunt, quam vocauere Sicambriam: ex qua dicti Sicambri. Conſtat enim poſt euictam incenſamque Troiam, qui ſuperfuerunt excidio, in treis turmas diuiſos in exilium profugiſſe: & alios quidem Ænea duce Italiam petiuiſſe: à quibus Albani prodierunt: & deinde Romani, qui orbis imperio potiti ſunt. Alii ſub Antenore per medios Achiuos elapſi, Illyricos penetrauere ſinus, & regna Liburnorum ad intimum Hadriaticum pelagus acceſſere: vrbemque condidere Patauium, vbi ſepultum Antenorem tradunt: qui Enetum fugiens ſecum duxit, à quibus poſtea dicti Veneti: quorum eſt hodie ingens poteſtas terra marique. Tertii (vt diximus) in Scythiam penetrarunt. Quo in loco magnam in gentem coaluerunt. Cumque Scytharum multi Romano imperio ſubiecti eſſent, & ipſi quoque tributa penderent: manſerunt vectigales vſque ad tempora Valentiniani Cæſaris. Quo imperante Alani imperium vexare inceperunt. Imperator autem propoſito edicto libertatem in decennium eis promiſit, qui Alanorum ferocitatē compeſcerent. Allecti eo præmio Sicambri arma ſumpſerunt, Alanoſque bello victos deleuere. Ob quam rem libertate in decennium ab imperatore donati ſunt: & mutato nomine Franci appellati ſunt, quod Attica lingua ſiue feroces ſiue nobileis ſonat: Itali certè Francos liberos vocant. Exacto decennio cum Romani ſolita tributa repeterent: Franci ipſa libertate effrenes facti, parêre recuſauerunt. Principes eo tempore Francis fuere Priamus & Antenor, antiqui nominis ac virtutis: quibus copias ducantibus prælium cum Romanis conſertum eſt: in quo Priamus ipſe cum fortiſsimis ſuæ gētis cecidit. Qui cladi ſuperfuerunt, ex Scythia digreſsi ſunt: & in Germaniam prouecti, in partibus Turingiæ conſederunt cum principibus ſuis Priami & Antenoris filiis Marcomede & Sunone. Suno ſine liberis deceſsit. Marcomedis filius fuit Pharamundus: quem ſibi Franci regem creauerunt. & hic primus inter Francos regnauit.

Nihil eſt quod hic deſideres ad ſtabiliendum hoc noſtrum de Francorum Troiugenarum ſobole inſtitutum: niſi quòd ſunt qui conſtanter negent quòd Franci vllo temporis curriculo ſub tributo ſeruierint Romanis. Id enim fortiter pernegat Crantzius, ſed id quidem pertinacius quàm forte verius, niſi quòd eo acrius perſiſtit, quo confidentius aſſerit nullo claſsico authore id poſſe probari. Sed de hoc ipſe viderit. Nam in hac quidem re facilè illi accedo, non item in cæteris, in quibus odioſè potius quàm verè nomen Gallicum inſectatur. Qua de re in ſequentibus vberius.

Cōradus Peutinger ſympoſiarcha tametſi Gallico nomini ſe pſtet plꝰ ſatis infenſum, cogitur tamē vel inuitꝰ Æneæ Syluii nō ſenſū tātū, imò & ipſiſsima verba reponere. ex qbꝰ nō obſcure colligitur Clodo-

uerum Gallofrancum, eundémque Gallogermanum, Alemanos vi aperta ſubiugaſſe apud Tolbiacum Coloniæ Agrippinæ vicinum oppidum: cum iam antea prius docuerimus, Merouingos, Belgas armis domuiſſe: Celtas vero, Gallos, præſertim Senones, percuſſo iuratóque fœdere, non tam vi quàm precariò, belli aduerſus Attilam ſocios in communem ſocietatem allexiſſe.

Fuerunt igitur Gallofranci, Alemanicæ gentis domitores, tributariç ſeruituti addictæ vſque ad Ottonis imperatoris Teutonici tempora. Id quod agnoſcit Sebaſtianus Munſterus chronographus. Neque enim dubitari poteſt veterum omnium authorum conſenſu, Galliam vſque ad Rhenum fluuium prorogatam fuiſſe. vnde etiam fateri oportet, Caroli Magni ſolum natalitium ad Galliam pertinere. Eſt enim Engelim Caroli magni natalibus clarum, ac ciſrhenanæ Galliæ oppidum. Quæ ex eo ſuperſunt plus ſatis odioſe recenſita, non alia indigent refutatione, quàm ea qua vulgus vti ſolet: Cōpotorem memorem odi. neque enim ſemper eſt in vino veritas: vbi plerúnque mens fluctuat, & exulat ratio. Audiendus potius nobis erit Gaudentius Merula, ita de Francorum origine diſſerens: Francos (inquit ille) prius Salios fuiſſe appellatos Am. Marcellinus eſt author: quod etiam eorum leges arguunt, quæ Saliæ nominantur. Salios conſtituit Ptolemæus in Sarmatia vicinos Aorſis, Agathyrſis, & Alanis, qui vltra Riphæos ſunt montes, à quibus Tanais oritur. Salij igitur ſedibus egreſsi, in Germanias penetrarunt: diúque cum Germanis per tempora Valentiniani imperatoris belligerarunt, & victores tandem, adiunctis ſecum Arthuaris & Turingis ad Rhenum deſedere: breuique factum eſt, vt quicunque Germani Romanum imperium detrectarent, Saliis ſe ſociarent, vnóque nomine ſe Francos appellarent. Horum opes deinde (oppreſſa à Gotthis Italia) adeò creuere, vt traiecto Rheno vlteriores Gallias occuparint, ſedéſque in eis conſtiruerint. A quibus per longam ſeriem ad Carolum illum cui ob res geſtas Magno cognomen fuit, deductam, Francorū reges fluxere.

Iterum faceſſat (quæſo) commentitium illud inuentum à nonnullis huius noſtræ ætatis ſcriptoribus excogitatum, quo adſtruere, irrito tamen labore conantur, bona parte Galliæ reciſa Germaniam ſuam (de ſe ſi creditur illis) prætergreſſo Galliæ limite Rheno aduſque fluuium Scaldem prorogari, hoc vno potiſsimum prætextu, quòd gens illa intermedia Teutonico vtatur idiotiſmo: quaſi verò à linguç phraſi gentis natura pendeat, cum illa ſit accidentaria, hæc verò ſemper maneat immota, ſuis ſemper concluſa terminis, Rheno, Pyrenæíſque montibus, ſuperóque mari & infero. Quis enim neſcit vernaculam Galliæ linguam non omnibus Gallis eſſe communem, qui tamen verè Galli ſunt, & Gallicæ nationis indigenæ? Alia eſt phraſis Cantabrica, alia Britonica Ripenſis, quæ Oceano adiacet: alia rurſum Italica Ciſalpinæ quam dicunt Galliæ peculiaris: & hi tamen omnes Galli ſunt indigenæ: vti & hi omnes qui in Ciſrhenana Gallia degunt, quantumuis teutonicè loquantur. Accidit ſermo nationi, non natio ſermoni: idiotiſmus aduenit, idiotiſmus præterit: Gallicæ nationis & nomen & genius in æternū ſtat. Quòd ſi ab elocutione nationem pendēre velimus: cuius tandē nationis erunt & muti & infantes? Cōſtituti ſunt ab omni æuo ſui Galliç termini, qui præteriri nō poterunt: qui nullis bellorum tumultibus, nulla vſurpatç ditionis aut

vi aut fraude poterunt ſubmoueri. Contra verò de eloquij ratione ita diſſeruit Horatius in arte:

Vt ſyluę foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ętas,
Et iuuenum ritu florent modò nata vigéntque.

Abſit ergo vt conſtãs & perpetuus nationis Gallicæ tractus ſuis limitibus deſignatus, à nutante ſemper ac variante vulgati ſermonis vſu (quo nihil ſub ſole auditur inconſtantius) pro cuiuſuis nutu aut renutu pendeat.

Iam verò, quod ſupereſt, monaſtici ordinis illuſtriſsima teſtimonia citaturus, illud habeo præfari, quòd qui illis fidem hiſtoriæ inuident, quíque eos velut ignauum fucos pecus ab præſepibus arcent: non ſatis aut Chriſtianæ pietati, aut ſuæ ipſorum honeſtati, qui Chriſtiano nomine cenſentur, conſulere videntur.

Nil ego (dicturus eſt ordo ille) peccaui, niſi ſi peccare fatemur,
Annua lectori ſenſa referre ſuo.

Quid igitur ordo hic læditur ab æmulis, à quo veluti ex equo Troiano innumeri venerandæ antiquitatis illuſtratores prodiere? Nunquid redditur pro bono malum, ab his præſertim, qui communem nobiſcum ſortiuntur ſeu in tuenda religione, ſeu etiam in excolendis bonis literis, cognitionem? Quique potius audire debuerant monentem diuum Paulum, immo verius iubentem: Alter alterius onera portate: ſic adimplebitis legem Chriſti. Quin & non tam in aliorum quàm in ſuam ipſorum gratiam cauendum eis erat quod idem ait: Si inuicem mordetis, ab inuicem conſumemini. Neceſſe enim eſt, vt eam delectationem malè audiendo perdant, quam maledicendo acceperunt. Parum igitur Chriſtianum eſſe crediderim, ſi quis præferat Ethnicorum odioſiſsima ſcripta, quin & in rem Chriſtianam cum ſumma blaſphemia ac impietate pronuntiata, clariſsimorum virorum ſcriptis, qui cum magna etiã ſanctitate vixerunt, quibúſq; nihil odioſius quàm vanum mendacium fuit, ſincerè in literas relatis oraculis. At hi ſunt qui à parte noſtra ſtant, viri ſanctitatis & religionis honore memorabiles, eoque fide digniores, quo monachiſmum obſeruantius coluerunt. Hugo inquam à ſancto Victore, Petrus Cluniacenſis, & hi quos infra memorauimus, non pauci. Pergam itaque ex Hunibaldo, Tritthemio, Galliarúmque illuſtratore Bocheto, ac Ioanne etiam Mario, ea in compendium contrahere, quæ de Francigenarum antiqua progenitura magno conſenſu pronunciantur. Quę omnia non inuenuſto carmine, hoc epitomate concluſit vir terſus & elegans Ioannes:

ad Gala.6.

Quanta ſit, vnde ſuos accepit martia reges
Gallia, quos olim magnos fœlicibus hoſtes
Vicerit auſpiciis: Francæ quot regna coronæ
Addiderit, quantúmque ſuis effecerit armis,
Et per Neptuni ſpumantia regna profundi,
Et per multigenis habitatum gentibus orbem,
Veridici monumenta canunt æterna, breuéſque
Bocheti hiſtoriæ, & Francorum epicœdia regum
Edita nunc primum, & magno congeſta labore.
Gallorum regio vaſti lux vnica mundi,

Tangit ab occaſu ventoſæ ſaxa Pyrenes
Ardua,quà primo Phaethontis lora ſuperbi
Igne micant,Rhenum profertur ad vſque bicornem.
Adriacis ambitur aquis,vbi reſpicit auſtrum.
Vnde minax Boreas hyemes & frigora ſpirat,
Oceanæ refluis in longum Tethyos vndis
Alluitur:Belgas fluuiis Celtáſque feroces
Diſcernit,variátque ſuæ cognomina gentis.
Terrarum nullis hæc poſtponenda.requiras
Quæ tibi cunque placent,hæc Francis lætus in oris
Inuenies.opibus non eſt Phœbeïa maior
Inſula,Perſeium quanuis ſuſceperit imbrem.
Diues agris,non tot fruges Ægyptia tellus,
Africáve,aut cultæ producunt rura Cremonæ.
Hic domus eſt Cereris:nec tantum fertur Eleuſin
Mopſopiam,aut trimares hæc fœcundare Sicanos.
Temperies his magna locis,æternáque nunquam
Deſtituens populum tam pura luce fruentem,
Qualis Hyperboreis eſt in regionibus aër.
Nullus ineſt æſtus,Libye quo tota laborat.
Graminibus lætis pecudes armentáque paſcit:
Qualia ſuppeditat niueis Mœuania tauris
Optatúſque gregi Clitumnus,agérque Phaliſcus.
Tota caret monſtris,ſitiens quibus Africa ſqualet,
Gorgonos anguicomæ viroſo ſanguine natis.
Relligionis amor noſtræ ſyncerus & ingens
Inſitus ingeniis Francorum eſt,optima poſtquam
Sacra panomphæi didicerunt iuſſa tonantis.

Adeo vt Nulla deûm regio cœptam conſtantius almam Inuicto mucrone fidem muniuerit. Sed rem de qua agitur,acu tangit qui ait:

Poſtquam res Aſiæ ſuperis euertere viſum eſt
Vindicibus Danais,exciſáque Pergama ciues
Emiſere:quibus fortuna pepercerat,& quos
Diuerſis regnare locis immota volebat
Fatorum ſeries,Anchiſæ filius,almæ
Natus adulterio Veneris,Lauina petiuit
Littora:magnanimo ſatus Hectore Francus,& ipſum
Inſigni referens clarum virtute parentem,
Pannonas acceſsit,quos turbidus alluit Iſter.
Hic vbi regnatum eſt,donec Mæotica vates
Præſcia venturi Troianam educere gentem
Marcomirum & Rheni gelidis inſidere ripis
Impulit.

Nec his contentus,de Franco loquens adiecit:

Cognatos adiit Saxonas,munere quorum
Vicinam accepit terram, quæ Gueldria fertur,
Et quam Vangiones habitant,fortéſque Bataui.
Seruarúntque datum Cambra ſibi nomen ab illa,
Quæ rude formarat vulgus,moréſque ferinos
Suſtulerat,populóque ſuas monſtrauerat artes:
Donec poſt validum Franco regnante parentem
Antharium,nomen Franci de nomine regis
Accepere,ſequens quod ſeruauere per æuum:

Æternúmque illud Francorum nomen habebunt.

Quid plura?

Nouerunt Solymi Francos,& Delphica rupes.
Tantus erat terror:tam formidabile nomen
Gallorum:nec adhuc hodie gens vlla putatur
Quam mage Turcarum timeat violenta poteſtas.

Ideoq; præfatur Nicolaus Egidius in Gallica hiſtoria, id à quamplurimis haberi in confeſſo,neminem admittendum ad equeſtrem ordinem niſi qui fuerit aut Frãcicæ progeniture,aut Turcicæ. A quo mi nimè abludit author ille Venetus,qui rem Turcicam totã tribus volu minibus complexus eſt.Is inquam Turcarum originem pari cũ Fran cica textura à Scythico apud Tanaim incolatu deducit. Sed multo fuſius Sigebertus Gemblacenſis rem iſtam differit: Originem(inquit) gẽtis noſtræ(hoc eſt Gallofrãcicæ,erat enim (ex Tritthenio)natu Gallus Leodienſis in regno Francorum)notificemus aliis ex relatu fideli maiorum.Poſt illud famoſum & cunctis ſeculis & gentibus notum Troianæ ciuitatis excidium,victoribus Græcis cedẽtes reliquiæ Troianorum,pars eorum cum Ænea ad fundãdum Romanum imperiũ ad Italiam perrexit.pars vna,ſcilicet duodecim milia, duce Antenore in finitimas Pãnoniæ partes ſecus Mæotidas paludes peruenit: ibíque ciuitatem ædificauerunt,quam ob ſui memoriam Sicambriã vocauerunt:in qua multis annis habitauerunt:& in magnam partẽ coaluerunt,& crebris incurſibus Romanum ſolum inceſſentes, vſque ad Gallias ferocitatis ſuæ veſtigia dilatauerunt. Hos adeò Romanis infeſtos Conſtans Cęſar filius magni Conſtãtini bello oppreſsit: & tandem Ro.imperio ſubiectos, aliquantulum à ſua feritate manſuefieri coëgit.Poſt aliquot annos rebellantibus Alanis contra Valentinianũ imperatorem,cum eos non poſſet imperator penitus debellare, eo q; eos intranſibiles Męotides paludes tutarẽtur,propoſuit Valẽtinianus quòd ſiqua gens has paludes intrare, & rebelles Alanos poſſet conterere,decem annis eos à tributis liberos redderet. Hac pactione Troiani illecti, & fortitudine & prudẽtia confiſi, duce Priamo Mæotidas paludes Romanis inuias ingreſsi, Alanorum gentem exterminauerunt,& ita Valentiniano ſatisfecerunt. Valentinianus eorum virtute delectatus,eos qui prius vocati erant Troiani, deinde Antenoridæ, poſtea etiam Sicambri: Francos Attica lingua appellauit,quod Latina lingua interpretatur feroces.Alij Francos cognominatos dicunt à quodã eorum rege Francone, qui in bello fortiſsimus dum cum multis gentibus dimicaſſet, in Europam iter direxit, & inter Danubium & Rhenum conſedit,ibíque progenies eius coaluit,nulliúſque iugum vſque ad id tempus ſuſcipere voluit. Vndecunque ergo denominati ſunt Franci: quantũ altius colligere potuerunt Hiſtoriographi.

Quæ omnia affabre conueniunt cũ tota illa Gallicæ hiſtoriæ textura:præter id vnum quod ſuo loco recitatum eſt, Francos aliquãdo fuiſſe Romano tributo obnoxios.pulſi enim aliquando fuerunt à Romanis,nunquam tamen domiti,aut in tributi ſeruitutẽ redacti. Quod autem ad æmulos attinet,corúmque rerundendã ferociam, præſagierat Annonius monachus in ſuæ hiſtoriæ præfatione futurum aliquãdo vt minimè deeſſent qui huius ſententiæ aſſertores aut arroderẽt, aut morderent, aut certe ſiqua ratione poſſent diſcerpetent. Sic enim ille ait: Res geſtas gentis Francorum ſiue regum, quæ & per diuerſos ſparſæ libros, & inculto erant ſermone deſcriptæ, in vnius redigerem corpus opuſculi iuſsiſti, ac ad emendatiorem latinitatis

reuocarem formam. Inſtiti igitur vt potui, atque vtinam tam efficaciter quàm libenter. Porrò de opere tua paternitas viderit, rectè ne an ſecus egerim. Ego autem ſolius obedientiæ (ſi tamen voluntate conatuque eam decoraui) teſtimonio contētus ſum. Nec multo poſt ſequitur: Ab egreſſu quoque Francorū è Troia vſque ad id temporis quo Pipinus magni Caroli pater regnare cœpit, cūctam rerum geſtarum ſeriem in quatuor decreui libros partiri. Quos ea contexui ratione, vt ſequens ſemper priorem quantitate ſui & numero regum tranſcenderet.

Qui & ſcopum demum attingens, ſubiungit: Non ignoro multos fore qui ſolita libidine omnibus detrahendi, huic volumini genuinū infigant dentem: quod vitare non poterit niſi qui nihil omnino ſcribet. Calumniabuntur in tempora: conuertent ordinem: res arguent: ſyllabas euentilabunt: & quod accidere plerūque ſolet, negligentiam librariorum ad auctorem referent. dicent etiam: En noſter hiſtoriographus nouuſque auctor, qui aliorū verbis pro ſuis vtitur. Hoc quidem me feciſſe non nego, neque id me piget: ac facturum autumo: habeo bonorum exemplum quo mihi id licere facere quod illi fecerunt puto. Nec ſententiis detrahentium ſatis moueor: tua laude vel vituperatione doctus eſſe ſufficiēs. His ita præfatis, capite ſuæ hiſtoriæ primo, zoilis æmulatoribus priſcorum authorum ſatellitio fultus Annonius, more torrētis ſe opponit: cui velle reſiſtere, merum ſit delirium. Poſt triumphum (ait ille) victoriæ quam Græci de excidio egerunt Troiæ, multi ciuium euerſæ vrbis qui effugere cladē potuere necis, quaquauerſum poterant, ſedes ſibi quærere procurabant. Eorū quidam Antenor nomine, non infimus genere, adiūcta ſibi ſociorum numeroſa multitudine, nauibus altum petiit mare. Tandem poſt magnos pelagi varioſque labores Tanais ingreſsi oſtia, Mæotides tranſmeantes paludes, in finibus Pannoniorū caſtrametati ſunt. Arridēte autem eis locorum amœnitate, ſtationem ibi conſtituerunt ſuā, ædificata ciuitate quam Sicambriam vocauerunt. Poſt multorum vero curricula temporum contra Valētinianum qui Romani tenebat imperii principatum, Alanorum gens cōtumax rebellauit audacia perfidorum. Quos ille prælio ſuperatos Mæotidis coegit expetere latibula paludis. Illuc quoque eos cum exercitus multitudine inſecutus, dum ſitu & difficultate locorum quo minus eis nocere poſſet impediretur, Troianos Sicambriam habitantes in auxilium euocat. Hos hortatur monetque vt ſuis tātummodo viam pandant per quam ſecuros hoſtes & nil tale verentes inuadendo opprimant. Illi non id ſolum ſe facturos, verùm Alanos vi expulſuros ſpondent. Imperator decennio eis tributa ſi id efficiant indulget. Troiani fiducia animati, quòd forent gnari locorum, ſimul & munerum promiſsione allecti, Alanis locorum firmitate fidentibus ex improuiſo ſuperueniunt: cædunt proſternuntque multos mortales: cæteroſque in fugam actos à palude perturbant. Imperator virtutē gentis audaciamque miratus, quòd loca quæ totius orbis victores Romani expauiſſent, non ſolum intrare, verùm & immaniſsimos hoſtes expellere non dubitaſſent: Attica lingua Frācos, id eſt, feroces nuncupauit. Ex his quæ multa digreſsione à pleriſque edita retulimus, liquidò apparet Francici nominis nomenclaturam (ne quis in hac ſalebra hæſiret) à gemina prodiiſſe ſcaturigine, à priſci videlicet primum Franconis Troiano ſanguini attigui nomine: deinde à Frāci appellatione, qui media floruerit ætate: quam appellationem poſtliminio redeūtem accuratiſsimè

Trittemius annotauit prælucẽte Hunibaldo: cuius auctoritatem qui eleuare nitũtur, ſibiipſis notam inurunt, vt eorum verbis promptum eſt oſtendere.

Mirantur plerique mecum D. Gregorii Turonenſis in priſca Francorum enarranda antiquitate ieiunitatem: cum ſuæ ætatis authores in rerum antiquarũ enarratione aut ſuperarit aut æquarit. Fuit enim (id quod nemo inficiari poſsit) vir non mediocris diligentiæ, & plurimæ lectionis. Verùm quid facias, cum ei negatum ſit per authorum penuriam, addo etiam & codicum corruptorum infantiam, priſcæ antiquitatis adyta penetrare potuiſſe? Legit ille pro Sunone, Sanſonem: neque aſſurgere potuit vltra Iuliani apoſtatæ tempora. Quod autem attingere potuit, retulit: hæc inquiens.

Nobis de Frãcis memorati hiſtorici reliquere, regibus non nominatis. tradunt enim multi Francos de Pannonia fuiſſe digreſſos (id quod de Sicambris teſtati ſumus) & primum quidem littora Rheni incoluiſſe, ibique iuxta pagos vel ciuitates, Reges Crinitos ſuper ſe creaſſe. Cætera ſilentio tecta reliquit, authorũ (vt credere par eſt) vetuſtorum inopia. Neque enim ad eum peruenerant Beroſi Chaldæi, Manethonis Ægyptii, Diodori Siculi, aliorumque priſcæ ætatis authorum vitio temporum ſuppreſsi codices, qui poſtmodum emerſerunt in claram tenebroſo ex carcere lucem. Nam & longa dies omnia reuelat, quodque anni multi non faciunt, hoc facit vna dies. Huc opportunè accedunt Hugonis Floriacenſis, aliorumque authorum magno conſenſu inter ſe ſpirãtia teſtimonia. Hugo ille à ſancta Maria cognominatus, (quod hodie phanum dicitur diui Hilarij) ſcribens ad Adhelam Gulielmi nothi regis Anglorum filiam, Meldenſium Blezenſiumque comitem, in Frãcorum hiſtoria hæc ad verbum præfatur: Principium regni Francorum, eorumque originẽ vel gentium illarum ac geſta proferamus. Eſt autem in Aſia oppidum Troianorum, vbi eſt ciuitas quæ Ilium dicitur: vbi regnauit Æneas. Gens illa fortis & valida: viri bellatores, atque rebelles nimis, inquieta certamina obiurgantes, per gyrum finitima debellãtes. Surrexerunt autem reges Græcorum aduerſus Æneam cum multo exercitu, pugnaueruntque contra eum cæde magna: corruitque multus illic populus Troianorum. Fugit itaque Æneas, & recluſit ſe in ciuitatem Ilium: pugnaueruntque aduerſus hanc ciuitatem annis decem. Ipſa enim ciuitate ſubacta, fugit Æneas tyrannus in Italiam, locare gentes ad pugnandum. Alii quoque ex principibus, Priamus videlicet & Antenor, cum reliquo exercitu Troianorum duodecim milia intrantes in naues abſceſſerunt, & venerunt vſque ad ripas fluminis Tanais, ingreſsique Mæotides paludes nauigantes peruenerũt intra terminos Pannoniarum, iuxta Mæotidas paludes: & cœperunt ædificare ciuitatem ob memoriale eorum: appellauerũtque eam Sicambriam: habitaueruntque illic annis multis, creueruntque in gentem magnam. Hæc Floriacenſis.

Nolim ſilentio tegere, prioribus accedens, Hugonis Samuictorini teſtimonium in ſuo chronico.

Franci (inquit ille) origine Troiani, poſt euerſionem Troiæ inde digreſsi, iuxta Thraciam ſuper ripas Danubii conſederunt, & Sicambriam ibi ædificauerũt. poſt inde expulſi à Valẽtiniano, pro eo quòd tributa Romanis more cæterarum gentium ſoluere recuſabãt, habitauerunt circa ripam Rheni in confinio Germaniæ & Alemaniæ. Quos cum multis idem Valentinianus poſtmodum prælijs attentaſ-

ſet,nec vincere potuiſſet,proprio eos nomine Francos , quaſi Ferancos.i.feroces appellauit. Ab illo tempore intantum virtus Frãcorum excreuit,vt totam tandem Germaniam & Galliam vſque ad iuga Pyrenæi & vltra ſubiugauerint.Hęc ille.

Ad hæc verò tam multa ſuperpondii vice proferemus Anſelmi Heluetici chronographi aduerſus eos qui monaſticam in texenda hiſtoria eleuant auctoritatem,nobis externum , oſoribus verò familiare teſtimonium:Samorhes(inquit is)Dis ſapientiſsimus,primus Gallorũ rex anno ab aquis 143,creatus , Gallis Samotheis vſque ad Troiæ excidium perãnos 982.à ſtirpe reliquit hos reges, Nagum,tectorum inuentorem,à quo Magum & Nouiomagum oppida.Sarronem,qui anno Zaneis.viii.publica literarum gymnaſia inſtituit. Dryum, Druidũ ſapientum & augurum doctorem. Bardum,muſicæ & carminum authorem.Lõghum Bardum iuniorem.Lucum,Celtam,Galatem, Lugdum,Belgium,Allobrogem,Rhomum,Paridem,Lemannum , Galatem iuniorem,Namnem,Rhemum. Poſt Troiam euerſam anno ſexto receptus eſt à Celtis Francus Hectoris filius.Hinc vſque ad C.Cęſaris dictaturam,qua tota Gallia victa , Romanis 500. circiter paruit annos,ſingulis eius gentis populis ſinguli præfuere principes.Memorantur interim Ambigati Celtarum regis ſobrinus Belloueſus Ciſalpinorum Gallorũ regni fundator, Brenni duo,quorum primus Romã, alter Delphorũ templum incendit.Cõgolitanus & Acreſtes ab Attilio,Virtuitus à Fabio,victi , Aruernorũ reges,poſtremi verò à Cæſare domiti Vercingentorix & Comius. Tum exacto per Gotthos Romanorum dominatu,alterum,Francogallorum ſcilicet,regnũ cœptũ eſt. Alio item loco ſic ait:Paris Celtarum rex , Pariſiorum vrbem condidit,anno Belleparis Babylonię imperatoris 21. Idémque rurſus:Anno Teuthei primo Francus Hectoris filius in regem aſſumptus , eiſdẽ ſuum reliquiſſe nomen credi poteſt : quod in altero Francogallorum regno receptum hactenus manet.Hanc apud omnes celebratam Frãcorum à Teucris deductã originem,repetitis vicibus agnoſcit in Conrado Saliquo Cuſpinianus,externus teſtis, parum alioqui in rem Gallicam propenſus,ideóque apud æmulos minus ſuſpectus . Hanc Bergomas natione Italus pro comperta haberi vult:quam etiam opinionem non obſcurè fouet in Tungrorum & Ebutonum hiſtoria Hubertus Thomas Leodius.Quibus præſto adeſt cum face Ioannes Lucid⁹ lib.6.cap.2.his verbis:Celtas ſiue Gallos vel Francigenas condidit Samothes frater Tubalis ex Iapeto patre . Dicit enim Beroſus in 5. lib. Paulo poſtquam Tubal condidit Celtiberos,id eſt poſt duodecimum annum Nimbroti,Samothes,qui & Dis,Celtas colonias fundauit , id eſt Gallos ſiue Frãcos. Neque quiſquam illa ętate iſto ſapientior fuit: ac propterea Samothes dictus eſt. Hæc ille. Samothes fuit frater Comeri & Tubalis ex Iapeto patre:à quo primum Britones : inde Galli Samothei dicti fuerunt, id eſt ſapientes . Et inferius Beroſus addit dicens: Anno quarto Nini Samothes Celtis leges dedit. Sæpe autem variatum eſt Celtarum nomen . Nam à principio Samothei dicebantur:inde à Celto,Celtæ:poſt à Galate, Galatæ : hinc à Belgio, Belgæ: pòſt à Romanis,Galli:poſtremò Francigenę à Francorum rege. Et ſicut dicit Beroſus lib. 5. filius Herculis Galates priſcus , qui apud illos regnauit ætate Althadis duodecimi regis Aſſyriorum , nomen etiam Gallis dedit. Hi ergo fuerunt primi reges eorum quos ponit Beroſus.

Celtarum nomẽ ſæpe variatum.

Quæ omnia vera ſunt,ſi hoc vnũ ademeris (quod tamen non tam aſſerere quàm præferre videtur) Gallis nomen in d[illegible] Romanos:

cum luce clarius conſtet, multo ante Romanos tempore Gallicũ nomen illis fuiſſe inditum. Denique quis non Gallorum gloriam agnoſcat præter paucos recẽtiores Gallomaſtiges, qui ſuo commento recens inuento, æmulatione potius quàm aut ratione aut iudicio, noua quædam commenta non multis ante hos aut diebus aut annis hominum auribus inuehere fruſtra conati ſunt, quodam Peutingero primario incentore, quibuſdam aliis ad dubiam hanc lucem temere magis quàm iudicio exiliẽtibus, non alio (vt credibile eſt) conſilio, quàm vt Troiani ſtemmatis gloriam Teutonicis Galliſque ex æquo communem, ſibi vſurpent? Qua etiam liuoris nota laboraſſe credas Italos ſcriptores nonnullos, qui cum Æneæ Troiani progenitura gloriẽtur, non tamen ſine obſcuris natalibus, vix inducant animum vt Gallos Antenoridas agnoſcant: vt ſibi quicquid eſt in Troiana progenitura aut gloriæ aut famæ, peculiariter vſurpent. Sed ſuper omnia vincit cunctis iam perſuaſa veritas.

Quis ergo huic tam rapido teſtimoniorum torrẽti ſeſe queat opponere? Aut quis denſiſsimam hanc nubem aſſertionum exhaurire aut depellere ſe poſſe confidat, niſi quẽ ita excæcarit inuidia, vt mentem prorſus à ſua ſtatione dimouerit? Non defuere tamẽ, præter eos quorum ſupra meminimus, recẽtiores audaculi nonnulli, qui inſtructa qualicunque argutiarum acie, nulla aut factione verſutiáve expugnabile propugnaculum fruſtra niterentur oppugnare. Quorum antelignanus nobis occurrit propulſandus Comes quidam Nuenarius Peutingeranæ & ipſe pediſſequus ac penè præitor calumniæ, ſi non tempore, certè affectu. Cõferat Hector & iudicet: neque enim (quod fruſtra perſuadere nititur virilis calumniæ comes indiuiduus) Germaniam Germaniæ reſtituit, qui eam ſecernit à Gallia, verùm diſſecat potius, laniat, atque exenterat: qui alterius gentis ſeu Gallicæ ſeu Germanicæ intima viſcera ſeparat à corpore. Vtraque enim alteri intima eſt, & Gallia Belgica Germaniæ: & Germania Galliæ. Nec ſunt (vt impudentiſsimè ille nugatur) Franci Gallorum extinctores, cum ſint ipſi Gallofranci & Frãcogalli, ſed potius illuſtratores. Nam, quo caret alteruter, ſumit ab alterutro. Eſt, fateor, mixtio, rerũ commixtarum per quandam alterationem vnio: fiunt tamen poſt alterationem vtraque vnum. Quòd autem vana vanis commiſcens, cœlum terræ miſcet, & mare cœlo, nihil interim per ætates temporúmque ſucceſsiones diſtinguens, omnia confundit, ſeque ipſum potius quàm alios traducit.

Vt ergo tota errantem via, ad orbitam dirigamus, iſtud præfari libet: Galli (quod negari non poteſt) in ſuo perſeuerantes idiotiſmo, Francos potius in ſua receperunt, quàm Franci Gallos. Nam vt vulgus ſcriptorum perhibet, Gallorum moribus ac legibus ſeſe ſpõte accommodarunt Frãci, veteri ſemota barbarie. Id quod Mutius in ſuo chronico non ſemel agnoſcit. Quod ne quis inficiari poſsit, promptum eſt audire loquentem: Veriſimile eſt, ſicut indicat etiam Ioannes Viterbienſis, quemadmodum Germani à Tuyſcone nomen acceperint, ita Alemannos à Manno Tuyſconis filio ſecundo rege ſuo vocatos: & à ſeptimo rege ſuo Sueuo nominatos Sueuos, ſicut à nono rege Teutone appellati ſunt Teutones. Germani verò lõgo pòſt tempore ab exteris nationibus, Gallis ſcilicet & Italis, dicti ſunt. Cuius nominis cauſam arbitror fuiſſe, quòd belli tempore fraterno animo ſemper partiti ſint pericula & ſucceſſus: & quòd ii qui domi remanſerant, paſcentes, ruſticanteſque, vxores & liberos pro communi pa-

triæ ſalute militantium alebant: poſt annum,qui in bello fuerant,reuertentes domum, viciſsim rura colebant, nutriebantque eorum familias,qui in ſuum locum exire lege inſtitutóqué ad bellum cogebantur. Hæc viciſsitudo & mutua mutatio cum magna germanáque fide fiebát. Nec autem vſquam germani fraterniqué animi magis apparent quàm in præliis,vbi vitæ capitiſque agitur periculum. Hanc cauſam huius nominis eſſe idonei ſunt authores. Porrò ex nominibus omnibus illis nouiſsimum eſt Germanus: nec multum, quod ſciam, ante Chriſtum natum in vſu fuit. Addam & illud ex eodē: Rhenani à Rauraca Baſilea ad Oceanū vſque fuerunt aliis magis politici, propter Galliæ viciniam, qui mores exuta barbaſie ciuiliores ante Germanos acceperunt: quod vicini fuerunt Romanis, quibus ciuilitare Græci præſtiterūt. Græci autem ab Ægyptiis ciuilem vitam mutuati ſunt. Coloniam Agrippinam & Treuerim primum omnium politioribus moribus à Gallis acceptis ad ciuilem vitam perueniſſe ferunt.

Cæcutit itaque nec parum hallucinatur (vt ex verbis Mutianis nuper relatis conſtat) Nuenarius, dum vim energiamque nominis huius Germanici aut ignorat,aut diſsimulat. Vox enim iſta, Germanus,ipſo etiam Strabone authore,fraternitatem quandam,(vt & ipſe Mutius teſtatur) præ ſe fert: ita vt tranſrhenani Teutones,Gallorum germani dicti ſint:& Ciſrhenani Galli,Teutonicorum.Porrò Ciſrhenanos omnes Gallos eſſe,nec ipſe quidem Mutius diffiteri poteſt,qui ait: Omnes qui digni ſunt quibus fides habeatur,coſmographi,nempe Ptolemæus, Ægeſippus, Cornelius Tacitus, Beroſus,Strabo,& ſi qui ſunt alii huius loci,conſentientes ſcribunt,Rhenum Germaniam à Galliis ſeparare, eſſeque vtriuſque nationis terminum. Nec eſt dubium obſcurúmve,Gallos olim vſque ad Rhenum occupaſſe omnia, atque ſic Rheno diuiſas Germaniam & Gallias. Hinc palam eſt Argentinam & Moguntiam & maiorem Baſileam, reliquaſque in ea Rheni ripa vrbes, in Gallia ſitas eſſe. Dum ergo vſque ad nauſeam cenſet ac recenſet Francos eſſe Germanos, id ipſo etiam tacente agnoſcimus: è quibus ſcilicet quidam ſunt Germani Teutonici,qui trans Rhenum habitāt: quidam vero Galli,vt ciſrhenani Ordrenſes, & Moſellani omnes. Vnde & mihi rixari videntur de lana caprina, qui dum imperium ad Francos tranſlatum aiunt, inficiātur id honoris ad Gallos pertinere. Vehementiſsimum certè ſtuporis indicium, cum cunctis & lippis & tonſoribus notum ſit,Carolum Magnum in Gallia ciſrhenana ex oppido Engelyn natum fuiſſe,& ex penitiſsima Gallia,nempe Auſtraſiana patre Pipino oriundum. Manſit ergo imperium penes Gallos, eoſdemque Germanos,ſed ciſrhenanos. Fuerunt itaque imperatores Francogermani & Francogallici.Satius igitur fuerat quod verum eſt fateri, vt non etiam alienæ gloriæ detraheretur. Sed hoc eſt aſſentatoribus (Tacito authore) peculiare, vt nunquam laudent vel vituperent,niſi intemperanter:& vt vni omnia tribuant, nihil faciunt alteri parti reliquum. O imprudentiam. Quid quòd negare non poſsint Quintum ſuum Carolum fuiſſe & eſſe Gallum, nempe Flandrum ex proſapia Valeſiorum oriundum, immo & regis noſtri beneficiarium? Sunt enim Flandri,regum Franciæ occidentalis (id quod neminem latere poteſt) vaſſalli. Sic ergo imperium rediiſſe dicetur ad Gallos, atque etiam (ſi diis placet) ad Hiſpanos, nempe ad comitem Flandriæ,& Hiſpaniarum regem:imò non regē, ſed rectorem. Eſt enim adhuc ſuperſtes Hiſpaniarum regina: ideo in Gallia hodie reſidet imperium, ſi vſquam alibi. Sed hæc valere ſina-

mus: quæ dicta noluiſſem,niſi ad retegendas nugas malè feriatorum hominum, qui omnes ſui ingenii vires ad vnicum maledicentiæ ſtudium conferunt,eo infœliciores, quo ſe in ea arte dicendi ſuperiores exiſtimant. Nobis ſatis fuerit maledicta refellere,quod fieri non poteſt niſi mordaci quandoque accedente aceto. Nunc veniendum eſt ad Francici nominis primariam in ore hominũ vulgatam vſurpationem,quæ pars eſt non infima huius de qua ad præſens agitur controuerſiæ. Sed iam pridem aut extincta foret aut deſerta pugna,ſi diſtinctionem Francici nominis aduerſarius vel extremis ſaltem labris deguſtaſſet. dum enim aut ignorat aut diſsimulat Nuenarius ætatis priſcæ Frãcos à mediæ ætatis Frãcis multis annorum paraſangis diſſidentes diſtinguere:illud meretur audire, quod Ægyptium quẽdam ſacerdotem Soloni improperaſſe memoriæ proditum eſt: O Solon Solon,vos Græci ſemper pueri eſtis, nec quiſquam è Græcia ſenex. Cuius paradoxi rationẽ reddens vates ille Memphiticus: quoniã,ait, nulla eſt in vobis cana doctrina, nulla priſcarum rerum notitia, nulla vetuſtatis commemoratio:vt qui res ſolummodo nuper geſtas, & ad oculum præſentes, recenſque literarum monumentis traditas, celebretis:hac eſtis ratione pueri mẽtibus omnes, nulla rerum ante actarum cognitione imbuti, rudes, ac prǽteritorum ignari. Hæc eadem de Nuenario rerum vetuſtarũ (vt videri poteſt) ignaro, aut certè diſſimulatore,fabula narratur. Tacet enim ea quæ ad vetuſtatem pertinent(quæ tamen quiuis etiam de triuio pro compertis habet,qui modò venerandæ antiquitatis Gallicæ monumenta vel ab ipſo limine ſalutarit)& de Troiugenis priſcis recentiſsimos facit indigenas. Qui priuſquam id perſuadere poſsit, ad obliteranda obſcurandáve quæ ſuprà retulimus argumenta certiſsima, multo maiore probatione opus eſſet. quod cum nuſquam præſtet, quid ſupereſt niſi vt tota confuſus cedat arena?Sed quid probationis ab eo expectes,qui vires ſuas omnes in affectum potius quàm rationis argumentum reiicit? Cuius farinæ illud eſt, quòd ſi quis omnino contendat hunc ipſum Hunibaldum eſſe non fictitium, ſed verum:huic libens concedam, modò ne me cogat illi fidem facere in his quæ ſolent quidam expoſtulare. Nec magnopere me illi opponerem,niſi Troianos meliores putaſſet Germanis. Hic omnia ubi vſurpat affectus, nullus probationi locus admittitur, tantum citatur pro ratione voluntas & cæca philautia: non ob aliud,quàm quòd Troiani conferantur Germanis. Quod autem de indigenis ex Tacito pronũtiat, ad id reſponſum eſt alibi:ideo hic verbum non amplius addam.

Troiani belli nuſquam non receptiſsimam opinionem,dum vnius Dionis Pruſenſis ſententia fultus eleuare nititur, nil aliud quàm hircos mulgenti Dioni caſſo labore cribrũ ſupponit: & omnes qui hanc noſtram ætatem præceſſerunt authores vanitatis arguens, aduerſus toto orbe receptam ſententiam ſolus pro caſtris nullo fultus ſatellitio ſtare contendit. De Sicambria,quam hic ſtatuimus,tam multa dicta ſunt, vt plura deſiderare nihil aliud ſit quàm ludere operam. Quod autem ait fronte nimis perfricta, Eos parum admodum curo, qui Hunibaldum ſequuti ſunt, nempe Gregorium Turonẽſem,Rheginonem,Sigibertum Gallum:quid ſi par pari referẽdo audias, quòd nec ipſi te curant, multis partibus fide & auctoritate te præſtatiores? An tua iſta incuria, tantorum virorum ſupprimet auctoritatem? Interim nihil reſpondes ad Manethonis Ægyptii ab Euſebio plurimũ commendatum teſtimonium. Túne etiam eos, & quos ſupra retulimus

mus innumeros, vnico incuriæ flatu exibilabis? Hi autẽ non nouam (vt falſo nugaris) Sicambriam confingunt, ſed priſcam veteremque ſtatuunt, quæ Buda poſtmodum ſit appellata. Sed hoc (ſi diis placet) admittis, fuiſſe aliquos Sicambros Gallis vicinos: id certè omnes fatentur. quin & aliud adiungunt, aliam fuiſſe in Pannonia Sicambriã, à qua profecti qui nunc dicuntur Franci, aliã pepererint apud Gueldrenſes: qui & ipſi ſunt Galli Rhenenſes.

Vt autem cætera perſequamur, Comes noſter Nuenarius, Hunibaldo ex profeſſo aut riualis aut hoſtis, dum eius auctoritatem eleuat, ob eam inter cætera cauſam, quòd parum illi videatur elegans, hoc certè dictum hominis eſt neque iudicium neque ſenſum habentis, vt in commẽtariis Taciti probè cenſuit Althamerus. Qui vtinam in aliis tam ſyncerè de re Gallica pronunciaſſet: Sic ille habet: Qui garriunt ſe Titi Liuii, Saluſtii, aliorumque autorum opera propter Latinæ dictionis puritatem ſolùm legere, hiſtoria minimè conſiderata: nullum neque iudicium neque ſenſum habẽt: Ridiculum nanque eſt in oratione nihil aliud ſpectare, quàm verborum ornatum. Velut ſi quis, vt ſacra prophanis componam, ſanctam legat ſcripturam, aut ſacras audiat conciones neglecto verborum ſenſu, vnde pietas haurienda eſt, dictionis ſplendorem & diſſerendi artificium ſolum admiretur, ſpectetque, ſtupidus lector & auditor eſt: ita planè vecors eſt, qui in hiſtoriarum lectione orationis ſuccum & narrationem reſpuat, ad phraſim tantùm attendens. Hæc ille.

Cui ego ſuccinẽs dico, domum marmoream veritatis hiſtoricæ, pictura non egere lenocinii verborum. Nam ſi (vt in ſacris legitur) ſuper omnia vincit veritas etiam nuda & inermis: quid illi opus eſt picturatis armis inanis eloquentiæ? Magna (ait Cicero) eſt vis veritatis, quæ contra omnes omnium verſutias, impoſturas ac nugas ſe ipſam ſola defendit. Verùm quid ſi clauum clauo quis retrudens, Nuenario obiecerit: Qua tu (vt ne aliud dicám) audacia Hunibaldum repellis à teſtimonio, hoc ego deuoueo teque tuoſque modo. Ideo alia tibi arma quærenda ſunt priuſquam euincere poſsis.

3. Eſdr. 3.

Pro M. Cœlio.

Sed eſt plus ſatis fabuloſus, idque ſupra communem fidem, qui nobis proponitur credendus Hunibaldus. Id non prorſus renuo. Comperitur tamen ex vetuſtiſsimis antiquitatis monumentis valde opportuna loquutus. Id quod ex Gerardo Nouiomago, Alberto, Thoma Leodio in Tungris & Eburonibus, Noremburgenſi Fũccio, omniumque nouiſsimo vetuſtatis indagatore Munſtero, Tritthemio, Bocheto, aliiſque compluribus, qui paſsim audiuntur & leguntur authoribus, clara luce deprehenditur. Fabuloſus ergo eſt? Eſto. Tu vero ne ſis ita ſeuere ſuperſtitioſus & criticus, vt fias ipſe fabula vulgo: qui tuum vnius iudicium (vno & altero demptis, cæteriſque cõtemptis) vniuerſo ſcriptorum choro præferas. Fabuloſus eſt, audio: ſed quis fabuloſior Homero, qui fabularũ dicitur oceanus? Rurſum, quã fabulam non attigit Latinus noſter Homerus Virgilius Maro? Et in oratione ſoluta Herodotus, ob id mythologicus appellatus? Diodorus Siculus nuſquam non fabulis cõſperſus agnoſcitur. Cornelius Tacitus non vanus tantum, immo & in religionem ſacroſanctam blaſphemus apertè deprehẽditur. Cæteros taceo breuitatis amore. Hos quanuis magna ex parte fabuloſos, quis in totum reiiciat? Nemo vtique, niſi in quo ſenſum communem merito deſideres.

Hierem. 15. *Ioan. 6.*

Quid quòd multæ quandoque nugæ nonnunquam ſeria dicunt? An neſcis ſcriptum eſſe: Si ſeparaueris precioſum à vili, quaſi cor meum eris? Colligite (ait prouidus paterfamilias) fragmenta, ne pereant. Lege igitur Hunibaldum, ſed cum iudicio, alioqui tuum tibi conſilium vnà cum tuo ſympote ac conuiua Peutingero ſolus habeto. Nos interim via incedem' regia, à detritis iam vetuſtate veſtigiis nuſquam deflectentes. Nolim tamen inficiari Sicambros, qui priſco nomine Franci, ac poſterius reſumpta appellatione Francorum nomine cenſentur, primũ fuiſſe Gomeritas, Ianigenas, ac deinde Troiugenas, ac etiam in longum tempus Scythigenas, poſtmodum verò poſt multos dies & annos Tranſrhenanæ Germaniæ indigenas, Gallorum prius Germanos, ac deinde ſub aduentum Pharamundi vtroque coëunte populo partim ex fœdere, vi partim bellica Gallofrancos & Francogallicos appellatos. Quod nomen in hæc vſque tempora integrum ſyncerumque perſeuerat. Ad cæteras igitur nugas ne verbulum quidem, cum ad refutandas quæ ſuperſunt futiles argutias quæ ſuprà ex probatis authoribus aſſeruimus, ſufficiant abunde. At Peutingerum (inquiet ille) huius ſubtilis inuenti primarium authorem ſequimur. Verùm, ſed in ſympoſio ſua commenta enarrantem. Fœcundi autem calices quem non fecere diſertum? Egregia ſcilicet non dico ad ſuadendum, imò ad diſſuadendum, methodus apud quemuis cordatum hominem: quando inter pocula quærunt ſympoſiæ ſaturi quid dia poëmata narrẽt. Sic ſolent ſeſe plerique traducere, dum ex vndecunque quæſitis occaſionibus non tantum non perſuadent, imò & ne ſibi vltra credatur, anſam præbẽt. Quam enim fidem mereantur ea quæ in ſympoſiis de more effutiuntur, nemo eſt qui neſciat. Rurſum, quis non videat tum maximè exulare rationem, vbi ſolus vindictæ imperat affectus, quem nec ipſe author diffitetur? Simile ſui ſpecimen erroris prodere non erubuit aulicus quidam imperialis, patria, vt de ſe ipſe teſtatur, Alſaticus, qui vel pinguioris nidore culinæ, vel lucri captandi ſpe illectus, ſed potiſsimum vindictæ libidine excæcatus, codicillo ſuper ea re confecto, & ad Carolum quintum his nouiſsimis diebus directo, Francis noſtris regibus Francicæ nomenclaturæ appellationem inuidet, memor vt de ſe ipſe inter cætera fatetur, cladis apud Alſatiam acceptæ à Ludouico vndecimo tum in minoribus agente, nempe Delphinatiũ duce, in eo prælio quo Heluetios ſeſe illi opponentes fugauit & fudit. Et hanc vnam potiſsimam fatetur editæ à ſe tragœdiæ cauſam. Verba eius referam, quæ ſunt eiuſmodi:

Genuinum certè Alemannorum in Gallos odium vehementius renititur. Nobilis inſuper Germania, multo cruore iampridem aſſertæ libertati aſſueta, ſeruile Gallorum iugum nequaquam ſubibit. Quantam etenim crudelitatem hæc Gallorum gens in victos exerceat, Alſatia olim ſub Ludouico Delphino experta, obliuiſcetur nunquam. Sic ſeipſos traducere ſolent viri mentis collapſæ, & à veri iudicii cardine ſemotæ, dum ſuos prodentes affectus, tantum abeſt vt fidem mereantur, vt eorum perſuaſio pro deplorata ſtatim habeatur. Quandò ergo humanitatis ac modeſtiæ abiectis repagulis, his improperiis minimè contentus prodiit in aperta conuitia, Gallum modò tumoris arguens, modò verò fluxam illi fidem improperans, vt de cæteris taceam, quæ ſunt indigna relatu, vt clauus clauo retrudatur, hanc merito audire debet antitheſim:

Iam Galli horrendum terret rubra criſta leonem:
Clarum etenim vigili prouocat ore diem.
A cæteris prudens abſtineo.

Erubeſcat igitur,& pudore ſuffuſus calamitatem hanc ſuam in proprium ſinum expuens ſecum tacitus deploret: qui ſuo qualitercunque deducto catalogo,nihil aliud docet quàm ineptire. Cardo enim cauſæ totus in hoc eſt,quòd dum Germanos à Gallis, (qui re ipſa nihil aliud ſunt quàm Gallogermani) inuita minerua ſeparare contendit,hoc eſt animam à corpore: nihil aliud quàm aut ignorantiæ aut ſtuporis perpetuam notam ſibi inurit.

Id ergo res habet, (ne quē vltra multis remoreř ambagibus) Francorum nomen ſolenne fuiſſe apud claſsicos authores multo ante Valentiniani imperatoris tempora. Francos enim toto ore celebrat Flauius Vopiſcus celeberrimus author ſub Aureliano Proboque imperatoribus: qui multus eſt,imò verò plurimus in recenſenda aduerſus Francos nominatim appellatos Aureliani Probique imperatorum victoria. Fuit autem Aurelianus in Auguſtorum numero XXXI. ſub annum à Chriſtiano natali cclxxiiii. Quem non multo poſt ſequutus eſt Probus imperator qui Francos domuit & Turingos, anno videlicet à parta ſalute cclxxx. Cum tamen Valentinianus inciderit in annum ccclxviii. Sed ante hos fuit Gallienus Valeriani filius ſub annum domini cclxxvii. in Cæſarum numero XXIX. Is eſt qui Francos ad arma excitauit: qui ab eo tempore iuſto ſemper exercitu ſteterunt. Præceſsit ergo Fräcici nominis memoria tempora Valentiniani per annos circiter. cxlix.

Quid quod etiam Francorum meminit Cicero in epiſtola ad Atticum libro 14. cum inquit: Redeo ad Theos, Beſſos, Suæuos, Francones. * Hos tu exiſtimas cōfidere ſe illa habituros ſtantibus nobis? Hic nullus eſt diuinandi locus ſuper luxato Franconum vocabulo, quin potius inde colligitur ante Iulium Cæſarem dictos fuiſſe Francones à Francione priſco Gomerita Gallo, iuxta Manethonem. Francos verò à poſteriore Franco mediæ ætatis duce: ita tamen, vt Franci nomen, Franconicæ ditioni ſucceſſerit, ſicque bis Francici fuerint, Francones primum, deinde Franci dicti. Fuit ergo Francicum nomen multo ante tempore ab authoribus celebratum: vti ex Flauio Vopiſco ſuprà recenſuimus perioche nona, ne idem repetatur: vbi expreſſa habetur mentio nominis Francici. Idem in Probo ſic ait: Tu Francicus, tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu omnia: fœlix agas, fœliciter imperes. Et rurſum: Enimuero quæ mundi pars eſt quam ille non vincendo didicerit? teſtes ſunt Marmaridæ in Africæ ſolo victi: teſtes Franci inuiis ſtrati paludibus: teſtes Germani & Alemani, longè à Rheni ſubmoti littoribus.

Epiſtola. 6.

**Longe aliter in exemplaribus recens impreſsis legitur: nempe ſic: Redeo ad te. Baſſos, Scæuas Fräcones &c.*

Teſtem habeo, tametſi recentiorem, non minus tamen verum, Sebaſtianum Munſterum, qui in ſua coſmographia Franconica ſic ait ad verbum: Franconia ſiue Francia orientalis, Germaniæ pars & meditullium, à Sicambris, quibus Valentiniani Cæſaris tempore ob Alanos deuictos Francorum nomen contigit, appellata.

Et paulo poſt: Terra, præterquam ea pars quæ Norica hodie vocatur, atque fluminibus vicinior eſt, arenoſa nimium non eſt, vt Æneas Syluius ſcriptum reliquit, nec nimium etiam ſilicoſa. Fertilis omnis eſt. hordeum, triticum, & omne frumentum legumenque ſatum, multo cum fœnore reddit. Nulla Germaniæ prouincia plures & maiores cepas gignit, nulla grandiora rapa, &

P ii

caulis capita. Adde & ea quæ de glycyrrhiſa paulò ante dicta ſunt:
quæ radix eſt cuiuſdam herbæ, quæ profundiſsimè ſeſe demittit in
terram, quam alio nomine Liqueritiam vocant. Vulgus Gallicum
appellat Reugalice: quæ dictio non obſcurè indicat radicē Gallicā.

Sequitur ex eodem: Sed redeamus ad Franconum originem.
Hi primum habitauerunt iuxta Rhenum in inferiori Germania, in
regionibus quæ hodie Gueldria & Hollandia appellantur, citra vl-
traque Rhenum. Sunt qui ſcribūt populum iſtum primam originem
duxiſſe ex Scythia, & præſertim ex ea regione vbi Danubius in mare
labitur. Ibi putantur Francones ante Chriſti natiuitatem habitaſſe:
ſed cum propter Gotthos ibi pacificè viuere nequirent, anno ante
Chriſtum natum 433. conſilio cum rege ſuo Marcomiro inito, pro-
fecti ſunt ad Rhenum, in Fryſiam ſcilicet & Gueldriam, appellatá-
que eſt ab eis regio illa Sicambria, ſicut & ipſi Sicambri fuerunt ap-
pellati. Inter multos autem duces quos habuerunt, vnus dicitur ap-
pellatus Frācus, à quo & ipſi deinceps dicti fuerunt Franci. Hæc ille.
Cui in chronographia an ſubſcribendum ſit necne, poſtea dicetur.
Quo fit vt non parum aberrent à recta, qui negant Francorum ſub
eo nomine memoriam ad tempora perueniſſe Ciceronis: cum ex
Lib. 14. epi. 6. prædictis conſtet apertè eo nomine vſum fuiſſe in epiſtola quadam
ad Atticum. Aiunt codicem luxato vocabulo fuiſſe corruptum, hoc
poriſsimum argumento perſuaſi, quòd Francus ille à cuius victoriæ
fœlicitate gens illa ſibi per acclamationem publicam Franci nomen
indiderit, diceret: hic Franc, hic Franc. Hic autem Francus, teſte
etiam Tritthemio, Cæſaris ac proinde Ciceronis ætate poſterior fue
rit, vt qui annis ſeptem & triginta Chriſti domini natalem præceſſe-
rit: ætas verò Iulii Cæſaris annis ſupra quinquaginta Chriſti præuer-
terit aduentum. Hinc ſe obtinuiſſe putant, Francici nominis memo-
riam, vtpote nondum natam, Ciceroni fuiſſe incognitam. Sed longè
falluntur, minimè attendentes ex Manethone multis antè & diebus
& annis Francum hunc neotericum Francionem quendam præceſ-
ſiſſe: cuius nomen cum ad tempus ex non vſu infrequens fuiſſet, non
tamen penitus abſorptum, veluti quodam poſtliminio reſumptis vi-
ribus in publicum prodierit: eoque ſpectare credenda eſt geminatæ
vocis acclamatio, Hic Franc, hic Franc. Hoc præferens indicium:
Nos qui olim patrum priſcorumm memoria Franci dicebamur à pri
ſco Francione, nunc noua occaſione accepta repetitum nomen vo-
lentes ac lubentes accipimus.

Neque id tacuit Michael Ritius, ita inquiens: Sunt qui dicant e-
uerſa Troia partem incolarum duce Francone ex Hectore genito ſe-
des ad Mæotim cepiſſe in finibus Alanorum: conditaque vrbe Sicā-
bria, Francos à nomine ducis eſſe dictos.

Facit ad hoc noſtrum inſtitutum, quòd editio Ioſephi Ben gorion
Hebraica lib. 5. cap. 42. Franci nominis meminit, his verbis: Præce-
debat caterua militum, & fortiſsimi quique Iudæorum: & poſt mili-
tes, caterua Germanorum & Gallorum qui ſunt Francigenæ, omnes
gladiis accincti, & induti loricis, flentes ac lugentes, & cum lamento
incedentes. Et id quidem refertur ad tempora Herodis Aſcalonitæ
& Auguſti Cæſaris: etiamſi in hoc hæſitet Munſterus leui potius au-
gurio, quàm perſuadente, imò nec ſuadente ratione.

Hactenus aduerſus Gallici nominis æmulos digreſſum ſit, multis
quidem (ſi vocabula numeres) verbis: ſi verò rei de qua agitur condi-
tionem attendas, reſpondendi neceſsitatem conſideres, æmulorúm-

que turbam innumeram, & mille nocendi artes: admodum paucis. Quandò verò iudicis officium eſt vt res, ita tempora rerum quærere: Franciсæ gentis ingreſſus ac ſubinde progreſſus chronologia texenda eſt proxima ſubijcienda perioche.

DE FRANCICAE GENTIS TAM in ingreſſu quàm progreſſu Chronographia. Perioche duodecima.

IN deſignanda Francicæ demigrationis chronologia non parum à ſcriptoribus variatum eſt, ſeu originem Francigenatum primam, ſeu primum in Galliam aduentum attendas. Huius dyſcraſiç occaſio pendet partim ab æra cladis Troianæ, in qua variant authores: partim vero ab annorum poſt hominem natum ad eundem redemptum interiacentium variãtibus calculis. Ex hoc enim variare neceſſe eſt annorũ rationem ad Chriſtianum natalem: quinetiam ab Olympiadum varia conſtitutione lis iſta dependet. Nonnulli Oroſij calculum ſequuti, nongentos annos deſignãt antè Chriſti natalem. vnde ſequens eſt, ex quo Oroſius quinquies mille ducentos ab orbe creato ad redemptum numerat annos, calculum deſignare vt æra annorum ſecularium figenda ſit ad annum mundi 4300. Sublatis nimirum à quinque chiliadibus centurijſque duabus, annis nongentis. Primam igitur tranſmigrationem Troianorum in Scythiam referunt in annum mundi 4759. Illicque conſederunt vſque ad annos ante Chriſtianũ natalem 440. Ex his conflatur numerus 5199. ab orbe condito ad Chriſtum natum.

Quod ergo aiũt Troianos ad Scythiam appuliſſe ſub annũ mundi trigeſimum quater milleſimum, vſque ad annum 4759. hoc eſt per annos 729. quo ſcilicet tempore ad Rheni fluenta deſcẽderunt, vno plus minus anno: id non congruit cum æra nongentorum annorum ante Chriſti natalẽ ſuperius deſignata, quæ reliquos facit annos quater mille trecentos, non item triginta. Differentia eſt in annis 270. Denique vt ſuum quiſque ſibi calculum præſumit, ita vacillant notæ Francicæ tranſmigrationis inſigniores, ſeu in annis ſecularibus, ſiue ante Chriſti natalitium anno, pro ſuo cuiuſque arbitrio numeratim collectæ. Sunt autem tria potiſsimũ capita. Primum, ab exciſa Troia in Scythiam. Secundum, à Scythia in Danubium. Tertium, à Danubio ad Rheni fluenta: cum per id tempus dicerentur Sicambri, qui antea Scythimæotici appellabantur. Qui deinde mutatis ſedibus in Galliam Ciſrhenanam quæ nunc Gueldria, hoc eſt Gallia Rhenana vocatur, vicinamque Fryſiam & Brabantiam populariter tranſmigrarunt. Nos ergo ſuo cuique permiſſo iudicio, alium ſequuti ſumus calculum in iſagoge noſtra, nec paucis, nec leuibus coniecturis demonſtratum: quo à ſeculo creato, ad ipſum reſtitutum, annos deſignauimus 448. Troianum verò excidium eo loci reponendum cen ſuimus ex Halicarnaſſeo anno ante vrbem conditam 402. hoc eſt, ad annum mundi 2896. Reſtant ad Chriſti natalem anni 1152. Vulgatus autem calculus habet 440. Differentia eſt in annis 712. in annis ſcilicet ante Chriſti aduentum. Duos itaque plus quadringẽtis annos iuxta Halicarnaſſei calculum numerabimus à Troia capta ad vrbis Romæ inaugurationem: aut certè apud Tatianum tres & triginta ſupra quadringentos. Hic igitur nobis lapis Lydius eſto, quo vti falſum ab adulterino aurum, ita & rectus ab exorbitante

calculus diſcernatur. Hinc enim ſtatim depreheditur error chronographorum qui Troiam euerſam aiunt ſub annũ mundi 4 0 2 0. Romæ vero primam originem reiiciunt in annum 4 4 4 0. Differentia enim eſt in annis 38. Non longe tamen diſtat à Tatiani ſupputatione numerantis inter Troiæ cladem & vrbis originem quadringentos tres ac triginta annos, differente calculo in annis ſeptem. Longius autem abſunt, qui plures interſerunt annos:vt qui quater mille quadringentos quinquaginta minus vno tribuunt anno vrbis Romæ natalitio. Ioannes Lucidus Troiam euerſam aſſerit in annis ſecularibus anno.2 7 8 4. vrbẽ verò natam anno ter milleſimo ducenteſimo nono. Interſunt hac ratione anni. 4 2 5. Differentia eſt ab Halicarnaſſeo in annis.23. in abundantia calculi, in defectu autem à Tatiano in annis octo. Ex his facile eſt errantes calculos nullo negotio diſpungere. Pari opera promptum erit ethnicorum calculum vnà cum ſerie temporum ex ſacris Bibliis deprehenſa conferre. Cuius rei id exemplum eſto. Vincentius Bellouacus Polyhiſtor numerando cenſet à tempore Aioth ad Labdon. 1 6 9. Ex cuius hiſtoria libro tertio,ſexageſimo primo & ſexto capitibus hæc deprompta legũtur:Poſt captiuitatem Troiæ, quæ facta eſt anno 3. Labdon, (qui etiam ſecundum Euſebiũ fuit à natiuitate Abrahæ. 8 3 5. primus apud Latinos regnauit Æneas. De Labdon ſuo loco exactius diſſeritur.

Tandemque ſubiungit ex hiſtoria Francorum:

Tempore Aioth ædificata eſt Troia,& ſtãs.1 8 5.annis,tempore Labdon capta eſt:poſt cuius euerſionem multitudo magna fugiens, & in duos populos ſe diuidens,alia Franconem,Priami regis Troiæ nepotem, ſcilicet Hectoris filium: alia Turcum filium Troili filii Priami ſequuta eſt. Et inde tradunt quidam duos populos, ſcilicet Francos & Turcos vſque hodie vocari.Hæc ille.

Quod autem de Franco & Turco hic commemoratur,hoc ſuperpondii vice in ſuo itinerario deprõpſit Baldricus Dolẽſis præſul,eam ob cauſam Turcis eſſe perſuaſum, neminem equeſtri dignitate dignum, niſi qui aut Francus natus ſit, aut Turca. Vtcunque ſit, id omnibus eſt in confeſſo quod poëta cecinit:

Nouerunt Solymi Francos,& Delphica rupes.
Tantus erat terror,tam formidabile nomen
Gallorum, quòd non hodie gens vlla putatur
Quam mage Turcarum timeat violenta poteſtas.

Quod autem ad Bedæ ſupputationem attinet, qui Troiam aſſerit euerſam ſub annum Labdon iudicis tertium,hoc ipſum aſſerente Vincentio hiſtorico, ſi Iſagogen conſulas, parum à ſcopo digredientem inuenies. Nam inter Romam erectam & Troiam euerſam numeran tur anni. 4 0 2. Quo fit vt Troia exciderit anno mundi. 2 8 9 6. qui annus eſt Labdon ducatum exercentis quintus. Beda verò tertium numerat,Maſſeus ſecundum:qua in re modica eſt diſcrepãtia. Quod autem ad rem noſtram propius accedit, aiunt Frãcicæ chronologiæ authores Lutetiam fuiſſe cõditam anno poſt Troiam euerſam ſexto, Ternouantũ verò in Anglia anno octauo: idque Troianorũ opera & induſtria. Quo fit vt vtriuſque ciuitatis erectio in tempora Samſonis referenda ſit,Lutetiæ inquam & Londoniarum: vt illa anno quarto, hæc vero anno ſexto Samſonis à Troianis nauigio delatis erecta ſit: vt intelligamus ab oſtio Sequanæ toto pelago iactatos Troianos ad inſulam perueniſſe Lutetiæ: alios vero per buccam Tameſis nauigio Albionem perueniſſe, quo loco Ternouantum condiderunt.

Quæ dictio nobis ſignificat terram nouatam. Dicta eſt autem Londonia à Luido vulgato nomine Keerluit, hoc eſt ciuitas ludi, ac deinde Luidonia, nunc verò Londonia, luxatis pauculis elementis.

Fuit autem Samſon fortis, nõ tam ex natura quàm ex gratia. Neq; enim ex capillitio geniale robur pendêre poteſt. Ad hunc ſanè modũ Lutetiæ vis hactenus inexpugnabilis, ac robur nulli alteri conferendum, à cœli magis nutu ac renutu quàm à ſoli duritie aut aſperitate accidit. Vti vero Samſon à nemine vinci potuit, niſi à ſeipſo, vt plures conficeret mortuus, quàm ſuderat ipſe viuus: ſic nec vlla externa vi poterit Lutetia vnquam niſi ſua tantum mole perire.

Iam tandem reſtat chronologiæ ordiné abaci præſidio ob intuentium oculos ſubtexere. Ab orbe condito ad Chriſti aduentum an. 4048. Hinc eximendi ſunt anni ad inundationem aquarum, à qua liberati Ianigenæ, Gomerus ſcilicet & Samothes, Galli dicti ſunt, hoc eſt ſuperantes aquas, nempe à Iapeto cognomento Gallo prodeuntes, qui toti Europæ præfuit.

Auſer itaq; annos poſt homines natos ad diluuium numero *1656.* occurret initium Gallici nominis ſub annũ ab orbe condito ad Chriſtianum natalem *3392.* Hinc fons & caput primæ originis Gallicæ ad annos ante Troianum excidium *986.* & ante vrbem conditam *1388.* detractis ſcilicet annis ex Halicarnaſſeo ab euerſa Troia ad Romã natam, *402.* Præceſsit itaque Troiugenarum Francorũ ætatem, Gallici nominis origo multis annorum paraſangis, quantum ſcilicet intereſt inter cladem aquarum, & Troianum excidium: ita vt prius dicerentur Galligenæ quàm Francigenæ, nempe Gomeritæ Galli: cui tota ceſsit Europa, vti ex Beroſo cernere eſt. Ex quo conſtare poterit ipſos etiam Troianos, & qui deinde ſequuti ſunt Sicãbros Troiugenas, primum fuiſſe Galligenas, addo etiam & Francigenas, à priſcis ſcilicet patribus, Gomero Gallo Iapeti filio, vnde dicti ſunt Gomeritę Galli. Quinetiam & Samothei, à Samothe fratre Gomeri & Tubalis ex Iapeto procreatis. Fuit Samothes Saga dictus, quòd nullus ea ætate ſapientior illo fuerit. Quem ſequutus Druis, Druidibus Gallis nomen indidit. Poſt quem Celtes, à quo Celtæ dicti: Galates item, à quo Galli ſiue Galatę. Deinde à Belgio Belgæ. Fuere præterea Franci à priſco Frãco appellati. Id quod Manethoni Ægyptio probatur, Annio Viterbienſi ex probatiſsimis teſtimonniis authore. Cui ſuccinit Ioannes Lucidus lib. *6.* cap. *2.*

Sunt igitur Galli duplici, imo verò triplici nomine. Franci, à Franco ſcilicet priſco, ex Manethone: ab altero item Hectoris filio, vti ex Vincentio Polyhiſtore probatum eſt: hoc ipſum vno ore approbantibus omnibus in vniuerſum qui Gallicam texuerunt hiſtoriam: & ab eo, à quo Sicambri ſibi nomen Franci indiderint.

Quo fit, vt qui tertiæ generationi ſuperfuerunt Gallofranci Merouingi, tergemini Frãci, ſeu (ſi ita dicere liceat) Triſtãci, & tertio ſuperante gradu Franciſsimi appellandi ſint: vbi primum ex Orientalis Franconiæ ducibus Occiduæ Franciæ, quæ ipſiſsima eſt Gallia, reges & dici & eſſe cœperunt. Priuſquã tamen à priſca Francici nominis origine pedem referam, admonitum velim lectorem ſuper huius loci intelligentia Geneſis *11.* Dilatet (inquit Noah) dominus Iaphet, vt habitet in tabernaculis Sem. Super quo (vti Beroſus refert) Comeritæ aliqui in Aſia partim, partim in extremis Aphricæ partibus ſedes collocarunt. Vnde & Hiſpani Aphros aliqua ex parte Comeros appellant. Nam ad compeſcendas Chameſuenorum execranda ſacrilegia,

ideoque Neumagi ſeu Neomagi dicti ſunt, quaſi noui cognati. Subinde regnauit quę ſequitur numero turba notanda, vnà cum regnorum ſuorum initiis ac periodis.

Marcomirus an. 21. in totum an. 28.

Antenor an. 30.

Tunc primum dicti ſunt Sicambri Troiugenæ, qui prius Scythigenæ dicebantur.

Succedit Priamus Antenori an. 26.

Quo primum tẽpore vſurpare cœperunt linguæ Saxonicæ vſum, non tamen neglecta prorſus vetuſta phraſi Græca.

Helenus ſequitur Priamum ad an. 19.

Idq; poſt Brẽni & Senonũ in Italia expeditionẽ quadragĩta expletis annis. Fuit ille externis dirus ac dur⁹: ſuis verò paulo mãſuetior.

Poſt Helenum Diocles: fuit victoria Gotthicus, fœdere Saxonicus, Turingus, Teutonicus, mole corporea giganteus, robore inſignis & armis: rerum potitur an. 39.

Dioclem ſequitur Helenus ad an. 14.

Segnis, iners, lubricus. Hic ob laſciuiam exauthoratus, ceſſit Baſano fratri regnaturo.

Baſanus omnium fratrum natu minimus, audax, prouidus, & in re bellica exercitatiſsimus, iuſti & æqui tenaciſsimus: Manlianæ ſeueritatis erga filium obſeruator. præficitur ad annos 36.

Poſt Baſanum Clodomirus ad an. 18.

viuente patre regno inauguratus. Gallos fudit bello atrociſsimo.

Nicanor Clodomiri rebus præficitur ad an. 34.

poſt plurima prælia victor euaſit.

Poſt Nicanorem Marcomirus primogenitus ad an. 28.

vir pius, clemens, modeſtus, prouidus, bonarum artium peritus, aſtronomiæ peritia belle imbutus.

Clodius, aut ſi mauis, Clodoueus, primogenitus ad annos. 11.

Gallico marte interemptus: nec id tamen impunè.

Antenor Clodij an. 16.

vetuit humanum ſanguinẽ fundi in ſacrificiis, cui edicto perpetuò deinceps paritum eſt. Inducias cũ Gallis quinquennales pepigit.

Clodomirus imperat ad an. 20.

ditionis ſuæ terminos ad Moſam vſque prorogauit.

Merodacus rexit an. 28.

multa aduerſus Italos pręlia geſsit, vſq; ad Rauẽnæ deprędationẽ.

Caſſander præficitur ad an. 21.

auro diues, & ſpoliis onuſtus.

Antarius poſt Caſſandrum an. 35.

à Gallis demum interemptus. Porrò anno regni ſui ſexto, non (vt alij volunt) duodecimo, Cæſar Gallias hoſtiliter inuaſit, anno (vti Euſebius refert) ante Chriſtianum natalem ſexageſimo.

Francus deinde ſequitur victoria & ipſe Gotthicus, qui à ſe populum denominauit Francicum ex Sicambro. Qui tamẽ antea hoc nomine illuſtris fuerat, gemina ex cauſa: à Franco ſcilicet priſco (vti ex Manethone docuimus) deinde verò à Franco Hectoris filio in Scythia Mæotica rerum potito. Quod tamen penè obliuione deletum fuerat, poſt longum temporis tractum nũc tecentatũ magno applauſu, perpetua acclamatione, quodam veluti poſtliminio ſuæ libertati reſtitui ac quodammodo reuiuiſcere cœpit. Regnauit Francus an. 28.

Iũctim ſequitur Glogio, clara & chara Frãci ſoboles anno ante Chri-

ſtianũ natalẽ proximo: poſt Merouei regnantis annũ ſeptimum 425.
ab anno videlicet mundi. 3623.

Qui duo numeri iunctim aſſumpti deintegro perficiunt annos ab orbe condito ad redemptum 4048.
ad amuſsim in Iſagoge noſtra deſignatam.

Hos omnes Troiugenas fuiſſe, non vt æmuli obtrudere fruſtra conãtur, paluſtriũ lacunarũ indigenas ac protogenas, vel ex hoc vno pſpicuè deprehenditur, q hi magna ex parte Troianorũ nominibus vulgato omnium conſenſu celebrãtur. Nomina hæc ſunt: Antenor, Priamus, Caſſander, Helenus, Francus, à gemino (quod dicitur) Troianæ originis ouo, iteratis vicibus transfuſa. Qua ratione quartus ea appellatione dicendus eſt, qui noſtra ętate nuper deceſsit Franciſcus, Henrici proſperè hodie ac fœliciter regnãtis genitor illuſtris. Pro eodem enim habemus Franci, Francici, Franciſcíq; nomina. Ne igitur à ſcopo longius aberremus, regnauit Clogio annis in vniuerſum 30. & à Chriſto nato 29. Sunt tamen qui ærã natalitiam in annũ Clogionis decimũ referant, nec illos incuſamus. habẽt quo ſe tueantur. Dum enim numerant annos Scythici incolatus, ferme (vt inquiunt) nõ præciſe ſeptingentos viginti nouem: differentiã in ambiguo relinquentes, detractis nouem annis, conficietur numerus ſub anno Clogionis decimo. Vtcunq; ſit, fallitur Munſterus, Clogionis & Franci tempora ad ætatem Tiberij referens: cum Francus Tiberium toto præceſſerit æuo. potuit tamen Clogio cum Tiberio conſeruiſſe manũ, ſed eo nõdum imperium adepto. Poſt Clogionem regnat Herimerus 19. filius eius primogenitus ad annos 12. Gallorum armis periit: à quibus laceſſitus, loco & vitæ cedere compulſus eſt. Huius anno tertio Chriſtus dominus pro ſalute mundi paſſus eſt.

Marcomirus 20. Herimero ſine liberis pereunti ſucceſsit, ad annos 18. victurus.

Clodometus ordine 21. patrem Marcomirum ſubſequitur ad an. 12. in re bellica quoad vixit aſsiduus. Recuperauit à Gallis quod vltra Moſam vi eripuerant.

Antenor ordine 22. ſceptro inauguratur ad an. ſex, Moſæ fluminis aquis tandem obrutus vnà cum clariſsimis ſuæ militiæ ducibus.

Catherius 23. aliàs Ratherius, à quo Roterodamus oppidum conſtructum creditur, fœdus inſtaurat olim percuſſum cum Saxonibus, Teutonibus & Turingis. Regnat ad an. 21.

Richimerus Ratherij hæres 24. regnum tenuit, & ſummum in ſua ſuperſtitione, vt ne dicam religione, pontificatum. magnificus dum viueret, cordatus & bellicoſus. Gotthicam domuit rabiem, Saxoniæ, Turingiæ ac Germaniæ ſtipatus ſatellitio, cæſis ex Gotthica gente viginti hominum milibus, oppoſito illi genti Marquione Sunone filio ſecundogenito. Viam pręcluſit Gotthis, ne deinceps Saxoniam inuadere poſſent. Francofordiam Francorum emporium extruendum curauit. Gentem Francicam in varias plagas diduxit: vnde & Sunonia Brandemburgium & Marcomerianum oppidum prodierunt. Anno ſui regni quarto ac vigeſimo in fata conceſsit.

Anno Chriſti 111. Audemarus Richimerum patrem ſequitur, pacificus quoad vixit: totáq; ſua vita tranquillus: ac perinde in extruẽdis ampliſsimis ædibus magnificentiſsimus. Regno potitur ad an. 14.

Anno Chriſtianæ ſalutis 25. ad vnum & viginti annos Audemaro ſucceſsit Marcomerus. ſeptem ex ſe maſculos filios procreauit. Quorum primus regno ſucceſsit: poſtremus verò Audemarus ethnicum in-

duit pontificatum.

Clodomerus.27.in regum ordine,anno à parta ſalute.146. regno inauguratur ad an. 17.

vir prouidus, modeſtiæ cultor & humanitatis. Maximus natu ex tribus ſuis filiis regnum obtinuit:medius Phriſonibus præfuit: nouiſsimus,ſuo in fluuium caſu roricus,Roræ nomen indidit.

Pharabertus Clodomeri primigenius numero regum 28. ſub annum Chriſti 1503.
Francis præfuit ad an. 20.

Sunno ſceptro initiatur anno Chriſti 183.
victurus an. 28.

Hildericus Sũnonis primogenitus ordine regum.30. anno ſalutis.211. ad an.40.regnauit & vixit.

Batherus numero 31.ad annos 18.regnauit,cum Chriſti ageretur annus 251.Italiã penetrans,Rauennæ ſpoliis onuſtus ac locupletatus ad propria reuerſus eſt: nec multò pòſt in fata conceſsit.

Clodius regum numero.32.ad annos .27.ſuperſtes ſub annũ Chriſti .269. Galliarum expilator,ab Aureliano imperatore cohibetur, tre centis è ſuis vitis militaribus in vincula coniectis, ex Flauio Vopiſco. Quo authore Franci dicuntur multo ante Valentinianum tempore. vnde error perſpicuus apparet eorum qui falſo exiſtimauerunt Francos primum appellatos, cum centum ferme annis Aurelianus Valentinianum præceſſerit.

Vvaltherus.33.anno ſalutis.296.ad annorum regnauit ogdoadem. Quo ſuperſtite terræ tremor ingens inualuit.

Dagobertus.34.huius nomenclaturæ primus Galteri proles,humanitatis,clementię & ęquitatis fulgore illuſtris,ſub annum Chriſti. 304 ad an.11. Francorum regno potitur.

Clogio Dagoberti.35.regnum iniit anno à partu virginis.316.Quo ſimul & vita defungitur altero ſui principatus anno, Gallo marte cæſus:non tamen fuſo exercitu,ſed victore. in ipſo enim procinctu Clodomirus frater defuncti perſonam induens, fraternam necem vindicauit. Cui & ipſe ſucceſsit in regno procerum conſenſu excluſis fratris demortui liberis:quibus ex lege non licuit Francis imperare ante annum ætatis quartum ac vigeſimum.

Frater fratri in regno ſuccedẽs nõ filii.

Clodomirus itaque non tam progenitura quàm electione regni faſtigium adeptus ſub annum 318.ad an.18. tandem finem regnandi fecit & viuendi. Et hic primum filum maſculæ generationis interruptũ eſt.Rex tranquillus,& dilatato regno auguſtus. Orta ſeditione inter Turingos & Sueuos ob vecordię crimen obiectum,plagam vnam terræ quæ poſtea Frãconia dicta eſt,Francus à Turingis recepit ante annum Clodomiri ſeptimum.Erant itaque Franci veluti propugnaculũ quodam inter Sueuos & Turingos.Fa regio,Francia orientalis appellata eſt:cuius dux primus fuit Genebaldus Clodomiri germanus. Hęrebant itaque Francones regi Franco, ducali dignitate contẽti vſque ad Pharamundum,qui ducatu Franconię vnà cum Francorum regno potitus eſt.

Richimer⁹ Clodomiri primogenitus rex Francorũ.37.regnare cœpit ſub annum Chriſti 336.
ad an.13.Quo expleto termino fuſus & occiſus eſt.

Theodomirus inter reges. 38.annorũ decadem expleuit ab anno ſalutis.349. Demũ vnà cum matre Aſtilda gladio periit.

Clogio.39.ab anno ſalutis.359.ad decimumoctauum ſubinde annũ

Francis imperauit, Cameraco potitus,agriſq; fœcundiſsimis,etiã vſq; ad fluuium Saonam, fortè rectius Axonam . Saona enim longe abeſt ab eo tractu : quæ aliàs dicitur Araris. Axona autẽ vulgo dicitur Ayne,quæ vrbẽ aluit Sueſsionicam: niſi malis Somonam intelligere, vulgo la riuiere de Somme: quæ hodie eſt limes ditionis Galliçq. Ea etiã dicebatur Samara:vnde dicta eſt Samarobrina. Marcomirus Clogionis protogenius ad annos 15. ſceptro potitur , à parta ſalute 377. Porrò ſub annum domini 390. ex Albione in continentem Britanniã triginta hominum bellantium milia tranſmigrarunt . Qui cum ad ſe euocarent ex Anglia puellas nubiles, factum eſt vt naues ingruẽtibus ventis agitatæ toto errantes pelago, non procul à Colonia Agrippina ad littus peruenerĩt. Inter quas primas tenebat diua Vrſula vndecim comitata virginum milibus. Quæ cum tyranni Hunnorum regis libidini obtemperare nollent, omnes ad vnam pro caſtitate tuenda neci datæ ſunt. Nec multò pòſt regno & vitę Marcomirus cedere cogitur. Vnde ſecuta eſt Anarchia in Ciſrhenana Gallia ad ãnos 26. ab anno partæ ſalutis 393.

Cum autem Valentinianus Francis tributum imperare conaretur, audiit à Francis fieri nõ poſſe, vt qui cæteris hactenus nationibus tributum imperaſſent,eo vnquam nomine ad pecuniam numerandã animum inducerẽt. Ideo opus eſſe armis potius quàm legatis ad huiuſmodi vectigal exigendum. Falluntur interim qui eos primũ Francos dictos fuiſſe exiſtimant, & ſoluendo tributo aliquando fuiſſe obnoxios. Eo interregno agebant ſub ducibus Franci,vſque ad Pharamundum,qui ducali nomine ad annos 15. ſuis imperabat.

Agebatur itaque annus à parta ſalute poſt anarchiam ſex & viginti annorũ,419. vno plus minus anno,cũ apud Vvirciburgiũ Pharamundus regio nomine decoratur . Id enim manifeſtũ eſt ex calculi ratione,conſentientibus Pauli Æmilij annalibus. Ea ciuitas Franciæ oriẽtalis metropolis, paſsim Herbipolis dicitur . Sunt tamen qui legant Vvurciburgiũ, quo nomine intelligũt Muſtopolim ſeu Oenopolim. Lege chronographiam Munſteri.

Ceſsit itaq; Pharamundus ducali functioni Francię orientalis,duce inſtituto fratre Genebaldo,& ex duce rex occiduæ Frãciæ effect⁹ eſt. Tunc primũ cœperũt eſſe Franci reges & Francogalli ſeu Gallofrãci.

Pharamundus (vt hinc ordiar) fons & origo Gallofrãcicæ monarchiæ idcirco iudicatus eſt,quòd primus omnium Galliæ incubuerit, nullo non tẽpore à ſe ſuáve poſteritate regio titulo ſuccedente. Nam quòd Romani aut Arioniſtus Galliam ſibi ſubiectam reddiderint, id perpetuum non fuit. Deſierunt enim imperare tandem in Galliis. Ex quo verò Pharamundus regnare cœpit,ſuis nunquam regibus aut maſculina ſobole prognatis,aut certè procerum & conſenſu & acclamatione aſſumptis Gallia caruiſſe legitur, niſi fortè modici aliquãdo tẽporis interregno. Atq; ita glorioſe rexit, regníque incunabula tenuit Vbiis in ſuam ditionem receptis. Quo etiam loco de Alemanis apud Tolbiacum nõ ita multò pòſt Clodoueus triumphauit. Fuit præterea noſter iſte Pharamundus, legiſlator ſapiens, conſilio prouidus,iuriſq; (vt tempora illa ferebant) bene conſultus . Vt primus, ita & ſummus Occiduæ Franciæ, quæ & Francogallia dicitur, ſeu Gallofrancia, & rex & imperator,nullius vnquam imperioſo tributo externę nationis ſeruiens. Fuit enim ea gens ante regis ſui inaugurationem aliquando Sicambrica,aliàs verò Franca appellata,ſemper tamẽ libera. Proinde minimè audiendi ſunt qui annalium authoritatem ſequuti referunt

ſub

ſub Valentino & Valentiniano imperatoribus Frācos à tributo quod Romanis pendebāt, ad decennium fuiſſe liberatos. Quo exacto, dum ad hanc ſeruitutē vocarētur, prorſus reſtitiſſe. Id Albertus Crantzius putat eſſe fabuloſum, æquiore in hac re quàm in reliquis ſuis ſcriptis erga nomen Gallicum & animo & iudicio. Liberi itaque ſemper fuerunt, etiam antequam Franci.

Fuit præterea Pharamundus nō ſolum armis inuictus imperator, verum etiam & Gallofrancorū primarius legiſlator: vt vtrunque tempus habuiſſe dicatur & belli & pacis artibus decoratum. Non quòd vniuerſa per id tempus Gallia illi paruerit. Quis enim neſciat fluuiorum omnium vadabiles eſſe fontes? ſed quòd primus omnium in Gallia regnare cœperit adepto vi armorum ſummo in Vbiis ſeu Colonienſibus Ciſrhenanis imperio, decurſo etiam ſolo maritimi littoris, ditione tamen longius latiuſque protracta per Clodionem, Merouecorū rque ſucceſſores. A quo Merouęo, ob dilatatum imperium, vniuerſa regum ſeries vſque ad Carolum magnum Merouingi ſanguinis appellatione illuſtrata eſt. Quod autem ad legiſlatoris nomen pertinet, conſtituit ille ſtatim à ſua inauguratione, tertio videlicet anno apud VVircemburgum, aut (ſi mauis) Herbipolim, ſeu (vt alij legunt) VVurcemburgum, hoc eſt Muſtopolim ſeu Oenopolim: quaſi dicas, vini potius quàm herbæ ciuitatem. Vitifera enim eſſe dicitur à Munſtero chorographo, nouellæ huius ſententiæ authore:

Conſtituit inquam quartumuiralem ſenatum, ex cuius ſententia edita ſit lex quam dixere Salicam, ſeu à Sala adiacente fluuio, ſeu etiā à ciuitate quæ hodie etiam Saltzburgium dicitur: diuerſum tamē exiſtimāte Munſtero. Ait ille Francos vt Gallorum animos ad ſe allicerent, linguæ ſtuduiſſe Gallicæ, vt quæ ſuauior eſſet & lenior ruditate Sicambrica. Porrò Galli aulam vocant Sale. Dictam igitur legem Salicam, quaſi dixeris aulicam: nos Conſiſtorialem diceremus, aut ſenatoriam, ſiue Palatinam. Fuit igitur lex illa quartumuiralis, vti nunc centumuirales dicuntur ſententiæ curiæ quam vocant parlamenti. Eſt autem parlamentum, parium lamentum, quo nomine cenſeri potuit conſeſſus ille quartumuiralis, præfectis in eam rem proceribus quatuor: Salagaſto, VVeſogaſto, VVindegaſto & Baſogaſto, qui conflatum opus in tres malios, ſeu (ſi mauis) cauſarum tomos triplici argumento partiti ſunt. Quæ enim pręceſſerant leges, armorum tumultu ita obmutuerant, vt magna emendatione indigerent. quæ ſubinde ductu & auſpiciis protochriſtiani Clodouei non parum acceperunt & augmenti & ornamenti, vt Tritthemius author eſt. Vixit Pharamundus regio nomine annis (vt Sigeberto placet) 11. ad annum ſalutis 430. vno plus minus anno. Quem ponè ſequitur Clodio cognomento capillatus: cum tamen multis ante eum ſeculis Gallia cui præerat, Comata diceretur & intonſa, ad differentiā togatæ, quam & tonſam dixere veteres. Proinde hallucinantur qui aiunt hunc ſolum fuiſſe comatū, quòd cæteris pro ſua animi ferocia in ſeruitutis notā capillaturā abradere decreuiſſet. Non enim id attētaſſet apud Senones Gallos, qui fœdere aduerſus Attilā ꝑcuſſo, Frācis erāt coniūcti potius ꝙ vi aut domiti aut ſubacti: id quod ſuprà docuim⁹. Secus forſan de his quos vi domuerat in rebellionis pœnā. Vtcūq; res habeat, illud cōſtat, Francos promiſsis & barbis & capillis vſos fuiſſe aduſque tempora præſulis Pariſiorum Petri Longobardi, qui aduerſus ſui nominis etymon & tondēre comas, & abradere barbas regnante Ludouico iuniore tam fœliciter ſuaſit, vt perſuadendo voti ſui compos euaſerit.

parlamentum.

Fuit Clodio armis potens,ſtrenuitate clarus, multiſque victoriis illuſtris. Domuit ille Turingos deficiẽtes à percuſſo fœdere: Saxones imperata facere compulit,& ex ſociis ſubditos reddidit. Quinetiam ducto ad Obrincam inuicto ſemper exercitu (ea nunc Moia appellatur) Tungros (aliàs Brabantinos)ſuis ſubmiſit legibus. Neque his contentus,pulſa Romanorum cuſtodia,Cameracenates in ſuam fidem recepit,ſyluam carbonariam penetrauit, apud Neruios Romanenſe præſidium dum obuiam illi ire pergit,ad internecionem vſq; deleuit. Ac proinde Atrebates, Bellouacos,Morinos oceani accolas, ſuo ſceptro adiunxit.

Hîc hallucinantur plerique,ac penè omnes noſtrorum annalium ſcriptores, dum referunt magis quàm aſſerant,Clodionem in ſignum ſeruitutis cunctis indixiſſe capillitij raſuram. Non enim raſo capite incedebant Francis ſubditi, verùm potius circuntonſo: vno Francorum Imperatore dempto, cui non licebat comam tondêre: quin perpetuò intonſi manebant Imperatores. Id teſtatur Agarhias ita de Clodomiro loquens: Clodomirus haud longè pòſt aduerſus Burgundiones, qui & Gotthicæ ſunt nationis, duxit exercitum: qui cùm ſuapte natura & inſolenter eſſet ad res bellicas promptior,pectus telo tranſuetberatus occiditur. Eo cadente,mox Burgundiones, coma animaduerſa profuſiore,quæ illi ad tergum protendebatur,ſenſere hoſtium ducem ſe occidiſſe. Neq; enim fas erat Francorum Imperatoribus comam tondêre, ſed à pueris intonſi manent, atque adeo vt à tergo his defluant crines. nam à fronte diſcriminati vtrinque feruntur. Nec ſanè Turcorum more barbarorúmque impexi & ſqualidi ſordidioréſque capilli his ſunt, vel aliàs calamiſtrati, & indecenter perplexi: ſed varia his ſuperinfundunt vnguenta, & diligenter pectendo expoliunt. Idque perinde præcipuum & regium decus conſtitutum eſt, ſolis vt regibus permittatur. nam ſubditi circuntonſi ſunt omnes, nec prolixior his coma conceditur. Hæc ille. Ex his exploditur error ille vulgatus, qui de Clodione capillato circunfertur. Cæterùm libet hoc loco encomium Francicæ gentis ex eodem Agathia defloratum ſubſcribere. quod quidem ita ſe habet:

Eſt autem Francorum hæc natio Italiæ proxima, & terminis iuncta. Veteres tamen hos eſſe Germanos dixere, quod vtique ex hoc ſat liquet. Nam circa Rhenum hi habitant,& huic propinquas incolunt terras, Galliarúmque maximam poſsident partem, non propriam, ſed vi in poſterum occupatam. Habent præterea Maſsiliam vrbem,Ionum olim coloniam. Hanc enim Phocenſes quondam per Medos ſedibus ſuis abacti incoluere, Dario Hydapſis filio rege Perſarum regnante: nunc vero Græca ex vrbe reddita iam barbara eſt. Nam patrio illo reiecto & priſco viuendi modo, imperantium vtitur inſtitutis: tametſi hoc tempore videatur non admodum priſtina dignitate defectior, nimirũ quũ Germani haudquaquã ſint vt plurimi barbarorũ paſtores: ſed Romanorũ politia & aliis inſtitutis & multis vtuntur, hiſdémque legibus viuunt, & cæteris item, vt in conuẽtibus faciẽdis & nuptiis, medeliſq; eadem ſtatuunt. Sunt quippe omnes hi Chriſtiani,& rectiſsimæ inter cæteros omnes opinionis. Habẽt præterea per ciuitates antiſtites,ſacerdotéſque: feſtos inſuper haud ſecus ac ipſi nos peragunt dies. Et ſanè hi mihi etſi cætera barbari, moribus tamen videntur quàm optimis prædiri, & maximum in modum ciuiles,nec quicquã habere quod à nobis hos faciat alienos,pręter veſtit"

barbatiem,& vocis innatæ ſonum linguęque. Quos equidem cùm ob eorum virtutes,tum ob in cæteros æquitatem,inter ſéque concordiã, mirum in modũ admiratione ac laudibus proſequor ac magnifacio. Nam etſi antehac ſæpe & noſtris his tẽporibus in principes tres pluréſve eorum ſit partitum imperium:nunquam tamen in inuicem bella ſuſcepiſſe hos cõſtat,nec ciuili patriam ſanguine inquinaſſe : quum alioquin vbi magni eſſe videntur, & non impares aut dubij potentatus, ibidem & neceſſarium ſit omnino & multis de cauſis inflatiores animos fieri, honorúmque exoriri & primatus cupiditates, & infinitos alios animorum affectus vt perturbationis ita & ſeditionum pleniſsimos. Apud hos tamen etſi diuiſa imperia ſint, nil prorſus offertur huiuſmodi : ſed ſiqua forte de re inter principes oriatur contentio, cæteri omnes ad bellum ſe parant, vt armis decertaturi, & ita inſtructi ſimul procedunt : quibus conſpectis, vtrinque diſsidentium principum copiæ, depoſitis eueſtigio odiis, in gratiam redeunt, iuſsiſque parent : vt iure potius ea de quibus ambigitur, quàm armis decernant : aliàs verò ſi pergant, ſuo ſe malo ſcirent decertaturos, perinde haudquaquam par foret, nec patria id ſineret conſuetudo, vt pro priuatis inimicitiis detrimentum reſpublica ruinámve patiatur. His moniti phalangas mox ſoluunt, & arma deponunt. Hoc pacto pace conciliata placantur, ex tutóque acceſſus & mutuò fiunt, vnáque verſantur, & odia abſceſſere. Sic fit vt inferiores & ſubditi iuſtitiã ſimul ac patriam colũt: Principes verò vbi opportunũ eſt,& benignos ſe pbeãt,& facilè obſequãtur. Vnde & vires cũ habeãt hi firmiores, & legibus iiſdem vtantur, nullã rerũ ſuarũ facta iactura, quammulta ſibi & ſedulò vendicant. Iuſtitia nanque & charitas vbicunque inter mortales fouentur, fœlicem proculdubio Rempublicam reddunt, ſtabilémque atque adeò diu manſuram efficiunt, nec facilè iniuriæ opportunam vt capi ab hoſtibus queat. Franci igitur quum optimum degant id vitæ genus, ſeipſos in primis & proximos quoſq; peruincunt, & ex parentibus filij regna ſuſcipiũt. Hactenus Agathias:cuius perſpicua enarratio vna ſufficit ad ea quæ prædicta ſunt & æmulorum tela ſtupea retundenda.

Clodioni non tam generatione ſucceſsit quàm acceſsit, non tamen ſine cognatione ac militari virtute, Merouęus, qui Merouingorum in poſteros nomen transfudit. Qua nominis deriuatione clarus,dilatato per circuitum ſuo imperio, Auguſti nomen promeruit:dictúſque eſt Merouęus audax, qui aduerſus Attilam pugnans Galliarum ipſe propugnator, & ex fœdere ſocius Romanorum, in agris demum Catalaunicis ſtrenue depugnans tandem cæſus occubuit, trecentis, vt quibuſdam placet, hominum millibus in eo prælio deſideratis. qui minus,centum octoginta millia reponunt. Nec tamen ita victus, vt hoſtem Attilam non fuderit. Ille enim viribus inferior ſolum vertere compulſus eſt,nec niſi turpi fuga ſalutem ſibi quæſiuit.

Huic eueſtigio ſucceſsit Childericus,qui ob laſciuiam minimè tolerandam regno pulſus, apud Turingos aliquantiſper deliteſcens, ſua tandem pœna cautior factus, Diliomari fidelis amici cura & ſubſidio interciſam regnandi maieſtatem recepit : exploſóque Gillone Romanenſi à Sueſsionum finibus, Andegauos ad id vſque tempus in Romanorum fide perſiſtentes, ſuæ adiecit ditioni, nunquam poſthac Romanorum Romanenſiúmve iugum ſubituros. Et hæc

vſque ad tẽpus Clodouei protochriſtiani leui manu attigiſſe ſufficiat.

Manum huic chronologiæ extremam (quandò cætera quæ de poſteris dicuntur Francorum regibus, triuialia ac vulgatiſsima ſunt) imponat regis Clodouei, omnium qui ante eum fuerunt excellẽtiſsimi, perpetua apud poſteros memoria, magnificis nec paucis nec modicis titulis honorata, nulla vnquam temporum obliuione interitura. Cuius ſuperilluſtri memoriæ vnus tantum deerat ſynceræ religionis ac Chriſtianæ pietatis titulus. Fuit ergo (quæ & regis & regni clariſsima laus eſt) Gallicæ gentis iam olim ex profeſſo fidelis rex Francorũ protochriſtianus. Neque hoc contentus titulo, hęreticorũ flagellator, fideique orthodoxę propugnator eſſe dicique voluit, relegatis omniũ hæreticorũ in exteras nationes deliramẽtis. Vnde nõ ſolùm Chriſtiani, imò & verè orthodoxi titulum promeruit. Vtrunq; ſemel adepta Gallia (id quod vix vllis antea poſteáve nationibus accidit) nunquam deſeruit. Sola enim Gallia monſtris caruit, ac fœtibus abortiuis. Orta enim hæreſeos monſtra aut ſtatim compeſcuit: aut dicto citius in extremas orbis regiones aut loca inhoſpita Phœbo relegauit. Quódque magis mireris, vnica Gallorum gẽs, à primo ſuorum ſapientum exordio, multis ante Chriſtianum natalem annorũ paraſangis, orthodoxę erga deum fidei ſuſcepta elemẽta nunquã deſeruit, ſemper in ea perſuaſione perſiſtens, vt vnum deum immortalem agnoſceret, animarúmque immortalitatem ingenuè profiteretur: ipſúmque ſeu bonorum ſeu malorum compenſatorem æquiſsimum palàm prædicaret. *Hebr. 11.* At ea eſſe ſyncerę fidei præludia Paulus ipſe teſtatur inquiens: Oportet accedentem ad deum credere quia eſt, & quòd omnibus in ſe credentibus remunerator ſit. Quæ fides priſcis Gallis Druidibus fuit cũ ſolis Hebræis communis. Nam cæteræ gentium nationes vix vnquã induci potuerunt vt animorum immortalitatem agnoſcerent: quam nec Romani ſapientes niſi ægrè ac ſerò admittere voluerunt. teſtis in ſenecture Cicero. Sed ad rẽ reuertamur. Has in Clodoueo religionis dotes e veſtigio ſecuta ſunt cœlitus delapſa munera, nẽpe chriſmatis vnctio: vexillum item flammeum, quo abſterrerentur fidei hoſtes, ſingulare munus: quódque ſummum in his locũ obtinet, cœlitus in poſteros diffuſa gratia ſanitatum, qua ſolo regũ Francorũ attactu ſcrophulis laborantes curarentur.

Primus hic inter Gallofrãcos reges Chriſtianus, imperatorũ trabea eſt inſignitus, ac Patriciorũ titulo decoratus, victoriæ titulis heroicus: nempe Sueuicus, Alemanicus, Viſigotthus, expulſa etiam Arianæ labis ſuperſtitione. Denique & imperij & religionis finibus dilatatis ſemper Auguſtus: templorum poſitor & inſtaurator pius at atque indefeſſus: liliatis armis decorus, ſepoſitis ac relegatis ranarum in paludoſa area inſignibus. Qua de re ad hunc modum diſſeruit Bernardus Odonius in pontificum catalogo: Clodoueus, inquiẽs, rex poſt Gotthos victos, & Aquitaniam liberatam ab eis, meritis ſanctorũ miraculis Hilarij & Martini, dum Turonis feſſum exercitum recrearet, ab Anaſtaſio imperatore codicillos de conſulatu, & coronã auream cum gẽmis, & tunicã balteúmq; ſuſcepit: & ex ea die conſul appellatus eſt & Auguſtus. Porrò Pariſius inde reuerſus, pro tãtis honorib⁹ & beneficiis à deo collatis regalẽ eccleſiã ædificauit ibidẽ, quã ſanctis apoſtolis Petro & Paulo conſecrari præcepit, quæ hodie dicitur ſancta Genouefa. Clodoueus rex regno Frãcorũ per totas Gallias dilatato, & legitimè ac pacificè cõfirmato moritur: ſepelitúrq; in mõte proximo

Antati in eccleſia quam ipſe fundauerat, antedicta, anno 30. ætatis vero ſuæ 45. Fuit & ipſe primus præco Chriſtianæ Gallorum teſſeræ, domitis ac ſub tributum redactis Sueuis, Saxonibus ac Turingis. Id quod nulli vnquam contigit Romanorum principum. Fuit enim apud eos triumphata, nunquã tamen domita Germania. Vni autem Clodoueo contigit Germanorum ferociam ſub iugum tributi ducere apud Tolbiacum Vbiorum oppidum. Perdurauit huiuſmodi ſeruitutis iugum vſque ad Teutonicos Othones. Id ingenuè profitetur beatus Rhenanus in Tacitum de re Germanica diſſerentem: Franci circunie ctarum nationum aucti primum imperio, deinde vnà cum Alemannis ſuperiorem tenentibus Rheni ripam, quum ipſi inferiorem poſsiderent, transgreſsi in Gallias, vt nulla fides regni ſociis, ad Tolbiacum memorabili prælio, quo de ſumma rerum decernebatur, copias Alemannorum deleuerunt duce Ludouico, quem vulgus Clodoueum appellat. Tandem etiam deuictis Saxonibus, nullo vſquam reſiſtente populo, totius propè Occidentis potiti ſunt ditione. Idem alio loco: De Germania in prouinciam redigenda cogitauit: tentauit Druſus, poſterioribúſque ſeculis Poſthumus: verùm res ſucceſſu caruit. At verò poſt ingentem illam cladem ad Tolbiacum vicũ Vbiorũ acceptam, ita preſſere nos Franci, vt reſpirare nõ licuerit, donec exoleta ſtirpe veterum Francorum, auſpiciis primum Othonis Saxoniæ ducis, Chounradi Oſtrofranci, atq; Hẽrici Saxonis, mox Magni illius Othonis qui inter imperatores Germanicos primum obtinet locum, in priſtinam libertatem nos ipſi vindicauimus. Vides vt externo etiam teſtimonio Gallofrancorum cõprobetur æterna memoria, Clodouei armis ſtrenuè cõparata. Vicit quidẽ Clodoueus, ſed ſupra communem hominis captum diuino potius auxilio quàm humano conſilio. Cum enim in pendenti æquilibrio inter vtrunque volaret exercitum dubiis victoria pennis, eſſentque plurimi à parte noſtra catholici milites, ſtatim audita acclamatione ex ore principis (Sainct Denys mon Ioue) reſumptis qui penè interciderant animis, in partẽ catholicorum inclinare cœpit. Eſt autẽ huius teſſeræ hæc interpretatio: Illũ in meum Iouem deũmque ſummũ recipio hac publica profeſsione, quem vobis Gallicæ gentis catholicis D. Dionyſius à multis inde & diebus & annis euangelizauit. Quæ profeſsio Clodoueo de ferociſsimis hoſtibus victoriam peperit. Sunt qui ita interpretẽtur: Meus auxiliator & patronus Dionyſius: quem vos catholici milites Galliarũ apoſtolum agnoſcitis. Hunc ego vobiſcum communem patronũ lubens recipio. Legendum itaque eſt, Sainct Denys mon Ioue: non Sainct Denys mõ ioie. Authorem habeo (ſi quis mihi diffidit) in hac re Hubertum Thomam Leodium de Tungrorum & Eburonum origine ita diſſerentem:

Apparet in excelſa rupe mons Iouis, arx ita nominata, & à Romanis nimirum conſtructa, quæ quidem hoc loco me admonet, vt Gallis male intellectam regum ſuorum exclamationem dum prælia ineunt, Mon Ioie Sainct Denis, declarem, quam protuliſſe fertur is rex qui primus inter Francos Chriſtianæ religioni nomina dedit, & poſteri reges in animandis ſuis ad fortiter præliandum vſurparunt, & vtuntur. interpretantur autem: Meum gaudium ſanctus Dionyſius: quod non ita ſeſe habere vel fœminæ Gallicæ animaduertere deberent, cum eorum lingua, Ioie, id eſt gaudium, non maſculini aut neutri, ſed fœminini ſit generis, & dicẽdum fuerat, Ma ioie ſainct

Denis.non igitur ioie hic gaudium ſignificat,ſed Iouem, quem Galli Ioue appellabant,proptereáque Clodomirus inclinata ſuorum acie, cum inuocando Iouem non proficeret,ad deum Chriſtianorum quē per Galliam Dionyſius,ſiue Areopagita ille, ſiue alius annūciauerat, conuerſus ad ſuos,qui magna ex parte Chriſtiani erant, exclamauit: Siſtite viri gradum,& fortiter pugnate.Mon Ioue ſainct Denis,id eſt, meus Iupiter ſanctus Dionyſius erit.Hoc eſt,eum deum relicto Ioue colam,quem Dionyſius prædicauit,& vos adoratis. Quo audito,Galli Chriſtiani alacres in pugnam reuerſi hoſtes fuderunt, & Clodomirus à diuo Remigio ſancto baptiſmatis lauacro ablutus eſt. Poſtmodum reges hanc vocem vſurpare volentes,pro Ioue,ioie pronunciār, re non bene conſiderata.Quòd autem verum ſit Gallos Iouem Ioue ſiue ioie appellaſſe,inde deprehendo, quòd iidem ipſi Iouios hodie ioie appellitant.Sunt autem Iouij lapilli,quos peregrinantes per vias in cumulos coniiciunt, vt ſint recti itineris indices,quales multos per Galliam diuum Iacobum petentes vbique videmus,quos Galli mont ioie vocant. Eſt & in Eburonibus olim, nunc Iuliacenſi,duci parens arx in Arduenna ſylua, qua parte Eyfelt appellatur, mons Iouis, dicta Montioie,vt hoc quoque annotarim.

Montioie.

Fuit præterea Clodoueus, (vt ſi quis ante eum aliis)Gallofrancorum monarcha ampliſsimus. Nam cū per Childerici patris laſciuiā, atq; inde ſequentē apud exteros ignauiā, & in ſuos tyrannidē, in has deductus eſſet anguſtias,vt ſuū quæq; regio præfectū haberet Ariſtocraticè præſidentē, ſolúſq; ei monarchiæ ſupereſſet titulus, vnde & regi potius q̄ regere is quē monarchā eſſe oportuit, diceretur (delegerant enim Franci proceres apud Vbios regulū Sigibertū, apud Cameracenates Riuariū,in Morinis Charocū, in Treuiris & Moſellanis Heribertū, in Mediomatricibus Godgiſillum, & apud Moguntiacos Arbogaſtū) hos regulos ſeu proceres eum regno nondum irroborato non ſtatim ſe poſſe videret è medio tollere tenera adhuc ſui regni indole,ſtabilitis tandem viribus & auctis, ſuæ conſulens & indemnitati Clodoueus & auctoritati,non prius à cœptis deſtitit,quàm conſpiratores omnes ad vnum è medio tolleret.rectíſne an obliquis mediis id egerit,in medio relinquo. Vacillant enim ſuper ea re authores. Vtcūque ſit, non prius è vita deceſsit,quàm ſe Francogallorum monarcham re ipſa præſtaret. Vſque adeo verum eſt quod aiunt:

Nulla fides regni ſociis,ſummíſq; negatū State diui:dolus enim an virt⁹ quis in regnādi ambitione requirat?In cæteris forſan pietas locū inuenire poterit. Vicit itaq; monarchia obrepētē aut ariſtocratiā,aut anarchiā. Nec tamē in ſobole euitare potuit,quam à ſe dū viueret depulit,odioſam hanc polyarchiam.nam ſtatim poſt eius fata extrema, diuiſa eſt Francorum monarchia in tetrarchias quatuor,Pariſiorū inquam,Sueſsionum,Aurelianēſium,& Mediomatricum : ea tamen lege,vt ſolus Francorum rex & diceretur & eſſet, qui Pariſiorum regiā obtineret:& is erat Childebertus,apud diui Germani ædem, quam à fundamentis erexerat, honorificè ſepultus. Quin & tetrarchicus ille principat⁹, qui ſub Clotario in monarchiā reduct⁹ fuerat, veluti quodam poſtliminio ad priſtinum rediit tetrarchiæ ſtatū ſub Cheteberto,Chilperico,Guntranno,Sigiberto, Clotarij liberis.

Vt autem in viā redeamus aliquantiſper intermiſſam, illud obſeruandum,pro eodē apud Germanos haberi Clodoueū & Ludouicū. vulgo enī nullo diſcrimine habēt Cluduuich & Luduuich. Sūt qui eū etiam Clodium appellent eodē cū Pharamundi filio nomine, aliíſq;

ante eum Sicambris non paucis. Hic tamē & talis & tantus nubilum paſſus eſt (adeò nihil in orbe eſt ex omni parte perfectum) in natalium obſcuritate. Procreatus enim eſt ex Baſina vxore ſui quondam hoſpitis (apud quem ex fuga ſeſe receperat) Turingorum regis. Sicque cenſeretur Clodoueus ex adulterio natus: quanquam (vt Hieronymus ait) naſci de adulterio, non eſt culpa eius qui naſcitur, ſed eius qui generat. Et (vt Auguſtino placet) vndecunque naſcantur homines, ſi vitia non ſequantur parentum, honeſti & boni erunt. Verùm illud expendendum eſt, hic nullum ſubeſſe adulterinæ generationi locum. Fuerat repudiata Baſina à viro: ideoque apud Ethnicos vinculo matrimonii ſoluta (communi errore faciēte ius) palàm cenſebatur. Si ergo inter ipſos etiam fideles tanta ſit vis matrimonii, vt parte etiam altera ignorante, proles illegitima nullatenus cenſeatur: ſequens eſt vt nullam inde labem Clodoueus contraxiſſe potuerit. Quòd autem inculpatè Baſinam Childericus ad ſe, viro repudiante, confugientem, obuiis (quod dicitur) vlnis receperit, nihil mirum: id enim exigebat antidorū receptæ prius hoſpitalitatis. Ceſſat igitur occaſio ſuſpicandi aut in genitore culpam (prout tempora illa ferebant) aut in fœtu prodeunte vllam obſcuritatis notam. Hac igitur ratione vt errore non caruit, quanquam non ſatis cognito & perſpecto populo gentium, qui ambulabat in tenebris, necdum lumine fidei ſatis illuſtrato, nuptiale fœdus inter Childericum Baſinamque percuſſum: ita ſatis in confeſſo eſt labem nullam inuehere potuiſſe labiſve ſuſpicionem ſucceſſuræ inde proli: quin potius ea natalium obſcuritas perſpicacius eluxit in primæua Carlingorum ſtirpe & origine. Liquidò enim conſtat heroem illum Carolum Martellum catholicæ fidei propugnatorem, ex cōcubina Alpaide procreatum geminos ſuſcepiſſe liberos, Carolomanum, & Pipinum cognomento puſillum: à cuius tamē ſemente prodiit arbor illa ingens patulis denſiſſima ramis: cuius præferebat imaginem heros ille Carolus cognomento Magnus, à rerum geſtarum vſque ad miraculum copia & magnitudine, ita vt arbor illa non Europam tantum, verùm magna ex parte & Aſiam adumbratit, & Aphricam. Is tamen Pipini pater vitium potius quàm crimen contraxit, ſed magna atque ardua virtute redemptum, ita vt contractam natalium nubeculam, immenſæ lucis ſplendor ſupra omnem hominum captum ingens deterſerit. Id quod multis antea & diebus & annis ſui generis liberatori Iepthe ſpeciali *Iudicum. 11.* quodam priuilegio accidiſſe legitur. Ille enim ob res præclarè à ſe geſtas, quanuis ex altera, aut (vt alii legunt) adultera matre natus, locum inuenit non infimum inter eos qui (Paulo teſte) per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones. *Hebr. 11.*

De Clodoueo verò aſſerit Annonius iure hæreditario Gallofrancorum ſceptrum magno omnium applauſu ad eum perueniſſe. Qui quàm multis præterea titulis illuſtratus fuerit, breuibus expediam. Non enim ſolum protochriſtiani titulum adeptus eſt, imò & Chriſtiani Auguſti nomen promeruit. qui dum ſacro ablueretur lauacro, ſuo exemplo Chriſtianæ pietatis familiam adauxit ad tria non infimæ nobilitatis millia. Erat in his eques anteſignanus Baro Mōmoreneiacus natione Gallus: qui moræ impatiens ſeſe in ipſum quo Clodoueus abluebatur alueolum, pari lauacro imbuendum immiſit. Vnde & primi inter Gallofrancos Baronis in hæc vſque tempora nomē obtinuit. Nec his contentus, author & ipſe primus fuit vt in media Gallia ſacra comitia celebrarētur. ſuo enim ductu, ac Mellanii Rhe-

donenſis præſulis auſpiciis primum Aurelianenſe cōcilium celebratum eſt. Cuius legiſlatores & conſules hi fuiſſe leguntur metropolitani, primum Auentinus Diuienſis metropolis, Adelphius Rauracenſis, Boetius Cadurceñ. Cyprianus Burdegaleñ. metropolis, Cronopius Petragoriceñ. Camilianus Trecaſinus, Euſebius Aurelianenſis, Euphraſius Aruernorum, Edibius Ambianeñ. Euſtochius Andegaueñ. Epiphanius Nanneticenſis, Heraclius Pariſiacenſis, Etilius Valioneñ. Gildardus Rothomagenſis metropolis, Leontianus Conſtantieñ. Lupicinus Engoliſmanus, Lithar edus Lexouieñ. Lupus Sueſsionenſis, Leuanianus Siluanectenſis, Licinius Turonenſis metropolis, Leontius Toloſanæ metropolis, Mauruſius Ebroicenſis. Melanius Rhedoneñ. Modeſtus Veneteñ. Melanius Veromandeñ. Nepus Abrinceñ. Petrus Xanctoneñ. Principius Cenomanenſis. Quintianus Rutheneñ. Sophronius Nouiomeñ. Theodoſius Antiſſiodoreñ. Tetradius Auſciorum, Tetradius Bituriceñ. metropolis.

Sedem quoque ille regiam in Pariſiorum Lutetia, ea qua pollebat auctoritate inſtituit. Quin & in colle Lecuticio ædem ſacram religioſiſsimè extruendam curauit, Petri & Pauli nomini numinique dicatam. ea nunc diuæ Genoueſes titulum retinet: vbi & ſodalitium ſacrum magnis prouentibus auxit. Quid quòd in fidei (cuius cauſam tuebatur) Chriſtianæ gratiam perſpicuis miraculis fulſit: dum ſcilicet in Alaricum moturus orthodoxæ religionis hoſtem, imploraro diui Martini auxilio, flumen multis impluuiis auctum, & ob id minimè vadabile, cerua duce traiecit, non ſine certiſsimo fauore numinis? Quin & ſub primum eius aduētum collapſa Engoliſmæ mœnia, aditum in ciuitatem ſtupendo miraculo aperuerunt. Cuius rei gratia apud diuum Martinum voti reus, cum equum ſcutatorum nummorum centuria ſe redempturum ſperaret, dimoueri loco non potuit, niſi aucto ad duplum precio. Cuius rei euentum miratus, non ſine quadam hilaritate animi in hæc verba prorupit: Bonus eſt patronus in auxilio Martinus: ſed carus in precio.

Protulit ex ſe filiam perpetua virginitate inſignem, Parthenoniſque apud Senonas fundatricem: quæ ob vitæ integritatem, ac pietatis conſtantiam, apotheoſin apud poſteros piorum omniū conſenſu promeruit. Cuius rei admodum elegāter meminit Bernardus Odonius in geſtis Hormiſdæ pontificis, cum inquit: Per idem tempus floruit Chendechildis filia Clodouei, virginitate pariter & pietate famoſa. Hæc in proſpectu ciuitatis Senonis cœnobium ſub honore Apoſtolorum conſtruxit, multis ædificiis illud amplians, & prædiis locupletans. Quò protecto ad dedicandū baſilicam cum ſancto Eradio tunc Senonis præſule, vicinarum quoque vrbium præſules affuere. Vbi dum in eccleſia pernoctarent, angelicas audierunt voces dulciſsime concrepantes. Facto autem mane reſpicientes altare, viderunt in quatuor angulis & in medio marmoris ſignacula crucis decenter impreſſa: ſtupenteſque proinde non ſunt auſi vlterius conſecrare locum, quem cernebant diuinitus conſecratum.

Qui à Clodoueo reges ſuperſunt, ſuis deſignare titulis, ac rerum geſtarum deſcriptione illuſtrare, nihil aliud fuerit, quàm perdere operam, aut velle Solem facibus illuſtrare, aut certe cramben (quod aiunt) recoctam apponere menſis: cùm hiſtoriæ paſsim Gallicanæ tam latina quàm vernacula lingua editæ, vulgatiſsimæ extent. Ideóque ab eorum enarratione prudens & volens abſtineo: vnius tamen Caroli magni memoria ex ſecretiore penu, Hugonis ſcilicet Floria-

cenſis excepta: in cuius enarratione iuuat vſque morari, & conferre pedem. Caroli enim huius reipſa fœcundius quàm cognomento Magni, dotes egregias vno velle aceruo concludere, communem ſuperat operam: reliquum eſſe video deflorationes aliquas decerpere ex præfati Hugonis Floriacenſis ſedulo apiario: qui non ſolùm ex vaſto Carolinæ magnificentiæ gurgite ampliſsima quæque delegit, verumetiam ſelectas ex eius victus ratione notas nullo tegẽdas ſilentio in lucem edidit. Sic autem ille ait:

Carolus igitur ex Rege Francorum factus Imperator Romanorum, imperauit annis quadraginta ſeptem. Hic ſuſcepta (ſicut dictũ eſt) & ordinata republica, inchoauit opera plurima ad imperii dignitatem, & regni Frãcorum pertinentia commodum, diuerſis in locis. Inter quæ videntur eſſe præcipua, baſilica ſanctæ Dei genitricis Aquiſgrani opere mirabili conſtructa, & pons apud Moguntiacùm in Rheno quingentorum paſſuum longitudinis. nam tanta eſt ibi fluminis latitudo. Qui tamen vno antequam decederet anno, incendio conflagrauit: nec refici potuit propter feſtinatũ eius deceſſum, quanquam in ea meditatione eſſet, vt pro ligneo lapideum reſtitueret. Inchoauit & palatia operis egregii, vnum haud longe à Moguntiaca ciuitate, iuxta villam cui vocabulum eſt Ingeleben: & alterum Nouiomagi ſuper Vahalem fluuium, qui Batauorum inſulam in parte meridiana præterfluit. Præcipuè tamen ædes ſacras vbicunque in toto regno ſuo vetuſtate collapſas comperit, pontificibus & patribus ad quorum curam pertinebant, vt reſtaurarẽtur imperauit: adhibens curam per legatos vt imperata perficerentur. Vnde multa ſub eius imperio ſunt reparata, imò à fundamentis ædificata monaſteria, ſed præcipuè hæc: Monaſterium ſancti Philiberti: Monaſterium ſancti Florentii: Monaſterium Caroffi: Monaſterium Concas: Monaſteriũ ſancti Maxentii: Monaſterium Menatæ: Monaſterium Magniloci: Monaſterium Muſciacum: Monaſteriũ ſancti Sauini: Monaſterium Nouiliacum: Monaſterium ſancti Theofredi: Monaſterium ſancti Paſcentii: Monaſterium Doroſa: Monaſterium Sollempniacum: Monaſterium puellare ſanctæ Mariæ: Monaſterium puellare ſanctæ Radegundis: Monaſterium de Vera: Monaſterium de Vtera in pago Toloſano: Monaſterium Valida in Septimnia: Monaſterium ſancti Aniani: Monaſterium Galunæ: Monaſterium Laurentii: Monaſterium ſanctæ Mariæ quod dicitur in Rubine: Monaſterium Caunas, & cætera plurima: quibus veluti quibuſdam lychnis totum decoratur Aquitaniæ regnum. Quæ omnia piiſsimus ipſe Imperator Carolus magnis auri & argenti ponderibus, gemmatumque precioſarum exornauit muneribus, ampliſsimis etiam honoribus ditauit, & inſuper, quod multo eſt precioſius, ſanctiſsimis reliquiarũ patrociniis inſigniuit. Porrò hæc ſunt nomina metropoleωn, quæ ſub eius ditione manebant: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulii, Gradus, Colonia, Moguntiacus, Iuuanium, Saltzburg, Treueris, Senonis, Veſontium, Rothomagus, Remis, Arelas, Vienna, Tarantaſia, Ebredunum, Biturix, Turonis, Burdegala, Lugdunum. Has omnes idem potẽtiſsimus Imperator honorabiliter multis muneribus excolebat, ſed præcipuè Romanam inter eas eccleſiam & fideliter defenſabat, & ſuis opibus exornabat. Nec patrio ſermone erat contẽtus, ſed etiã peregrinis linguis ediſcendis operam impendit. Verùm Græcam linguã melius poterat intelligere, quàm pronũciare. In diſcẽda denique Grãmatica Petrũ Piſanũ habuit præceptorẽ, & in cæteris diſciplinis

Albinũ cognomento Alcuinum. Tentabat etiam ſcribere, tabulâſque ferebat, vt cum vacuum tempus eſſet, manum literis effigiandis aſſue faceret. Sed parũ profuit labor præpoſterus, ac ſerò inchoatus. Religionẽ denique Chriſtianã ſumma pietate ſemper excoluit: & eccleſiã mane & veſpere, necnon & nocturnis horis, & ſacrificii tempore impigrè frequentauit. Circa pauperes quoque liberalitate maxima præditus erat: vt qui non ſolum in ſuo regno illis ſubueniret, verumetiam in tranſmarinas regiones, in Syriam & Ægyptum, & Aphricã, & Hierosolymas, & Alexãdriam, atque Carthaginem pecunias multas mittere ſatagebat. Ob hoc etiam maxime tranſmarinorum regum amicitias expetebat, vt ſub eis degentibus Chriſtianis refrigerium aliquod proueniret. Idem præterea ſereniſsimus Imperator corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminenti, & apice capitis rotũdo, naſo paululum mediocritatem excedente, oculis pulchris, canicie veneranda, facie læta, voce clara, valetudine proſpera. Denique conuiuabatur rariſsime, cœnáque quotidiana quaternis tantùm ferculis præbebatur, præter aſſam carnem quam venatores verubus inferre ſolebant, qua ille lubẽtius quàm vllo cibo alio veſcebatur. Inter cœnandum aut aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei hiſtoriæ, & antiquorum res geſtæ. Delectabatur & libris ſancti Auguſtini, præcipuéque his qui de Ciuitate Dei prætitulati ſunt. Vini verò & omnis potus adeò parcus in bibendo erat, vt ſuper cœnam raro pluſquàm ter biberet. Æſtate poſt cibum meridianum pomorum aliquid ſumens, ac ſemel bibens, depoſitis veſtibus & calceamentis, velut noctu, ſolitus erat duab⁹ aut tribus horis quieſcere. Noctibus ſic dormiebat, vt ſomnum quater aut quinquies, non ſolùm expergiſcendo, ſed etiam ſurgendo interrumperet. Hactenus Floriacenſis. Ex quibus heroica & ſupra communem cæterorum aleam ſuſpicienda virtus agnoſcitur: cuius tamen ſi natales è propinquo perſpexeris, nonnihil inuenies quod in eo deſiderare poſsis, nempe natalium ſplendorem paulo illuſtriorem. Id enim in comperto eſt omnibus, quòd Pipinus cognomẽto puſillus, qui ſua ſemente arborẽ grandẽſcuit expãſis per vniuerſum penè orbem Chriſtianum ramis virentibúſque foliis totam adumbrãtẽ Europam, Carolum dico cognomento magnum, rerum geſtarum gloria orbi conſpicuum: is inquam Pipinus obſcuros ſuos natales ſua propria, paternáque virtute, & glorioſa inſuper ſobole, non ſine ingẽti fœnore compenſauit: vti & Martellus ipſe genitor, qui ex Alpaide concubina Carlomanum Pipinũque extra tori legitimi limites procrearat, vitium hoc ingenti virtute redemit. Vt in quo abundauerat delictum, in eo redundaret & gratia. Hæc idcirco (ſuperis eam telam texentibus) accidiſſe crediderim, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt, ſecumque habitent, & norint quàm ſit illis curta ſupellex, quódque nihil ſit in toto orbe vſquequaque perfectum. ſuus enim cuique næuus adhæret. Hęc de Caroli magni vtrinque pendente mantica obiter retuliſſe ad præſens ſufficiat.

Sed hunc næuum facilè abſtergunt dotes innumeræ, quas ſupremus rerum arbiter, & ſub eo omniparens rerum natura in eundẽ Carolum magnum effudit abundè. Qua in re teſtem habeo Friſingenſẽ Otionẽ ſuę rhapſodiæ lib. 5. cap. 32. Sic enim ille ait: Cęterùm actus ei⁹ & bella quæ geſsit, de põte quoque quem vltra Rhenum fecerat Moguntiæ, de palatiis etiam quæ Nouiomagi, Inglnheim, aliſque regni locis opere regio cõſtruxerat, qui ſcire vult, legat hiſtoriã eius, & geſta à multis deſcripta. Erat autem (vt quidã de ipſo ait) corpore amplo ac

robuſto, ſtatura eminente, apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedenti, canicie pulchra, facie læta & hilari, eloquentia copioſus & exuberans, in cibo & potu temperans, ſed in potu temperantior. Huius virtute regnum Francorum plurimum augmẽtatum eſt: omniumq́ue regnorum maximum, Romanum ſcilicet, ab Oriente ad Occidentem tranſlatum. Regni verò terminus à Bulgaris, ſeu Illyrico vſque ad Hiſpanos: à Danis vſque ad Calabros, exceptis adiacentibus regionibus, vtpote Bohemia, Polonia, Dalmatia, Hiſtria, Venetia, Britannia, aliiſque prouinciis, quæ modò duo regna Romanorum & Francorum, excepta Pannonia, eſſe noſcuntur, fuit. Hæc ille.

Verùm longè fœcundius & diſtinctius Carolini imperii metas dilatauit in Carolino ſuo poëmate Egidius Pariſienſis: qui circiter diui Ludouici ætatem, ſuæ eruditionis ſpecimen poſt ſe reliquit: Cuius verba dum refero, præmonitum lectorem velim interpolata fuiſſe nonnulla, quæ aliàs luxatis vocabulis, non tam authoris culpa, quàm menda codicis, nullo ſenſu legebantur. Ait itaque ille:

Magnus ad imperium magno promotus honore,
Rexq́ue manens, partis Romano in principe Francis,
Imperii & regni communi commoda cura
Diſponens: vtrunque genus ſub principe tanto
Proficit augmentis, reſpublica gloria regni
Augeſcit titulis, adeò quòd adaucta poteſtas
In duplum fuerit, totoque priore ſequutum
Dimidium maius: etenim cùm Gallia tantum
Quod Rhenum Ligerimq́ue interiacet, Oceanúmque,
Ac Baleate fretum, genitori eiuſque propinquis
Prærregnata foret, paruaq́ue Aquitania parte
Per Bituris metas ſoli ſubiecta parenti,
Et quæ Danubium citra, Germania longis
Tractibus ad Rheni ripas ſe porrigit, olim
Sub titulis eſſet regum deſcripta priorum:
Sub Carlo memorata modò, violentia Martis
Pugnaces illi fecit ſe dedere gentes:
Viq́ue pererratos Francorum accedere regno
Saxoniæ tractus, illis regnantibus antè
Relliquiis, totum ſub maieſtate coronæ
Non habitos, & ad hæc inuicto ſtrenua regi
Obtinuit virtus, vt Belgica tota ſubeſſet,
In terras diuiſa ſuas: quare altera dicta eſt
Auſtria, & alterius inflexum *Neuſtria nomen: *Aliâs VVeſtricha.
Quarum topographis iſte eſt ſitus, Auſtria longe
Finibus à noſtris regno interſtante recedit:
Citerior Moſa præterlabente rigatur
Neuſtria: cui quondam ponebat Sequana fines.
Vtraque terra prius regio ſocialiter vna
Belgica nomen habens, ante initialia regum:
Belgaque plebs eius, quæ cum diuiſa receſsit
In partes, primoque remoto nomine binis
Nomina bina tulit: quæ nomen habebat ab Auſtro,
Prima ſuo tractu complectebatur Eoos
Francones: noſtris ſedes erat altera Francis.

Vtraque deinde tulit diuerſa vocabula primis,
Expreſsitque ſuos mutata voce colonos.
Quæ nunc cenſetur reſtrictis Francia metis,
Lugdunenſis erat prouincia:ad vſque Britanni
Littora pertingens pelagi:cùm verò togatos
Amiſit regis Merouei tempore Gallos,
Ceſsit iter demum delectis ſequana Francis:
Hocque interſtitio, quòd Atacis aberrat in alueum:
Quod medium Ligeri Matronæque adiacet amni,
Depinxit fines,& adhuc depingit eorum
Qui nunc ſunt Franci:quia natio Franca,nec illis
A terra eſt nomen,ſed terræ nomen ab illis.
Francia fit tellus,quam poſsidet incola Francus:
Gallia non propriè dicetur terra,magiſque
Dixeris impropriè,ſed laxo nomine Gallos.
Nam tantum Gallos hoc dicas nomine, quorum
Conditio vetus eſt,& prima notatur origo.
Nam fuit à Gallis hic primùm Gallia tellus,
Tertiaque & media eſt terrarum nominis huius.
Hanc,illamque,& adhuc aliam,prout limite certo
Quæque ſuos retinet fines:à ſeque recedunt.
Ille inuincibilis,ille inſuperabilis, ille
Maximus in terris tenuit monarcha quietè:
Scilicet in tanto regionum corpore,quicquid
A ripis Iſtri,Rheni finitur in vndis:
Quicquid & à Rheno eſt,Ligeris quod ſubſecat amnis.
A Ligeri quicquid protenditur vſque Garumnam:
Quo ſpacio lata eſt Aquitania:quicquid atrocem
Finibus à ſummis Ligeris tranſmittit Aleſum:
Quicquid ab Auſciticis madidat Dordona deorſum:
Vt cum Vaſconia, totiſque iugi Pyrenæi
Verticibus,ſimul & Nauarro climate:quicquid
Vlterius fluuio finem facit axis Ibero:
Quicquid ad Oceani refugam protenditur vndam,
Et redit ad partes quas Schaldis & Axona ſulcant:
Quicquid Aragonia eſt, vel Gotthia:quicquid in ipſis
Alpibus,& citra quicquid Burgundia cepit:
Inſuper Italicis,quaſcunque vel Appula tellus,
Vel Campana tulit Venetis,Siculiſque,Calabris:
Et circumpoſitis,vſque in confinia Graiûm,
Gentibus impoſuit dominantia iura tributi.
Et Dacos Iſtri ripa vlteriore manentes,
Et duplices egit ſub vectigalibus Hungros.

Atax. cis. meminit Strabo lib. 4.

Vides quàm graphicè delineauerit Galliæ fines appoſitiſsimo ſuo carmine Egidius: quámque membratim illam digeſſerit: Galliam inquam citeriorẽ,quæ Italis tranſalpina eſt. Nec tamen neglexit ciſalpinæ apud Italos Galliæ memoriã.Ciſalpina vtique Gallia eſt, quæ aliàs tonſa togatáque dicitur: noſtra verò intonſa, & comata. De togata Martialis ait:

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Eſt & alia bracchata,& magna ex parte bardocucullata:ea eſt Narbonenſis gallia Villanouano. Quæ nomina à capillatura partim, partim verò à veſtimentorum forma ſuam traxerunt originem. Cæterùm

rùm quicquid extra togatam bracchatamque legitur, ad Galliam pertinet comatam: quæ in ſe Belgicam vniuerſam, ac totam penè Celticam complectitur.

Hic tamen adhibenda eſt cautio, Gallofrancos, qui nunc Francigenæ iure dicuntur, imperii legibus nec fuiſſe nec eſſe obnoxios. Id quod ingenuè profitetur Alciatus in. l. poteſtatis. de verborum ſignificatione. Sed & Paulus Æmilius in Carolo magno rem totam aperit his verbis: Carolus (inquit ille) cùm Francos Auguſtorum legibus teneri vellet, legeſque condere nouas, Franci proceres tanquam ſempiternum iugum veriti, cœtu facto omnino detrectarunt, dicentes: Nihil aliud optamus, quàm vt Franci ſimus, qui fuimus. Stipendiarii imperii eſſe quî poſſumus, qui ne regibus quidem noſtris pependerimus vnquam ſtipendium? Cur igitur milites tuos, regnum tuum, Franciam tuam, imperii prouinciam facere ſtudes, imperioque ſubiicere, rei vagæ & profugæ? vt quod ex Italia in Orientem, ex Oriente ad te, victoriarum potius fœlicitate, quàm nominis Francici charitate reuocatum ſit. Itaque res tota omiſſa eſt, volumen legum antiquatum: de inſtitutis Francicis nihil mutatum. Siluit tamen legum turba imperialium vſque ad tempora Accurſii, Azoniſque legalium interpretationum parentis. Sed nec hodie quidem ligant Iuſtiniani placita in Gallia, niſi quatenus Regi de procerum conſilio congruere videntur. Quin ex æquo & bono orbis Gallici ſenatores ſententiam ferunt: neque vlla admittitur aut auditur ad imperatorem prouocatio.

Id autem obiter adiungam, quomodo ad Carolum è Græcia peruenerit imperium, citra tamen iugum Francicæ nationis. Romani (ait Æmilius) proceres animis aliter afficiebantur, ſolium imperii quaſi à Numine inſeſſum occupatúmve, veluti Numine offerẽte Regi Franco dandum, tanquam ſummis in Religionem meritis debitum. Ideoque etiam acclamauit populus Carolo Auguſto diuinitus coronato, Magno & pacifico imperatori vita & victoria. Sicque imperii Romani inſignia in Thraciam delata, in Italiam velut poſtliminio redierunt. Eccleſiæ verò patrociniũ quod precariò Pipinus acceperat, in ipſum quoque Carolum Magnum coniectum eſt.

Vides vt penes populum fuerit deficiente patrocinio Græci imperii, libertate vindicata alium ſibi adſciſcere patronum: integra ſemper remanente populi Francici libertate.

Grauis (ſi aſſertorum multitudinem attendas) orta eſt controuerſia ſuper dominio totius orbis ab imperatore prætenſo, partem affirmatiuã fuco potius verborũ gladiatoriè, quàm ex æquo & bono ſuſtinentibus Italicæ factionis iuriſperitis, Baldo & Bartolo, vſque ad nouiſsimũ Iaſonẽ. Quæ quæſtio eò vſque progreſſa eſt, vt negent huiuſmodi aſſertores, cæteros monarchas vllam exemptionem prætẽdere poſſe ſaluis legibus diuinis. Nec contrariũ (vt aiunt) aſſerens poteſt ab hæreſi ſe extricare: huic potiſsimùm innixi oraculo, quòd Chriſtus ipſe dominus vniuerſi orbis imperatorem agnouerit: cùm ſcriptum legatur: Exiit edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Et rurſum: Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ dei, deo. Prodiit hæc concertatio ex ignorãtia vel diſsimulatione intelli- *Luca. 2.*

gentiæ vocabuli huius, Vniuerſus orbis. ſtante ex aduerſo ac tota acie decertante ciſmontanorum iuriſperitorum vnanimi conſenſu. Scire autem debuerant qui ſe ciſalpinos appellant, qui nobis ſunt tranſalpini, orbem vniuerſum nullum vnquam agnouiſſe œcumenicum dominum, qui purus eſſet homo, præter Adam & Noah. Nam non multo poſt hominem à clade aquarum ſeruatum, diuerſæ ex æquo ortæ ſunt monarchiæ: quarum nulla alteram agnouit ſuperiorem. Sed nec populus ipſe Romanus dominum agnouit, quibus nomen etiam Regis fuit odioſum: adeò vt exacto rege Superbo, rem tantum publicam agnoſcerent. Quin & voce præconia Octauianus Auguſtus domini nomen à ſe abdicauit. Nam & Cæſar ipſe ob regnandi libidinem, quam ſurreptitiè ambiebat, duobus ac triginta vulneribus confoſſus eſt. Nullum igitur ætas illa agnoſcebat dominum, niſi ſub typo reipublicæ: quæ ſi nomen dominii recepiſſet, ſibi ſeruitutis iugum impoſuiſſet. Quin imperatoris nomen nihil aliud quàm patroni aut defenſoris energiam in ſe recipit. nam & qui hodie dicuntur imperatores à pontificibus recepti, patrocinium in ſe eccleſiæ recipiunt. Sunt enim tanquam tutelares principes, nihil minus quàm deſpoticum regimen exercentes. Cum ergo in ſacris ſermo eſt de deſcriptione vniuerſi orbis: illud planè reſtringitur ad eam orbis partem, quæ aut vi, aut ex fœdere, precarióve, iugum in ſe Romanorum receperat. Violenta autem poſſeſſio nunquam poteſt eſſe vſui reipublicæ incubatori. Ideoque multæ nationes redeuntem ad ſe quaſi poſtliminio libertatem hucuſque retinuerunt & retinent. Lex enim cum dicit: Cunctos populos quos clementiæ noſtræ regit imperium: relatiua illa dictio reſtringit, non item ampliat. Sciebat enim imperator multas nationes Romanorum iugum nulla ex parte agnoſcere. Intellige igitur ſcripturam de vniuerſo orbe, imperio per id tempus Romano ſubdito. Rem ita ſe habere docet Chaſſanæus quinta parte Catalogi gloriæ mundi, paragrapho x x v i i i. Verba eius aduerſus Bartolum enunciata, referam: quæ huiuſmodi ſunt: Ad dicta Bartoli & aliorum dicentium reges peccare qui negant imperatorem eſſe dominum orbis: & dicentes contrarium, eſſe hæreticos: & etiam eos eſſe hæreticos, fundantes ſe ex dicto Lucæ, ſecundo capite: Exiuit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis: cùm hoc non probet neceſſario, quòd ergo Cæſar fuerit dominus vniuerſi orbis, prout in veritate rei non erat. Nam non ſequitur: Exiuit edictum, igitur eſt dominus: nec per hoc probatur in imperatore eſſe dominium. Nam ergo ſequeretur, cùm Turca magnus dicat ſe dominum orbis, quòd hoc verum ſit. Sæpe enim gloriantur domini principes in aſſumptione titulorum generalium, quos tamen non habent, nec vnquam habuerunt, nec in æternum habebunt: vt de illo Turca magno ſatis demonſtratum eſt, & in pluribus aliis.

Vniuerſus orbis.

Et etiam vellem ſcire quomodo hic probaretur quòd per hoc quis efficeretur hæreticus. Nam iſtud non eſt nec de præceptis eccleſiæ, nec de præceptis decalogi, nec de contentis in ſymbolo: vt ſupra dixi in principio huius ſecundi tractatus. Et licet ſit in Euangelio, non tamen eſt ibi præceptiuè, ſed ſolum narratiuè. Ex quo

etiam (quod plus eſt) reperio contrarium fuiſſe determinatum per ſummos pontifices, qui dixerunt & ordinauerunt regem Franciæ neminem recognoſcere in ſpiritualibus & temporalibus. ca. per venerabilem. qui filii ſunt legitimi. qui textus loquitur de iure, & non de facto, quia nunquam ſummus pontifex loquitur in facto, ſed in iure tantum. glo. eſt in. c. conſultationi. in glo. fin. extra de tempo. ordinan. quam gloſſam in terminis noſtris reputat ſingularem Fely. in. c. cum non liceat. extra de præſcript. vbi addidit quòd illam glo. notat Cardi. Alexan. in. c. quæ in eccleſiarum. in verbo videbatur. extra de conſtitut. & illam gloſſam & interpretationem firmat Panor. in.c. nouit. & ibi Fely. extra de conſtitutio. Hactenus ille.

Ex his retorqueri poteſt hæreſeos argumentum in aduerſarium aſſertorem: cùm non minus hæreticum ſit aſſerere aliquid ad fidem pertinere, quod non eſt de fide, (ſi adſit peruicacia) quàm à fidei legibus eximere quod pertinet ad fidem. Viderit igitur aduerſarius ne proprio ſeſe confodiat gladio. Ideoque merito apud Æmilium Frãcorum proceres conſtanter acclamarunt: Franci nihil aliud optamus, quàm vt Franci ſimus &c. vt paulò ſupra. Quæ omnia probant Francos ita nunquam ſubiacuiſſe imperio, vt vnum aliquem ex imperatoribus dominum agnoſcerent. Sed id parergon.

Ad Carolum redeo. Is eſt Carolus qui vniuerſam penè Europam à monte Gargano, ab ortu vſque ad Corduham, ad penitiſsimum occaſum ſuo adiecit dominio: quique anno ex quo regnare cœpit quadrageſimoſeptimo, à recuperata Italia tertio ac quadrageſimo, & à receptis imperii inſignibus decimoquarto, viuendi & regnandi finem inuenit. Et præter alia quæ ſupra annotauimus inſignia ædificia, munitiſsimum in Aquitanis propugnaculum Frontiacum, ad Dordonæ fluenta à fundamentis erexit. Nec prius è vita deceſsit, quàm ſacramenta omnia ad extremam vſque vnctionem religioſiſſimè receperit. Deceſsit autem ſummo ſui relicto deſiderio, non apud Chriſtianos tantum, imò etiam apud quoſuis ethnicos, qui eum tanquam totius orbis patrem deflebant.

Neque extra rem fuerit, vt hiſtoriæ Gallicæ ſeries apertior ſit, iis quæ diffuſius explicata ſunt, Galliæ occiduæ metas ex Hugone Floriacenſi huc etiam attexere, quanuis contractè nimiùm, & plus ſatis truncatè Galliam hanc deſcripſerit. Gallia (inquit ille) vniuerſa, quæ ſcilicet Italis tranſalpina dicitur, ſupra ſuam amplitudinem inclyta tribus prouinciis terminabatur antiquitus: quarum vna Belgica, alia Aquitanica, alia verò Lugdunenſis nominabatur. Porrò Belgica prouincia habet ab Oriente limitem fluminis Rheni, & Germaniam: ab Euro verò habet alpes Apenninas, & à meridie prouinciam Narbonenſem: & ab occaſu prouinciam Lugdunenſem: & à Circio Oceanum Britannicum. Vrbes eius inclytæ & famoſæ, Colonia Agrippinenſis, Tungris, Treuiris, Metis, quæ & Mediomatricum. Rhemis, Laudunus, & pagus Heluetiorum, quem nunc Alemani incolunt. Fluunt per eandem prouinciam Scaldis, Matrona, & Moſa, & Axona, (vulgò Aiſne) quæ vltimos Rhemorum fines præterfluit. Sylua etiam habetur in ea, quæ dicitur Ardenna: quæ à ripis Rheni fluminis vſque in Treuirorum fines expan-

ditur. Aquitania verò à VVarumna ſeu Garumna flumine ad Pyrenæos montes extenditur, & obliquo Ligeris curſu, qui eam ex parte terminat, penè in orbem cingitur. Continentur in ea vrbes egregiæ, Narbona, Aruernis, quæ Clarus mons dicitur, Bituris, Cadurcum, Toloſa, Ruthenia, Lemouix, Perragorica, Pictauis, Burdegala, Santona, & Engoliſma. Meat per Aquitaniam Dordona, quæ in Garumnam immergitur. Sylua habetur in ea Lecenna, Biturigibus & Aruernis confinis.

Lugdunenſis autem prouincia oritur à monte Iurano, qui eſt inter Sequanos & Heluetios, & à lacu Lemano, & à flumine Rhodano. Et extenditur ad Oceanum Britannicum, dilatatúrque ad Ligeris alueum, qui eam ab Aquitania ſeparat & diuidit. Vrbes in ea multæ & opulentæ, Lugdunum, Cabilonus, Edua, quæ & Auguſtudunus, Senonis, Antiſiodorus, Niuedunus, quæ & Niuernis. Meldis, vrbs Trecacina, Pariſius, Carnotum, Gennabus, quæ & Aurelianis, Rothomagus, Ebroica, Oximus, id eſt Sagium, Cenomannis, Lexouium, Nannetis, Andes, quæ & Andegauis, Abrincatina, quam dicimus Arboretanam. Rhedonis, Veneticum. Quarum Auguſtudunus & Senonis maioris antiquitus auctoritatis fuere. Nam Auguſtudunus amicitiam populi Romani amplectendo nobilis euaſit. Senones verò Romam quondam obſidione cinxerunt. Fluunt per Lugdunenſem prouinciam Rhodanus & Araris, quæ Sagona vocatur: & Sequana, quæ Oceano Britannico immergitur. Syluæ in ea Particus & Langolaria. Has tres Galliæ prouincias dum Franci occupauiſſent, illam regionem quæ Septentrionem verſus inter Moſam & Rhenum porrigitur, Auſtriam: eam autem quæ à Moſa vſque ad Ligerim protenditur, Neuſtriam vocitauerunt. Quædam tamen pars Galliæ quam Burgundiones inter Lugdunenſem occupauere prouinciam, nunc Burgundia vocitatur. Aquitania verò nomen adhuc antiquum retinet: dicta Aquitania, quòd præ cæteris Galliæ prouinciis, fontibus & torrentibus ſcaturiat. Et hæc modò tantum compendioſo ſermone de ſitu Galliæ dixiſſe ſufficiat. Reſtat tamen vt & Narbonenſem prouinciam quæ pars Galliarum eſt, deſcribamus.

Aquitania vnde dicta.

Narbonenſis prouincia habet ab Oriente alpes Gotthicas, & ab Occidente Hiſpaniam: & à Circio Aquitaniam: & à Septentrione Lugdunenſem prouinciam: & ab Aquilone Belgicam Galliam: & à meridie inſulas Baleares: à fronte verò qua Rhodanus in mare fluit, inſulas Cycladas.

Hæc quidem ex Hugone Floriacenſi huc adſcribere libuit, vt ſecum conſideret lector quàm truncatè & diminutè inſigniora ille Galliæ tam mediterranea loca, quàm etiam externos eius limites deſcripſerit. Adſcripſi tamen, non vt cuiuſquam fidem lectoris adſtringam, ſed potius vt non ſine iudicio author ille legatur. Nam quod de Arduenna ſylua in literas repoſuit, longè abeſt à recto, cum peritorum iudicio pars ſit Hercyniæ, nigræ ſcilicet & obſcuræ: quæ eadem olim ad magnam Europæ partem extendebatur. Cætera taceo, quæ ex aliàs dictis cenſuram non leuem requirunt. Non parum lucis ad eam rem adfert quod Bernardus Guidonius profeſsione Dominicanus in Hormiſda refert. Tertia (inquit ille) pars eſt Galliarum Aquitania, tres pronincias habens, Bituricenſem ſcilicet, & Burdegalenſem, & nouam Populanam, quæ hodie Auxis in Vaſconia eſt. Bituris has habet ciuitates: ſcilicet Lemouicam, Claromontenſem,

Mimatenſem, Ruthenam, Albiam, Catutcum, & exemptam Vellatem,quæ nūc Podium noſtræ dominæ dicitur. Burdegalis habet ſuffraganeos, Pictauenſem, Malleacenſem, Lucionenſem, Sarlatẽſem, Condonienſem, Sanctonenſem, Engoliſmenſem, Petragoricenſem, Agenniẽſem. Auxis habet ſuffraganeos, Aquenſem, Clorenſem, Lectorenſem, Conuenarum, Conſuranenſem, Vaſatenſem, Termenſem, Bigorrienſem, Baionenſem, Laſcurenſem, Adunenſem & Rigonienſem. Aquitania extra ciuitates Turoniam, Toloſam &c. Quicquid enim eſt inter Ligerim & Garūnam & Pyrenæum & Oceanum,totum eſt Aquitania, & in Aquitaniæ partes cedit, vnde Aquitania dicitur, quia Ligeri & Garumna & mari ferè circundatur. Secūdum antiquos autem & Iſidorum Narbonenſis archiepiſcopus primati Bituricenſi ſuberat, vt habetur in decreto nona cauſa cap. Conqueſtus. Sed Carolus ducatum ponens Narbonæ,terram vltra Garumnam vſque ad Rhodanum ei adiunxit: & hæc prouincia Narbonenſis dicitur, cuius pars Septimania dicitur. Et de hac periochē hactenus.Sequens eſt de Burgundici nominis origine differere.

DE BVRGVNDIONVM ORIgine. Perioche decimatertia.

BVRGVNDIANÆ gentis origo tametſi vel ipſo nominis etymo externa ſit,& aduentitia: cum tamen à diebus multis & annis in media Gallia ſibi ſedem quæſierit, poſt indigenas Gallos locum tandem inueniat ſuæ propagationis enucleādæ. Pars hæc eſt VVandalicæ gentis,quæ tandem emergere cœpit cum VVādalica rabies vniuerſam Galliam interturbare primum viſa eſt. Nam quæ Burgundia hodie appellatur, portio erat Narbonenſis Galliæ,atque adeò Lugdunenſis. Eſt enim ciuitas bifida Arelatum, flumine Rhodano eam mediam ſecante: poſtmodum verò ingruente Burgundionum aduentu, eam quam nunc habet, ſortita appellationem.Hi enim ſunt qui à Burgis ſeu caſtellis id nominis ad poſteros transfuderunt: & vicini ſoli fertilitate allecti, ſedem ſibi delegerunt apud Heduos,Lingones, Veſontios, ſuæ ditioni vi armorum adglutinata Sabaudia, Delphinatu, & Valentinenſi comitatu, ad vſque Rhodani ripā. Porrò Burgundos olim fuiſſe Vindelicorū partē, Plinius author eſt, hęc referēs: Quinque ſunt genera Germanorum: Vindelici, quorum pars Burgundiones. *Lib.4.nat. hiſt.ca.14.* Burgundi inquam, appellati à Burgis ſeu caſtellis per eos paſsim extructis: quaſi dicas caſtellarios, vulgato nomine chaſtellliers. Incidit huiuſmodi rabies in annum à parta ſalute paulo plus minúſve quadringenteſimum vigeſimum quintum,exhauſtis Romani viribus imperii, VVandalis & Gotthis obuia quæque vaſtātibus. Mirum igitur quā freti audacia,regni Burgundionū initium (cùm nulla extaret Burgundici nominis memoria)referāt nonnulli in annū à Chriſtiana anaſtaſi decimumquartū: qui iuxta hūc calculum foret à Chriſtiano natali quadrageſimus ſeptimus. Nam vt demus agri Maſsiliẽſis principem diuæ Magdalenæ ductu & auſpiciis in Chriſtianæ fidei verba iuraſſe: nemo tamen facilè admiſerit, ſub titulo regis Burgundionici ſceptra tenuiſſe. Non enim niſi poſt multa temporā nomē illud orbi fando vnquā auditū fuerat. Sed nec fidē vllam meretur, quod nullo teſtimonio fulti plerique aiunt, Trophimū per id tēpus archipræſulē Arelatenſem inauguratū diui Apoſtoli Pauli nepotē ſibi cognominē

R iii

Maximiliano duci Auſtriæ competeret, qui filiã habuit eiuſdem Ca-
roli, præoccupata eſt tamẽ à rege Galliæ, atque plurimum ſanguinis
ob eam cauſam effuſum.

Lotaringia autem cum reliquis quibuſdam regionibus Auſtraſiã di
cta,ſortita eſt nomen à Lotario nepote Caroli magni, incorporatá-
que Romano imperio ſub Ottone primo. A Carolo enim magno vſ-
que in generationem quintam poſteri eius ſimul gubernarunt Fran-
ciam & Germaniam,aliquando per diſtinctas perſonas, ſed ſanguine
iunctas,aliquando etiam per vnam perſonam. Extincta autẽ in quin-
ta generatione tota poſteritate ſaltem virili Caroli magni, Galli ſibi
proprium elegerunt regem,Germanis relicto imperio,quod & Gallis
& Germanis commune fuit.In illa autem imperii ſciſsione Otto dux
Saxoniæ factus eſt Romanorum imperator,qui Lotaringiam & Bur-
gundiam reduxit ad imperium,de quo infra latius differemus.

Hic reſtant nobis aliqua vocabula explicanda: quæ breuibus abſol
uemus. A Lotario venit nomen Lotaringię. Britannia verò ſic dicta
eſt à Britannis,vt ſupra in Anglia commemorauimus. De Norman-
dia iam quoque diximꝰ. Aquitania ab obliquis aquis Ligeris ſic dicta
eſt,vt quidam ſcribunt. Francia verò à Francis populis Galliam occu
pãtibus dicta eſt,vt iam quoque explicuimus. Picardia à Picardis po-
pulis dicta eſt: ſicut Turonia ab vrbe Turone. Prouincia autẽ in qua
Maſsilia eſt ſita,à Romanis hanc appellationem accepit. Flandria à
à Flandra muliere, vxore Luderici primi gubernatoris, qui an-
no Chriſti 782. fuit, nomen accepit, priuſquam Flandria ad comi
tatum aſcendit. Gaſconia ſiue Vaſconia ſecernitur per Garumnam
ſiue Girundam fluuium ab Aquitania,appellatáque fuit tempore Ca
roli magni Regnum de Vaſconia.

Hæc itaque præfari libuit, vt præmoneã lectorẽ,vt in his quæ mox
alienis veſtigiis hæſurus, videlicet encomiaſtæ cuiuſdam Burgundæ
gentis ac principatus catalogum enarrantem legerit, legat quidem,
ſed nõ ſine iudicio. Fuere Burgundiones per multa ante regnũ Are-
latenſe tempora cogniti,vti ex Plinio docuimus: à quo non abludit
Paulus Oroſius. Hoc tãtum teſtatum volumus, Burgundionum apud
Gallias regnum locum non habuiſſe niſi poſt Vvandalicam rabiem:
quo tempore experta eſt Gallia ſub Burgũdico nomine reges. Quin
potius conſtans opinio eſt,non ante tempora Dagoberti regis Arela
tem obtinuiſſe regiæ ſedis honorem. Quo fit vt longè abſit regni Are
latẽſis ſolium à diui Lazari Maximiníque temporibus: cùm necdum
poſt multos abinde annos vlla per Galliam Burgundionum extaret
memoria. Falluntur itaque aut fallunt,qui poſteritati obtruſere diuos
Augendium & Lupicinum fuiſſe diſcipulos beati Ioannis euãgeliſtæ,
atq; ab eo accepiſſe Apocalypſin vti in Patmo inſula ſuo autographo
deſcripta fuerat. Viſitur huiuſmodi codex apud ædem ſacrã diui Lu-
picini,octo à Salinenſi oppido milliaribus diſtantem. Atqui plerique
exiſtimant diui Ioannis Apocalypſin voluminatim intus & à tergo
fuiſſe deſcriptã.nõ autẽ (vt illic cernitur) foliatim ꝑ plicatiles paginas.
Rurſum vnde diuo Ioãni aut aurũ aut miniũ ad vnciales literas quæ
in eo libro cernuntur,depingẽdas? Neq; enim credibile eſt ꝙ ab eo in
ſolitudine degente,in tã negotioſo ôtio vel titulꝰ minio, vel auro char
ta notaretur,cui vix ſuppetebat ſimpliciſsimis characteribus ſuam re-
uelationẽ texere. Nec fruſtra mihi obiicias potuiſſe diuum Ioannem
etiã ex lapidibus aurum elicere, quo ſuũ volumen depingere valeret.
Poterat vtique,ſi id cauſa fidei exegiſſet. At cur in ſcribendo ſuo euã-

gelio id prorſus facere neglexit, quod Apocalypſi longè præſtantius eſt? Plura igitur requirere, nihil aliud fuerit, quàm ludere operã. Rurſum ſi diuorum Augendij & Lupicini ætatem propius conſideres, ex Adone Viennenſi & Gregorio Turonenſi apud vitas patrũ inuenies Lupicinum floruiſſe tempore Hilarij Arelatenſis, & ſucceſsiſſe Lupicino & Romano fratribus Eugendium abbatem: cui non multo poſt ſucceſſerit diuus Claudius. Nam & illic legitur ſenio confectum Lupicinum à Chilperico rege, qui tum Burgundiæ præerat, agrum ad habitandum larga manu vltro recepiſſe, multis poſt Ioannis euãgeliſtæ tempora annis. Sed neque erroris ſuſpicione caret, quod idem encomiaſtes ait, alterum à primo Burgundionum regem, diui Andreæ (vt nunc figurate viſitur) pro inſigni ſui principatus & regni, Crucem delegiſſe: cùm certius conſtet crucem illam cui appenſus eſt diuus Andreas, ad angulos rectos, nec vlla ex parte aut acutos aut obtuſos, eſſe figuratam, vti cernere eſt apud cœnobium Sancuictorianum nõ procul ab vrbe Maſsilienſi. Ea in re quod ſcimus loquimur, & quod ipſi vidimus teſtamur. Neq; enim differt vna crux ab altera angulari figura, ſed tantum poſitura. Chriſtus enim cruci erectæ appẽſus eſt, Andreas verò tranſuerſæ. Nutat igitur hac in parte commentitia huiuſmodi aſſertio. In quam ſententiam conſpirat Pici Mirandulæ carmen in hæc verba:

Figendáque brachia lætus
Porrigit Andreas: verſáque ſub arbore pendet.

Vt vel hinc intelligas crucẽ Chriſti apud diuum Andream fuiſſe trãſuerſam, ad angulos tamen rectos figuratam.

Ex his nutantibus fundamentis collige quæ ſuperſunt reliqua legi poſſe, ſed non ſine iudicio.

His ita prælibatis, vt ſuus cuique citra omnem æmulationem ſeruetur honos, ex candore animi libet codicillum edere, ſeu (ſi mauis) encomium regum ducumque & comitum Burgundianæ ditionis, ex quodam, qui ad nos vſque peruenit codice decerptum.

Sub annum ab anaſtaſi Chriſtiana decimumquartum, cum Maſsiliam appuliſſet diua Magdalena, Chriſtianam fidem amplexati ſunt qui tum regio ſtemmate illuſtres erant rex & regina, & ſacri fontis lauacro abluti, fidei primùm rudimẽtis bene inſtituti in ciuitate Aquẽſi. Prodiit inde ſoboles, cui Trophimi nomen inditum eſt, ductu & auſpiciis Arelatenſis archipręſulis diui Pauli diſcipuli, maximæ apud eũ opinionis, vt eius ſcripta teſtantur. Quo decedente, ſceptro & regno ſucceſsit Stephanus: qui multis tandem precibus impetrauit genitrici ſuæ reginę diu ac multum deſideratam è morte in vitam reſtitutionem: ſceptróq; inauguratus Arelatenſi, vixit ad annos duos ac quinquaginta. Qui religionis ardore accenſus, crucis ſacræ vexillũ, quod hodie apud Sancuictorinum cœnobium Maſsilienſe viſitur, venerandum accuratiſsimè repoſuit. Tu verò hic mihi videto quòd quæ de diuo Trophimo referuntur, partim vera ſunt, partim falſa. Qua enĩ parte aſſeritur diuum in Burgundia regnaſſe Trophimum, cum nec tum nec poſt multa tẽpora extaret Burgundionũ aut nomen aut germen? Illud tam abeſt à veritate, q̃ quod maximè. Hac tamẽ parte audiendi ſunt, q. aiunt ſtatim à Chriſtiana anaſtaſi aduẽtaſſe diuũ Trophimũ in partes Galliæ Narbonenſis, quę nondum Burgundia erat: tandémque appuliſſe Arelatum, quæ etiam Aralata dicebatur, vel ob id maximè, quòd cæco inhumanitatis errore laborantes loci illius incolæ, in ea quam ſibi ſtruxerant ara amplæ præter modum latitudinis, quinq;

è toto vulgo redemptos, ac pecunia cõparatos publica, toto anno ſaginarēt: quo tandem exacto ſuper aram à ſe extructam eos immolarent, atque eorum ſanguine vniuerſum populum aſpergerent, contaminantes potius populum quàm expiantes. Ab hoc inhumaniſsimo & crudeliſsimo ritu, ſuperueniens diuus Trophimus ſalutaribus ſuis monitis plebem illam abſterruit, non tanquam rex (vt falſò aiunt) ſed tanquam apoſtolus Arelatenſis patriæ, quæ Narbonenſis Gallia potius quàm Burgundia dicebatur: ceſſatúmque eſt ab huiuſmodi execrabili inhumanitate & barbarie.

Sed & in hoc (vti ſuprà dictum eſt) hallucinantur, qui neſcio qua ſeducti philautia, diui Andreæ vexillo adpingunt crucis alterius effigiem ad angulos partim acutos partim obtuſos effigiatā. Nihil enim habet crux illa quam vocāt Saultouer, cum cruce Chriſti commune. Huius erroris anſam miniſtrauit non tam crucis effigies, quàm eius poſitura. Erectæ cruci Chriſtus appenſus eſt, Andreas verò obliquatę & in latus depreſſæ. Sed neq; Chriſtus ipſe author eſt diſſenſionis, ſed pacis. Valeant ergo qui variis aut ſignis aut coloribus dominicam crucem ſuorum diſsidiorum teſſeram faciunt. Palpabilem hunc errorem vir egregiè induſtrius & multæ lectionis agnoſcens annotauit Ioannes Marius, vulgo le mayre, Galliarum illuſtrator, libro tertio: qui eorum in Galliam ex profundiſsima Germania aduentum (minimū calculum ſecutus) annotat ſub annum trecenteſimum ſeptuageſimū ſextum. Super cuius calculi exacta obſeruatione hîc nolim cum quopiam contendere: quo ſcilicet tēpore in Chriſti verba iurarint Burgūdiones: cùm & ipſe idē aſſerat annū fuiſſe à parta ſalute quadringēteſimum primum ex Michaële Ritio; inchoante Hunnorum rege Attila, & Subtaro interempto. Sed neque ipſe ſilentio præterit VVandalorum ſelectam colluuiem partes illas trans Rhodanum tenuiſſe, Burgundiones à burgis per eos conſtructis ita appellatos. Erant autem burgi caſulæ leui manu extructæ. Eóſque aſſerit fuiſſe fabros materiatios, (nos carpentarios dicere ſolemus) illius operæ expeditiſsimos artifices: & ab his nomen ſumpſerunt Burgundionum, quaſi dicas caſarum humilium habitatores, ſeu tuguriorum, hoc eſt, tugurιones, vel caſarios: hagas ſeu ſepes ad feras tantum arcendas, à primæua inſtitutione pro mœnibus habentes. Aucta tamen fortuna, pulchræ inde emerſerunt ciuitates: id quod palàm oſtendunt huiuſmodi nomina, Auſbourg, Magdebourg, Salſenbourg, Strasbourg, Fribourg, & alia id genus ſexcenta burgorum nomina. nos, bourg, vel bourgade appellamus. Sícque ex humili plebe euaſerunt in gentē magnam, regnúmque ampliſsimum. Eóque tandē deuentum eſt, vt perſequente eos Attila, fidei Chriſtianæ ſacramentum obuiis (quod dicitur) vlnis receperint. Indéque mox ſecutum eſt, vt Subtari Hunnorū regis vires confregerint. pauci quidem aduerſus plurimos. Idem itaque fuit annus plus minus vno receptæ à Burgundionibus fidei Chriſtianæ, & exordij Attilæ Hunnorum regis, nempe quadringenteſim' primus. Sedem Petri regebat Bonifacius primus, Imperio verò præerat Theodoſius iunior. Sub id tempus Burgundiones regem ſibi delegerunt Gondochium ſeu Gondengum: qui primum regni titulum ſuſcepiſſe legitur: & hic Burgundio cum Merouco Frāco rege in Catalaunicis campis aduerſus Attilam fortiter dimicans in acie periit, deſiderato etiam Theodorico Viſigotthorum rege. Catalaunicos cāpos quidam in Campania, quidam non procul à Toloſa ſtatuunt. Attila fugam inire cogitur, centum octoginta millibus hominum vtrin-

quę deſideratis. Agebatur per id tēpus annus à Chriſtiana ſalute quadringēteſimus quinquageſimus. alij quatuor annos adiūgūt. Locus ſepulturę Gondegōdi ignoratur. Defuncto ſucceſſere filij quatuor, quorum Gondebaldus & Gondegiſillus fratres ſuos poſterioris originis Chilpericum & Gondomarum extrema pati cōpulerunt: nec ea contenti iniuria, Chilperici cōiugem, Clotildis genitricem, vnà cum virgunculis duabus ſaxo ad collum alligato in Rhodanum deiecere: ſed culpā aliquantò pòſt pœna ſecuta eſt. Nam inſtigante Clotilde poſtea quàm Clodoueo protochriſtiano locata fuerat, ſanguinarius Gondebaldus Clodouei viribus poſt impetratum ad tempus Gondebaldo triumphum tandem & vitæ ceſsit & regno. Succeſsit Gondebaldo Sigiſmundus, qui & ipſe dira morte periit, in puteum cum ſua prole proiectus: ita vt Burgundiæ regnum ad Clotildem hæreditatis nomine perueniret. Vindictæ cauſam prætexunt, quòd Sigiſmundus ſecundæ vxoris procacitate doloſè inductus, Sigerico filio prioris vxoris mortem intulit: qui poſtmodum ad cor rediens, arctiſsimam pœnitentiam egit apud Agaunum (gal. Chablays) ad radicem columnæ Iurēſis (colomneiou) qui nobis hodie dicitur mōs ſancti Bernardi. Et pœnitētię ſigna daturus, templū diuis martyribus Agaunēſibus à fundamentis erexit, vnà cum multis alijs (vt fama eſt) ædibus ſacris. Sed de hac re variant ſcriptores. Nos Gregorium Turonenſem ſequimur. Tranſiit hac ratione, his tribus extinctis regibus, regnum Burgundionum ad Francos.

Hic tamen ſeparatim, idq; quàm breuiſsimè fieri poterit, ex Gregorio Turonenſi libro ſecundo, defloranda veniunt quæ ad rem de qua ad præſens agitur Burgundionicam explanandam ſpectare videbantur. Ait ille, Burgundionibus regio nomine præfuiſſe Gondericum, qui erat ex genere Athanarici regis fidei orthodoxæ ex profeſſo perſecutoris, vt conſtat ex capite quarto ſecundi, & vigeſimooctauo eiuſdem. Gondencho verò ſucceſsit Gondebaudus Burgundionum rex, Childerici fratris parricida: qui & vxorem quoque eius alligato ad collum lapide aquis ſubmerſit. Sed Clotildis interfecti Childerici filia, immunis euaſit: quam ſibi Clodoueus matrimonio coniūxit inuito Gondebaudo. Vnde ſecutum eſt, vt conniuente Clotilde Godegiſillus frater Gōdebaudi eum regno ſuo deturbaret, inito cum Clodoueo fœdere. A quo tamen fœdere, nec ſanè impunè Godegiſillus poſtea reſilijt. Vnde etiam ſecuta eſt eius deſolatio. Gondebaudus verò poſtliminio regnum ſuū adeptus, ab Auito Viennenſium archipræſule ſemel atque iterum admonitus ne perſonarum in diuinis æqualitatem lędere pergeret, (quam popul⁹ pertinaciter pernegabat) auræ popularis fauore adeo illectus, vt & ipſe negaret filiū eſſe æqualem patri: erubuit veritatem ingenuè fateri, timens ſibi à populi inuidia: ideoque miſerè tandem periit. Qua de re ita Gregorius libro tertio: Fidem Hilarij Pictauenſis Clodoueus rex confeſſus, ipſos hæreticos dei adiutorio oppreſsit, regnúmque ſuum per totas Gallias dilatauit. Araricus hanc denegans, à regno & populo extruditur, atque ipſa (quod maius eſt) vita mulctatur. Credētibus itaq; dominus iacturam ſiquam fecerint, centuplicato fœnore compenſat: hæretici verò nec acquirūt melius, & quod videtur habere, aufertur ab eis. Probauit hoc Godegiſilli & Gōdebaldi ſeu Gōdebaudi atq; Gōdomari interitus. Cōſtat ex his Burgundionū reges ante Clodoueū Chriſtianam fidem fuiſſe amplexatos, ſed non orthodoxam: Francorum verò reges ſtatim ab accepta fide, & ea quidem ſyncera & recta, nunquam

non in officio permanſiſſe, etiamſi in multis probati fuerint an timerent deum, an non. Burgundiones verò Arianorum ſectam ſequebantur, regio trans Rhodanum titulo inſigniti : eo ipſo quem nuper citauim⁹, authore. Bergomas verò Burgũdionum regum, à gemino (quod dicitur) ouo proſecutus originem, eos è Scandauia inſula Scythici ſoli ex aduerſo Daciç & Gotthiæ ſita manaſſe aſſerit. Adiicit ille, gentem illam ſub Valentiniano imperatore ad Rhodani fluenta ſedes ſibi conſtituiſſe, conſtructis caſulis quas burgos appellarunt. Lego enĩ eos à prima ſua origine artem exercuiſſe fabrilem lignariam . Erant itaque burgi veluti caſulæ quædam: Burgundiones verò caſularij, vulgò (ſi admittis) Caſaniers. Statuit ille tres ordine reges, Gondiochum primum Arianum, de genere Athanarici Gotthi: cui ſucceſsit Gōdebaudus ſeu Gondebaldus, de quo ſuprà. Gondebaudo verò tertio loco ſucceſsiſſe ait Sigiſmundum, aduerſus quem Clodouei poſteritas inſtigãte matre Clotilde armis decertauit dubia inter vtroſque victoria, quæ tandem ceſsit Franco, Sigiſmundo in puteum cum ſua familia deiecto: qui tamen poſt triennium fuit apotheoſi donat⁹ non procul à Sedunenſi templo per eum ædificato. Sigiſmundo nihilominus ad modicum tempus ſucceſsit Gondemarus eius patruus: qui tãdem & vitæ ſimul & regno cedere coactus eſt. Ait ille oram illam Burgundionum Rheno intercludi & Rhodano, mediamque habere Beſuntinam ciuitatem, & quinque diætarum itinere à Rheno ad Rhodanum ſuas fimbrias extendere. Viderit ipſe interim quàm parũ ſibi conſtet, qui vno loco aſſerit regnum Burgundionum initium habuiſſe trigeſimoquinto à Chriſtiana reſurrectione anno : & alio loco ait ſub tempora Valentiniani imperatoris regni ſpecimen edidiſſe, cùm interſint anni plus minus quadringẽti: quódque à fide communi abhorret, ait, à nepotibus Clodouei Burgundionum prouinciam in Frãcorum ceſſiſſe ditionem. Ideoque attentius circunſpiciens Nauclerus chronographus, à decimaquarta generatione Burgundionum hiſtoriam ſemel atque iterum repetens ; priſca eorum ætate ex Plinio & Oroſio detecta, & in partem relegata, tandem ſcopum attingens, varia illis tribuit nomina, Heduorum, Burgundionum, & Sequanorum: ſedéſq; delegiſſe apud Heduos, Vezontios, Lingones, Cabilonos, & Matiſconenſes, in cæteris hæſitans: refértque hæc in Hilarii Pictauenſis & Valentiniani tempora. Lege authorẽ in decimatertia & decimaquarta generationibus.

De Sigiſmundo illud occurrit ex Petro de natalibus enarrandum (ne diuus ille ſua laude fraudetur) quòd apud ciuitatem Sedunenſem erexerit templum Agaunenſium martyrum cum tota Thebæorum legione memoriæ dicatum ac deuotum, quódque fugiens Francorum hoſtiliter eum inſectantium furorem, à ſuis tandem Burgundionibus detect⁹ & proditus, in voraginem in caput deiectus ſit, calendis Maii: triennio tandem elapſo, lumine è cœlo apparente, cum ſuis extractus è puteo, inque ædem diui Ioannis non procul ab Agaunenſium militum templo ſublimatus, à viris orthodoxis magna cum veneratione colitur. Nulla in omnibus his nec ad verbulum quidem mentio habetur de his qui falſò aſſeruntur reges, Trophimo, & Stephano.

Illud obiter dicam: rectè deprehendiſſe Gaguini hallucinationem Meierum, citra tamen conuitium. Nemo enim vigilat omnibus horis: quòd ſcilicet fecerit ex vnius appellatione duo nomina: videlicet Sigiſmundi & Simonis: quaſi non Sigiſmundus ipſe, ſed quidam potius alius Simon ſuis expenſis extruendum curauerit templum illud

magnificum in Sedunenſi agro Agaunenſium legioni religioſè dicatum. Nam cum Sigiſmun cum elementorum amplitudine ſcribitur, per apocopen in hoc vocabulum Sigmun deflexiſſe potuit, & iterum recidere in hoc vocabulum Simon: & hæc potuit eſſe occaſio lapſus, quem nec cenſor ipſe in aliis quibuſdam locis effugere potuit, in hoc etiã argumento dum hoc verbum reponit Columnalou. vbi exprimi debuit Colonia Iurenſis: ſicut MontIou dicitur Mons Iura.

Vt autem pergamus ad reliqua, colligit author ille priſcæ conciliator ætatis Mayrius, Burgundionum regum catalogum certis quibuſdam limitibus, excluſis vanis quibuſdam fabulis, ita vt ſtatuat à primo regij ſtemmatis exordio vſque ad Clodoueum ſtatim poſt adeptum Chriſtianiſmum, ad vſque Clotildis liberos, id eſt ad Francos, tres nec amplius reges. Gondengum primum (alias Gondiochium) Chriſtianum quidem, ſed non prorſus orthodoxum, vt qui Athanarici Gotthi hæreſim ſuboleret. Locus ſepulturæ eius ignoratur, qui in acie aduerſus Attilã fortiter pugnans occubuit, cum Francorũ & Viſigorthorum regibus, ſub annum 454. Gondebaldum ſecundũ, vnà cũ fratre Godegiſillo, qui fraterno ſãguine, videlicet Chilperici & Gondomari poſteriori origine genitorũ, ſe turpiter fœdarunt, vt pauló antè dictũ eſt. Quãdiu autẽ Gondebaldus vixerit, non liquet. Tertiũ Sigiſmundũ, vnà cũ fratre Gõdomaro. Hiſtoriæ ſeriẽ deſcripſimus ex Gregorio Turonenſi, quem ſecutus eſt Gaguinus. Sigiſmũdo itaque vita functo, ſolus regnauit Gondomarus, regum Burgundionum ordine quartus: qui nec ipſe extremum vitæ periculum euaſit. Nam cùm obſeſſus teneretur apud Heduam ciuitatem à Clotario & Childeberto Clotildis liberis, Lutetiæ vno, Sueſsionum altero regibus, miſerè tandem periit. Quo interempto, ad Clotildem & ad eius liberos Burgundionum regnum tranſiit, regno inter Clotarium & Childebertum ſuperſtites vnà cum Theodorico Metẽſi, diuiſo. Decedente autẽ Childeberto Lutetiæ rege, ſuperſtites remanſerũt Theodoricus Metenſis, & Clotarius Sueſsionum & Pariſiorum reges. Theodoricus autem quintus ordine numeratur filius Clodouei primogenitꝰ: qui anno ſui regni primo ac vigeſimo in fata conceſsit. Theodorici filius Theodebertus ſexto loco ſucceſsit: quẽ mox ſecutus eſt Theobaldus Burgundionum rex ſeptimus: qui & ipſe ſeptimo ſui regni anno ſeculo vale dixit, nullis ſuperſtitibus liberis. Quo factum eſt vt ad Clotarium vnum ex Clodouei liberis ſumma regni Burgundiani perueniret. Qui & ipſe primarius fundator extitit templi diui Medardi apud Sueſsiones. Burgundiana ditio ceſsit in partem Guntranni, vnde prodiere Hauſpurgenſes principes, quorum ſoboles deducta eſt ad Maximilianum cæſarem imperatorem deſignatum. & hic cenſetur regum Burgundionum numero octauus: qui ex Clotario ſororem habuit nomine Blitildem: ex cuius cum Anſelberto ſenatore Romano Scaldenſis oræ limenarcha coniugio prodiit Pipinorum illuſtriſsima ſoboles ad vſque ad Carolum magnum, & eius poſteros. Carolus deinde Martellus omnium quos ætas illa vidit & aluit ſtrenuiſsimus, Burgundiam vi armorum poſſedit, vnà cum Arelatenſi regia ſeu archiſolio, inuito etiam Maranco, qui ſibi prouinciæ Romanorum ducatum tribuebat. Cuius exercitus ex Saracenorum colluuie mirum in modum auctus apud vallẽ Corbariam cæſus tandem eſt & fugatus ductu & auſpiciis Caroli Martelli, qui Tutides appellatus eſt aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes. Et hic talis & tantus, nec regis nec imperatoris nomẽ ſibi adſciuit, malens imperare imperantibus, quàm imperator haberi. ab

eo enim vno pendebat moles imperij. Acceſsit ad numerum Burgũdionum regum Pipinus breuis, hæres Burgundianæ ditionis: qui tandem conniuentibus Francis, Zacharia pontifice annuente, ſceptrum Gallofrancici regni adeptus eſt. Deceſsit è vita Pipinus ſub annum ſalutis adeptæ 768. regni autem ſui ſeptimum ac vigeſimum. Perdurauit autem in Carolina ſobole ad annos ducentos quadraginta vſque ad ſtirpem Hugonis Capeti: cuius regni exordium incidit in annuũ domini 990. tandémque verſum eſt regnum in ducatum ſub Ottone imperatore, exauthorato Boſone, (vti ſupra ex Munſtero cõmemorauimus) nec multo poſt ad Francorum regiam Burgundionum ducatus peruenit.

His quæ dicta ſunt de Boſone, præfatis, in hoc laborandum eſt, vt palam fiat quando quibúſve mediis Burgundionum regnum in ducatum degenerauerit. Qua in re audiendus eſt Cuſpinianus in Conrado Salico: ne quicquam à nobis fictum quis exiſtimet. Sic enim ille ait: Conradus princeps ſtrenuus, & militaris diſciplinæ peritiſsimus, in qua ab ineunte ætate exercitus erat, rex electus, conſilio Brunonis Auguſtenſis præſulis, Henrici defuncti fratris (cuius actibus fœlicibus ſemper inuidebat) in ſede regni eſt ſublimatus. Babembergenſem enim epiſcopatũ conatus eſt deſtruere, Giſelæ ſorori & eius filio Henrico promittens, prędia omnia ad ſe iure hæreditario pertinẽtia ablaturum epiſcopatui, & ei reſtituturũ. Sed viſione nocturna territus, vt ſupra ſcripſimus, deſtitit. At Conradus rex pacem vndique lege lata per vniuerſum regnum præcipit, cum iam mox vndique diſſentiones orirentur contra ipſum: quas tamen ſumma prudentia ſedauit, religioſus & prudẽs princeps: ac mox filium ſuum Henricum puerũ adhuc Aquiſgranum ducit, & regem deſignat. Nam Robertus Francorum rex Lotaringiam inuadere tum ſtatuit, ſed mox à conatu deſtitit. Nam & Conradus nouam neceſsitudinem cum nobilioribus familiis Francorum iniit, filia Odoni Comiti Campano in matrimonium data. Et Rodulphus Giſelæ Auguſtæ auunculus, rex Burgundiæ tum erat. Quam quidem Burgundiam pòſt Henrico Conradi regis filio tanquam ſuo hæredi, quam viuus inſtituit, donauit, miſſo diademate Conrado Cæſari. Et ita Burgundia quæ ab Arnolpho imperatore per centum triginta annos ſuis regibus paruit, à noſtris iterum eſt in Prouinciam redacta, licet Odo comes crebris bellis, tanquam ſibi & ſuis hæredibus deberetur, eam infeſtaret, occupato Cæſare & bello Pannonico, & Italico. Sed venia tandem data, pax inter Francos & Germanos, fraternitatíſque nomen inuiolatum permanſit: regníque Francici iura imperio, & imperij Francico regno ſancta extitere. Hæc ille. Hinc quod ad rem noſtram facit, geminam colligito ſegetem, Burgundiam è regia factam prouincialem, atque inter Francos & Germanos fraternitatẽ perpetuo fœdere ſancitã fuiſſe: vt meritò appellari debeant & Germanogalli, & Gallogermani. Hic ergo fuit Henricus tertius, qui cũ Gallofrãcis perpetuũ fœdus iniit: verſaq; Burgundia è regno in ducatũ, in Gallorum regũ ditionẽ iure hæreditario ceſsit. Sicq; factũ eſt, vt cognomines Henrici duo imperator & Frãcorũ rex, in vrbe Metenſi iurato fœdere adglutinarentur. De vxore huius Hẽrici Agnete, ita Cuſpinianus ad verbũ: Alterã Agnetẽ nobiliſsimi Pictauiæ principis & Aquitaniæ ducis Guhelmi filiã, fœminam longè prudentiſsimã habuit: cũ qua nuptias celebraturus in Ingelim, cũ immẽſa hiſtrionũ & mimorũ affluxiſſet multitudo, omnes

abegit, inque eorum locum pauperes & egenos accerſiuit. Hæc ille. Lego percuſſum fœdus inter imperatorẽ & Francũ repetitis vicibus. Anno in primis 980. ad Charum fluuium ab Ottone rege itur in colloquium: vbi iureiurando ſancitum eſt fœdus. Ruſum anno 1123. in annalibus Francorum ita legitur: Rex & Imperator Enoli ſecundum Charum conueniunt, illicque de rebus cum eccleſiaſticis tum regiis verba conferũt. Nec extra rem eſt quod habetur ad annũ 1001. Henricus dux Burgundiæ, quòd liberos nullos ſuſcepiſſet, ducatum ſuum regi teſtamento legat naturæ concedens. quẽ eùm rex poſsidere cœpiſſet, confeſtim Roberto filio tradit, eúmque mittit aduerſus Landricum Niuernenſem Comitem Burgundionibus acceptiſsimum. Victus tamẽ, & redditus ab Altiſsiodorenſibus. Nec tamen facilè admiſerim quod author ille ait, nullo authore: Hugo (inquit) Capetus primus Gallus Gallorum rex, Pariſiorum comes, vi & militum fauore Nouioduni rex ſalutatus, mox Rhemis conſecratur & inungitur. Rem enim non ita ſe habere, quòd primus ille Gallus regnauerit, in Caroli magni inauguratione liquet abundè. Nam præter ea quæ in hierarchia Lutetiana fuſius diſſeruimus, illud tutò aſſerere auſim, imperium quod à Romanis per Conſtantinum trãſmigrauerat ad Græcos, ſtatim remigraſſe in Gallos in perſonã Caroli magni. Fuit enim Carolus magnus in Gallia ortus cirrhenana, oppido Enghelim, & ex penitiſsima Gallia oriundus ex Caroli Martelli per Pipinos deducta ſobole. Quod autem aiunt, à Francogallis ad Teutonicos in perſonam Ottonis tranſmigraſſe imperium, vehementer falluntur, qui ab huiuſmodi imperij gloria Gallos nituntur excludere. Non enim facultas eligendi, quæ eſt deſultoria, & veluti quidam Euripus verſatilis, aliquam nationem ita excludit aut relegat, vt negetur eſſe capax imperialis diadematis. Nemo enim ignorat electionem ad huiuſmodi faſtigium, modò ad Saxones, modò etiam ad Hiſpanos, vti de Alphonſo (ſi tamen id admittere voluiſſet) demigraſſe: ſed frequẽter ad eos qui è media Gallia prodiere. Nec procul petenda ſunt rei huius exempla, cum nemo neſciat eum qui hodie imperat Carolum quintũ ex Gandauo Flandriæ oppido natum eſſe & alitum. Eſt autem Flandria regio Francorum ſceptro obnoxia, tota Francogallici regis beneficiaria. Manet igitur imperium electitium ex ęquo penes ſeu Teutonicos ſeu etiam Gallos, atque adeò exteras quaſuis alias orbis Chriſtiani nationes. Non igitur diſceſsit à Gallis, ex quo ſemel à Gręcis ad Caroli magni ſobolem peruenit, ſi non per propagationis lineam, vtique tamen per liberã eligendi facultatẽ. Sed quid opus multis? cùm id ſciant omnes, Conradum ſecundũ ex Francorum linea propagatũ vnà cum ſua poſteritate vſque ad Henricum quintum, imperio fuiſſe inauguratum. Et hi omnes fuere Francogalli vſque ad Lotarium Saxonem: quo è viuis exempto nemo dubitauerit alios pleróſque genitura Gallicos imperiali ſtẽmate fuiſſe inauguratos. Huiuſmodi fuere Adolphus à Nanſo, Henricus item ſeptimus Lucemburgus, & qui hodie ſupereſt (vti iam dictum eſt) Carolus cognomento Auſtrius: quódq; magis mireris, proximè ſucceſſurus expectatur is qui Romanorum regis perſonam ſuſtinet Ferdinãdus genere Hiſpanus. Vides ergo vt electio non abſtulerit à Gallis imperium, ſed neque à quauis Chriſtiani orbis orthodoxa natione. Sed nunquam vim electiuã à Gallia ſemotam fuiſſe facilè intelliget, qui modò attẽderit electores ſacratioris ordinis pontifices omnes Gallos eſſe ciſrhenanos, nempe

Carolus V. Gallus.

Imperatoris electio penes quos ſit.

Electores imperii põtifices, omnes Galli.

Treuerenſem primum, qui in Gallia ciſrhenana ſedem tenet. Colonienſem item ciſrhenanum, & magna ex parte Mogontinum: qui omnes ad Galliam ſpectant. Et hi tres cæteris Electoribus præferuntur. Treuerenſis enim Cancellarius ſedet in proſpectu Imperatoris: Moguntinus ad latus dextrum: Colonienſis verò ad ſiniſtrum: qui ſuperſunt ſeculares electores, archiepiſcoporum dextram tenent & ſiniſtram. Cuius aſſectionis authorem profero Munſterum libro tertio. Quòd ſi per viam publicam procedendum ſit (vt Munſteri verbis vtar, ſi quis mihi fortè diffidit) Treuerenſis archipræſul præcedit Imperatorem, & duo reliqui archiepiſcopi ſtipant duo latera eius: Rex vero Bohemiæ eius veſtigia ſequitur. Hæc Munſterus ad verbum. Iuris ergo eligendi primas tenet in ciſrhenanis electoribus Gallia, etiãſi multa in eam rem Carion diſsimulanter præterierit: tantum abeſt vt Hugo Capetus primus Gallus Gallis imperauerit. Tu vero quiſquis es qui hæc legis, nolim exiſtimes huic noſtro Hugoni aut ridiculè aut temere Capitonis nomen fuiſſe inditum. Non enim à tegmine capitis cognomentum accepit, vt nonnulli vaniſsimè interpretantur, viri alioqui multæ lectionis & literaturæ: quin potius à ſummo dignitatis faſtigio & apice, Capitonis nomen accepit, quemadmodum in ſacris capita familiarum non infrequenter appellantur, qui cæteris præſunt: vt intelligas ſummæ dignitatis locum tenuiſſe Capitonem, vt rei nomen reſponderet. Cui baſilicæ maieſtati apud Hebræos reſpondet dictio Achaſſueros, quæ nihil aliud ſonat quàm ſummum caput, ſeu totius gentis monarchã: hoc eſt virum ſupremæ dignitatis, ſummæque maieſtatis, ſeu præeminentis excellentiæ. Merito etiam dici poterit Artaxerxes, nomine apud Perſas vulgato, hoc eſt magnus bellator, virtute inſignis & armis, ſeu pugnator inuictus: Referunt enim ſcriptores nonnulli, Hugonis lanceam fulguris inſtar habuiſſe, vt nemo expectare auderet aciem fulgurãtis haſtæ ſuæ. Vnde & comitatus apud poſteros aulicus militari vexillo geſtare ſolet enſem flammeum, totáque ſcintillantem area, non multum diſsimilem à Scytharum inſigni, quibus peculiare olim fuit pro teſſera ſua bellicam fulgetri imaginem geſtare: id quod ex Chaſſanęo facilè intelliges. Fuit & Hugo noſter regiæ ſuæ propaginis caput, quæ in hunc vſq; diem regali diademate fulget, ac proinde Hugonianorum protobaſileus, imò & quod magis mireris, polybaſileus. Habet enim auguſtiſsimum hoc Francorum imperium ditionem longè latéque patentem in gẽtes varias regni titulo inſigniter decoratas, quæ demum in prouincias redactæ ſunt. Habuit ſuum Aquitania regem. Habuit & Arelate. Nec regni titulo caruit Auſtraſia, quæ hodie Lotaringia vulgo dicitur. Fuit & apud Aurelios, vti & apud Sueſsiones, regiæ maieſtatis titulus. Sed hæ omnes regiones in prouincias redactæ ſunt. Fuit & Armorica Britannia regnum, ſed tandem in ducalem tranſiit dignitatem. Hi enim regij tituli omnes vno Francorum diademate concluduntur: quod à quibuſdam vocatur regnum Neuſtriæ, hoc eſt occidentalis Franciæ, cuius limes Normania eſt. Eſt enim non tam ipſiſsima Neuſtria, quàm Neuſtriæ limes. Habebat enim ſuum Marchionem ſeu limenarcham, qui orę præeſſet maritimę. Vnde & apud authores Hugo ille Pariſienſis cognomento Magnus, Marchio Neuſtriæ paſsim appellatus eſt, hoc eſt Franciæ occidentalis (quæ tota Neuſtria dicebatur) limenarcha, rectórque littoris Gallici. In cuius locum hodie ſuccedit maris Gallici pelagiarcha, quem vulgus modo Archimarinum, modo verò Admiraldum,

Achaſſueros.

Capito. *Achaſſueros.* appellat. Quid plura? id apud nos ſonat Capito, quod apud Hebræos Achaſſueros, hoc eſt princeps vel caput. Sed & Vaſcones principem capitalem appellant Capdetum. Qua ratione Hugonem appellare poterimus capitalem ſeu principem virum, duplici inquam nomine, videlicet ob rerum geſtarum gloriam, ac demum ob regiam dignitatem adeptam. Nec à recta deuiauerit, qui eum dixerit térve quatérve Capitonem ſeu capitalem. Sed hæc parerga. Nunc redeundum eſt in viam fœderis iſtius perſanctè iurati inter orientalis atque occidentalis Galliæ monarchas: quod etiamnum illibatè ſeruatur. Meminit huius Ligurinus in hæc verba:

Hæc ſimul à noſtro ſeceſsit Gallia regno,
Nos priſcum morem ſeruamus: at illa
Iure ſuo gaudet, noſtræ iam neſcia legis.

Vides vt vtraque Francia, orientalis ſcilicet & occidentalis, ſuis gaudet monarchis, nec altera paret alteri: vni deo in temporalibus ſubiecta: ſimúlque agnoſci poteſt Moguntiam ad Galliam pertinere ciſrhenanam, ac proinde Carolum magnum natali ſolo Gallum fuiſſe, cum idem ipſe Ligurinus author ſit huius ſententiæ:

Nomen ab infuſo recipit Moguntia Mago,
Quæ ſtatione ſua Renum contingit: at inde
Prærapidam fines extendit ad vſque Moſellam.

Nunc ad reliqua. Poſteaquam ad Francorum reges peruenit Burgūdiani ducatus hæreditas, vix inuenias de Burgundionum principum ſerie vbi tutò pedem figere poſsis, vſque ad diui Ludouici tempora, ídque præſertim per fœminas. Habuit diuus Ludouicus Agnem ſiue Agnetem Burgundiæ ducem filiam, quam aliquanto temporis interuallo ſecutus Ludouicus cognomēto Hutinus ſibi coniugio ſociauit. Philippus cognomento Pulcher vxorē ſibi adſciuit Margaritam Burgundiano ſtemmate nobilem. Iohanna deinde ſecuta eſt, Philippo Longo nuptui tradita: quam mox ſequitur Blācha Burgundiana, Carolo Pulchro, qui Philippo longo ſucceſsit, matrimoniali coniuncta toro. Pòſt ſecutus Philippus Valeſius Ioannam Burgundianam ſibi adſciuit vxorem. Subinde verò ex hiſtoriæ decurſu reperio Carolum ſextum multa prole fœcundum, ex ſe eduxiſſe Michaelam filiam Burgundiæ duci matrimonio locatam.

Quod autem ad virilem ſexum attinet, Philippus cognomento audax, Ioannis Francorum regis filius, Burgundię ducatum obtinuit. quem mox ſecutus Ioannes ſpe deuorans regimen regis & regni, viuente Carolo ſexto mente turbato, Ludouicum Aurelianum ducem fœdè laniatum neci tradidit, opera lixarum quorundam ad id facinus perpetrandum conductorū, ſicariorum. Culpam non multò pòſt pœna ſecuta eſt. Nam parem tandem in ſe pœnam recepit. Succeſſit interempto Ioanni Philippus Francorum hoſtis ex coniurato: vnde ſtrages & plurima mortis imago ſecuta eſt. Genuit ille ex ſe Carolum Caroleſium: qui apud Nanceiū Renati Lotaringi gladio periit. Qui cùm maſcula prole careret, ex vi Salicæ legis Burgūdiæ ducatus ad Francorum reges ad hunc vſque diem peruēnit. ducatu enim pacifico potiti ſunt Carolus octauus, Ludouicus duodecimus, Frāciſcus primus, qui aliàs dici poteſt alter à Franeo Francorum rege priſco: & qui hodie ſuperſtes eſt, vndecimū ſui regni agens annum, Henricus ſecundus. Hæc quæ diximus, iuxta Gallicæ hiſtoriæ decurſum

accuratus lector intelliget.

Huc operæpretium fuerit attexere anacephalæoſin quandam, paucis complectentem ea quæ ex variis authoribus ſupra delineata ſunt, per diſtinctas periodos.

Burgundionum regum ſectio prima eſt, à Gondengo (aliàs Gondochio ſiue Gondebundo) vſq; ad Clotildem Clodoueo matrimonio locatam. Cui ſucceſſere hæredes ſuperſtites Gondebaldus & Godeſigillus. At verò Gondebaldo ſucceſsit Sigiſmundus: quo interempto, ſceptrum regni peruenit ad Clotildem, & eius poſteritatē. Quādo vero Clotildi & eius poſteris ſucceſsit numeroſa proles, inter eos volitabat dubiis Burgundia pennis. Quod fieri neceſſe erat, vt ad nouiſsimum ſuperſtitem Burgundiæ ſceptrum tandem perueniret, qui ſolus diceretur Galliarum monarcha. In partem igitur Childeberti Burgundia ceſsit, eius ſcilicet qui diui Vincentij titulo in ſubmœniis Pariſienſibus templum erexit, hodie appellatum diui Germani pratenſis. Monarcha tamen fuit Clotarius poſt tres fratres extinctos, ad quinquennium, ſub annum ab orbe redempto 559. Clotario extincto (quod ad rem noſtram pertinet) Burgundiæ regnum in portionem Sigisberti peruenit. Clotarius poſt hæc hac appellatione ſecundus, Burgundionum regnum adeptus eſt, quoniam ad eum monarchia peruenit ſecundo ac trigeſimo ſuæ ætatis anno: quam tenuit ad annos duodecim: ſepulchro conditus apud ædem ſacram quam hodie vocant diui Germani pratenſis: ſuccedente Dagoberto primo, Galliarum & ipſo monarcha, ac proinde Burgundionum rege. Qua etiam ratione Clodoueus ſecundus Burgundiano ſceptro potitus eſt ad vſque annum à virgineo partu 662. Clodoueo ſecundo poſt exauthoratos fratres ſuos priores proximus monarcha fuit Chilpericus eo nomine ſecundus, ad annos duodecim, præmatura tamen morte præuentus, conniuentibus Galliarum proceribus. Cui frater Theodoricus, qui in arctum monaſterium retruſus fuerat, ad modicum tempus ſucceſsit. Monarchia tandem ad Hildebertum peruenit ſub annum 698. poſt Clodoueum tertium extinctum, vſque ad annum 715. Inde verò ad Dagobertum, aliàs Clodoueum appellatum: ita tamen, vt vmbram tantum haberet imperij. Nam à Palatinis ducibus pendebat regia, potius quàm à regibus, quorum facilè princeps tandem euaſit Carolus Martellus, nomen tantùm regium retinente Daniele, re autem ipſa regnante Carolo Tutide Martello: cuius natalium obſcuritatem, rerum geſtarum ſplendor illuſtrabat: qui etiam vi armorum Burgundiam ſubiectam ſibi reddidit, Tutides appellatus, quòd eſſet infidelium malleus. Vna enim acie proſtrauit ethnicorum quadringenta viginti millia, vna ſuperante pentade, ídque apud Pictauos. Nomine quidem regnabat Theodoricus ſecundus, re autem ipſa Carolus ille malleator heroicus: qui cùm nomen regium à ſe abiiceret, fuit tamen rex regum, & propugnator eorum. Inde ſecutum eſt vt procerum conſenſu ſceptrum regium ad Pipinum ſtatura puſillum, alterata regum generatione, perueniret, exauthorato Chilperico. Nec refert quòd ex Caroli Martelli ſemine adulterino prodiiſſet. Electio enim heroum & principum præeſt cuiuis generationi, vt ſatis conſtat in Merouingis & Carlingis. Præeſt etiam electio ipſi legi Salicæ. Porrò quod ad rem attinet, dono acceperat Pipinus à Carolo Martello Burgūdiæ regnū, vnde & ad poſteros aliquanto tēpore peruenit. Fruſtra igitur laboratur in fœminea ſobole, cū & ipſa lex cedat electioni. Vixit autem Pipinus ad vſq; annum 768.

Electio generi præfertur & legi Salicæ.

Pipino breui ſucceſsit Carolus magnus. Burgundia verò ceſsit in partem Carlomani. A Carolo itaq; magno ad piũ Ludouicum Burgundiæ regnum vnà cum monarchia peruenit. A Ludouico autem pio tranſiit ad Carolum caluum: & ab eo ad Ludouicum balbum, ad biẽnium tantum. Carlon⁹ deinde & Ludouicus illegitimè nati, ſuffraganeo potius quàm recto titulo Gallorum regiam obtinuerunt. Ex his quæ ſuprà commemorauimus, quæque dicenda ſe offerent, colligi poteſt Burgundiæ principatum ſub hoc tempus decreto Ottonis primi è regio titulo in ducalem degeneraſſe, ob Boſonis in archipræſulem Arelatenſem omnibus antea ſeculis inauditam petulantiam, quòd ſcilicet pontifici ſuo colaphum infregiſſet nulla laceſsitus iniuria. Móxque ſecutum eſt, vt poſt Radulphum Burgundionũ ducem, qui & Francorũ ad bienniũ moderamina tenuit, quiq; pediculari morbo miſerè interiit, (vti olim inter Hebręos Herodes alter ab Aſcalonita, Sylla inter Romanos, & apud imperatores Arnulphus Caroli calui in imperio ſucceſſor) ſtatim à morte Caroli ſimplicis, ob eius hæredúmque ſuorum ignauiam, Burgundiæ ducatus peruenerit ad geminos (altero alteri ſuccedente) Hugonis magni liberos: Ottonem ſcilicet priorem, Henricũ verò natu & principatu poſteriorem. Illud obiter dicam, ridendam potius quàm ſuſpiciendam fore Dantis Florentini (qua ſeipſum traduxit) impudentem calumniam, dum ait Hugonem Capetum Capitonémve aut Cephalum è quadam laniena originem ſumpſiſſe. Qua in re docuit verum eſſe adagium, Communem eſſe Florentini cum carbone naturam. Carbo ſi ignitus tangitur, vrit: quòd ſi id facere nequeat, ſaltem denigrabit extinctus. Idem dixeris de Dante Florentino, qui quem vrere non potuit, denigrare ſaltem ſtuduit: ac per hoc ſibi calumniæ notam comparauit indelebilem, quæ nulla poſsit excuſatione tegi. Creta enim carbonem tingere nulla poteſt. Vt autem redeamus in viam, Henricus Hugonis proles illuſtris, cùm prouectę ætatis de ſobole futura deſperaret, Burgundiæ principatum in Roberti Francorum regis perſonam extremis etiam tabulis tranſmiſit. Sicque ad Francorum reges Burgundia ducalis peruenit. Qui etiam Robertus Hugonis Capeti filius Landericum Niuernenſem imperata facere coëgit, Burgundiæ ducatum vſurpare volentem. Verùm non multò pòſt Robertus rex Francus fratri ſuo poſterius genito Burgundiæ principatum vltro obtulit, aut ſi mauis, filio ſuo Henrico, & Henricus fratri ſuo Roberto. Vacillat enim hic aliquantiſper hiſtoria. Defluxit itaque Burgundiæ ducatus per varias ſucceſsiones ab hac ſtirpe regia vſque ad Philippum cognomẽto audacem: à Philippo ad Ioannem Ludouici Aureliani (id quod tandem agnouit) cum ſumma immanitate occiſorem. Qua de re latior poſtea ſermo habebitur. Ioannes Philippum ex ſe genuit, qui ius regnorum ſtatuebat in armis: vti ex arbore regiæ prolis deprehenditur. Ex quo prodiit Carolus Caroleſius, quem ſemper pacis tæduit placidæque quietis: ideóque mortem ſanguinariam quam quærebat inuenit: idque in præuigilio Epiphaniæ domini: vnde ortũ eſt chronicum carmen:

Vulpe Leo cecidit: rex ibi clamo bibit.

Vbi literæ numerales cædis Carolinæ ſunt indices. Quo ſine prole maſcula extincto, Burgundiæ ducatus ad Franciæ regiam poſtliminio rediit, ad vſque noſtra tempora: idque legis Salicæ præſidio, quo ita cauetur, In terra Salica fœmina nunquam hæres eſto.

Præſtiterit forſan per chronologiã ex archiuis ducum Burgundiæ

extractam, eorum ſeriem deſcribere, ab anno ſcilicet ſalutis adeptæ vno ſupra milleſimum.

Henricus (vti ſuprà retigimus) dux Burgundionum cùm prole careret, & Hugoni Capeto foret fraterno ſanguine iunctus, nepoti ſuo Roberto Francorum Regi principatum Burgundiæ per manus tradidit: qui Robertus tertio poſtea anno, hoc eſt quarto ſupra milleſimum, Henricum filium Francorum regem ducem inſtituit. Henricus autem fratri ſuo Roberto ducatum dono dedit, quem vſque ad annum plus milleſimo trigeſimum tenuit. Habuit Robertus Henricum filium, vnde prodierunt filii ſuperſtites duo, Hugo Caluniacenſem profeſſus ordinem, & Odo ducatus ſucceſſor ad vſque annum nonageſimum ſeptimum. Odonem Hugo ſequitur ducatui initiatus ad annum 1102. in cuius locũ aſſumitur alius nomine Odo Burgundionum dux ad vſque annum 1133. Quem viciſsim Odonem Hugo ſecutus eſt in eo ipſo ducatu ſucceſſor ad annum 1164. Rurſum poſt Hugonem Odo alius ſequitur vſque dum peruenias ad annum 1192. Cui etiam Odoni alius ſuccesſit Hugo in annum 1218. Ex quo viciſsim Hugone prodiit dux nomine Robertus ad annum 1273. Genuit Robertus liberos geminos, Hugonẽ ſcilicet ducem: quo morte præuento, ad Odonem mortui ſucceſſorem ſumma rerum peruenit ad annum 1315. Genuit Odo Philippum præmaturè extinctum, hoc eſt ante patrem. Mox autem ſuccesſit Philippus alius, qui nullo hærede relicto in fata cõceſsit, ad annum ſcilicet 1349. Authorem habeo Ioannem Egidium, annalium accuratum iuxtà ac veridicum indiciarium, quòd circiter hanc ætatem, anni videlicet 1294. Otto Burgundianus & Arteſianus comes Palatinus Salinopolis ſuo iuri ceſſerit in fauorem Philippi pulchri: ea quidem conditione & lege, quòd vnus ex regia ſobole Ioannam filiam ſuam cui Arteſianus comitatus competebat, ſibi ſociaret vxorem. Cuius rei gratia numeratam pecuniam Otto accepit librarum turonicarum triginta millia: & cùm eſſet ære obſtrictus, creditoribus ſuis vigintiquinque librarũ millia in ſolutum data ſunt. Accepit ea conditione Philippus Belli regis filius ſecũdus Ioannam deſponſatam ſibi vxorem, Matilde genitrice, & Roberto eius filio conſenſum præſtantibus. Hic Philippus cognomento & ſtatura procerus, frater Philippi ſpecie decori, fratri ſuccesſit in regno poſt Ludouicum prius natum, cognomento Hutinum, hoc eſt (vt nonnulli interpretãtur) irrequietum & queruloſum: cui nupſerat Margarita Roberti ſoror Burgundionum ducis. Porrò Hutinus Ioannam ex ſe procreauit, Philippo Ebroicenſi comiti, & Nauarro regi, coniugio locatam. Vnde orta eſt controuerſia inter Burgundum & Philippum, qui fuerat ex regente rex creatus, ſub annum 1316. Cuius Ioannæ gratia ſceptrum deuolutum eſſe dicebatur ad fratrem Ioannæ Burgundum. at huic ſententiæ ex diametro obſtabat lex Salica. Sed litem coniugium Ioannæ Philippi filiæ, quam Burgundionum dux ſibi ſociauit vxorem, diremit.

Sequitur Geneſis Burgundionum Comitum ex Ottone prodeuntium.

Procreat Otto Ioannam Francorum & Nauarræ reginam, Palatini comitatus Burgundiani dominam, quam Philippus Francorum rex ſibi delegit vxorem. Ex quorum toro maritali prodiere Ludouicus Francorum Rex, & Philippus ſecundo genitus comes Burgundiæ Palatinus. Incidit Philippi cum Ioãna matrimonium in annum 1285. non ſine Apoſtolicæ ſedis diſpenſatione propter affinitatis ne-

ceſsitudinem aliàs iure vetitã. Habuit Ioanna filiam Eliſam ſeu Eliſabetham coniugio locatam Roberto Burgundionum duci ſub annum 1306. Ludouicus Francus Nauarræ rex Philippum ex ſe genuit Pictauenſem Comitem, & Burgundiæ Palatinum, ac Salinopolis dominum, nec multo poſt Francorum regem.

Is quem diximus Philippus Margaritam ex ſe genuit triplici comitatu locupletatam, Flandriæ, Arteſiæ, & Burgundiæ.

Ea quam diximus Margarita Francorum Regis filia, Ludouicum Flandrorum, Arteſiæ & Burgundionum Comitem palatinum edidit in lucem. Sed & hic Ludouicus Flandrus, Arteſianus, & Burgundionum Comes, Philippi audacis ſororẽ coniugẽ accepit: qui ſub annum 1419. in fata conceſsit.

Philippi huius proles Ioannes Trucida, cuius conniuentia Aurelianus dux indignè tractatus periit, tãdem apud monaſteriolum vbi à Sequana flumine abſorbetur Iona, paria recipiens, violenta morte petiit. Succeſsit Ioanni Philippus, pacis & tranquillitatis amator: cuius memoria in benedictione eſt.

Philippum ſecutus eſt Carolus Caroleſius, longè abhorrens à paternis moribus, vtpote irrequietus, & pacis impatiens. Ideoque dignum ſibi comparauit patella operculum.

Huc vſque de Burgundionum proſapia dictum ſit, propter cohærentiam quam illi cum regio Francorum ſanguine intercedere omnibus perſpicuum eſt, ex affinitate materiæ prodeuntem. Nunc ſupereſſe video vice epitomatis latius antea diffuſiuſque narrata ſummatim complecti hac nouiſsima perioche.

ANACEPHALAEOSIS BREVI COMplexu recenſens ea quæ ad Gallicæ monarchiæ anthropologiam pertinent. Perioche decimaquarta.

FRANCORVM regum illuſtrem ac ſuperilluſtrem in vniuerſum monarchiam tres in ſeſe complecti generationes omnibus eſt in confeſſo.

Prima omnium eſt, à Pharamundo ad Pipinum breuem: & hæc, ſi exactè generationis huius exordium attẽdas, duorum regum acceſsione Merouingorum ſtemma excedit, Pharamundi ſcilicet & Clodionis capillati vſque ad Merouẽum, qui tertius à Pharamundo numeratur: à cuius titulo vſque ad Pipinum breuem Merouingi appellati ſunt. Numerantur autem in vniuerſum duo ac viginti reges. Generatio altera, à Pipino breui, ſtatura puſillo, viribus autem animi multis partibus ſuſpiciendo, ad vſque Hugonem Capetum tertiæ ſuæ generationis primum verticem, atque (vt ſic dicam) capitonem: in qua colliguntur reges quatuordecim numero. Sicque colliguntur reges in vniuerſum ſex & triginta. In eo tamẽ regii ſtemmatis complexu fœtus nonnulli intruſi ſunt abortiui, è quibus duo illegitimi fuere Ludouicus & Carlonus, à Ludouico balbo extra tori maritalis legem procreati. Acceſsit nihilominus tertius, mali (vt ſic dicam) corui malum ouum, Carloni ſcilicet proles mutila Ludouicus iners & ceſſantis operæ, quem nonnulli appellant Ludouicum nihili, vernaculo idiomate Faitneant. Fœlicior futurus, ſi à ſtupro, imò & raptu deo dicatæ virginis abſtinuiſſet, quam è Chalenſi cœnobio inuitam extractam præter fas & æquitatem vice vxoris cõcubinam habuit. Inde mox ſecutum eſt, vt è regia ſede deturba-

retur, accerſito ad ſceptrum regale Frãcorum Odone Andegauenſi, procerum omniũ ſuffragiis regiis inſignibus decorato, auſpiciis Galteri Senonenſis archipræſulis, imperaturus ad annorum enneadem & paulo amplius, vſquedum maturã ætatem Carolus ſimplex, aliàs malè feriatus, attingeret. Et ab hac radice poſt aliquot annorum interualla emergere cœpit Hugonianorum proſapia: quæ ad hunc vſque diem manet, quo Henricus hoc nomine ſecundus bene fauentibus ſuperis æmulorum ſuorum domitor inuictus, ſanus & incolumis viuit & regnat. Superi bene cœpta ſecundent. Complectitur itaque hæc generatio regio ſtemmate decoratos Francorum principes tres ſupra ſexaginta.

Tres itaque generationes hucvſque prorogatæ, regum numerum complent vndeſexaginta. Id tamen obſeruãdum, hanc nouiſsimam Valeſiorum regum propaginem hucvſque perduraſſe, à Philippo ſcilicet Valeſio vſque ad hunc ſuperſtitem Henricum, non tamen gradibus æquis. Fuere Valeſii è directo vſque ad Ludouicum duodecimum, qui è tranſuerſo ſucceſsit. Maſcula prole vacuus Ludouicus duodecimus è vita deceſsit. Reſtabat tertius in Aqualiſmenſi proſapia gradus, Angoliſmenſem vocant. Duo ſucceſſere reges, Franciſcus videlicet vulgò primus appellatus: quem tamen à rege Franco ſeu Francico ſecundum crediderim. Quem mox ſecutus eſt ſua nomenclatura ſecundus Henricus hodie ſuperſtes, anno ſcilicet ſui reginimis vndecimo, Chriſtianæ verò ſalutis 1557. dum hæc à nobis ſcribuntur. Si tamen originem altius repetas, longeque reuoluas, inuenies ante Pharamundum Troiugenaſicambros, atque etiam Francoſicambros in re militari genti ſuæ præfuiſſe numero quadraginta: qui in vnum collecti aceruum, centuriam implent, vno minus principe, vita comite in regnum ſucceſſurō Delphino. Id nihilominus in præſcriptis generationibus obſeruandum erit Merouingæ iuxtà ac Carlingæ ſobolis deliquium, & imminens caſus, qui & ipſi ſuas habuere notas quibus non obſcurum portendebatur præſagium imminentis ac proximæ ruinæ. Tum enim in Merouingis imminere cœpit ruina, cùm imperium ob regum inertiam per procuratores palatii præfectos potius quàm per eos qui ſucceſsione monarchatum attingebant, tẽperaretur. Prima itaque coniectura ruinæ futuræ à Clodoueo ſecundo initium habuit, cum ſcilicet ad biennium mentis deliquium paſſus eſt, cum ob nimias voluptates, tum verò ob indignè tractatas Gallorum patriarchæ diui Dionyſii ſacras reliquias. Tum cœpit cadere à ſtatu monarchiæ Gallicæ ſuſpicienda maieſtas: idque ab anno receptæ ſalutis humanæ 660. vſque ad Pipinum anno 750. Numerabis itaque annos 110. Succeſsit itaque Clotarius titulòtenus monarcha. Quem mox ſecutus eſt Theodoricus titulo regius, annuus tantum: huius calamitatis anſam præbente Ebroini petulantia, qui tum Palatinis rebus præerat: Theodorico in cœnobium Dionyſianum retruſo, Ebroino verò apud Lexobiũ. Summa itaque rerum peruenit ad Childericum tertiogenitum, clauum nauigii tenente VVolfrado duce Palatino: cuius ſæuitia in Bodylonem exerta virgis cæſum, tandem in caput Childerici recidit. Quem ex venatione redeũtem Bodylo interemit, poſteaquam regni titulum ad annos duodecim ſuſtinuiſſet. Statim à Childerici cæde Theodoricus reſtituitur vnà cum omnium incentore malorum Ebroino: qui meritas ſcelerum pœnas non multo poſt luit. Ideoque exploſus extrema pati compulſus eſt, authore Hermẽfredo. Palatinatui autẽ ſucceſsit Pipi-

nus Heriſtellus: penes quem ſumma rerum perdurauit ad quadriennium monarchię Clodouei tertij. Pręfuit etiam rebus Palatinis is quē ſuprà diximus Heriſtellus ſub Hildeberto ad annos 18. relicto ſibi ſucceſſore, ſed illegitimo, in rebus Palatinis regēdis, Carolo Tutide, aliàs Malleario ſeu Martello: in titulo verò regni ſuccedente Dagoberto ſecundo, qui aliàs Clodoueus dicebatur. Clotarius deinde ſecutus eſt, relegatis ob imbecillitatem duobus Dagoberti liberis. Sed factione Reinfredi, qui per id tempus Palatinis rebus præerat, ſubſtitutus eſt quidam nomine Daniel, aliàs Chilpericus, quem aiunt fuiſſe ſacris ordinibus initiatum: ideóque non multo poſt è gradu deiectus eſt, biennio vixdum exacto, tumulo conditus apud Nouiodunum, ſceptra regiminis tenente Martello heroë fortiſsimo, domi foriſque ſuſpiciendo. Penes Theodoricum Dagoberti filium monarchici tituli ſpecimē remanſit: ductu tamen & auſpiciis Martelli gerebantur omnia, ita vt rex dici noller, ſed regum quatuor propugnator & rector: ita vt hi reges honorarij, iſte verò onerarius & diceretur & eſſet. Fuit nihilominus Childericus Merouingorum nouiſsimus, è ſede regia exauthoratus, inque eius locum aſſumptus Pipinus breuis, non tam regia propagatione, quàm procerum Francorum electione, qua ſcilicer ordo generationis interceptus eſt. Cui publicæ electioni omnia cedunt. Et hinc exordium ſumpſit Carlingorum monarchia vſque ad Hugonē Capetum duratura. Cuius propaginis ruinam non pauca præceſſere indicia ſuis diſtinguēda notis. Nota prima fuit à capite Caroli calui: altera autem ab ore Ludouici balbi, quem gemina ſecuta eſt, præfectis duobus illegitimis, Ludouico, & Carlono, qui ob inertiam Caroli ignaui aut ſimplicis, ſceptro regio incubuere, Ludouicus ad ānos quatuor, Carlonus verò ad quinquennium, interim dū Carolus ignauus adoleſceret, deturbato à regno Ludouico Carloni filio ceſſantis operæ, ita vt Ludouicus nihili diceretur, nulla re magis ad poſteritatem cognitus, quàm ſtupro ac ſacrilegio Veſtalis cuiuſdam virginis, in cōiugium facto potius quàm iure aſſumptæ. Effecit tandem Caroli inertia, vt ad faſtigium regni Odo Andegauenſis tanquam rex aſſumeretur, ſuperſtite etiam Carolo Simplice. Odo itaque Francis, Arnulphus Germanis imperabat, & Arnulphi proles Carlonus. Permāſit itaque apud Carlingos imperium ad annorum centuriam cum decade. Carolus verò Simplex quaſi poſtliminio rediit ad regnum, ſed non ſine controuerſia cum Roberto filio Odonis, ac deinde Hugonis magni prole. Cuius opera & induſtria poſt Carolum ſimplicem interceptum Hugonianorum ſoboles regiis inſignibus initiata eſt, non tamen ſine interruptione Radulphi Burgundionis, qui pediculari morbo periit, ſepulchro tandem cōditus in æde diuæ Columbæ apud Senonas. Radulphum vtcunque regnantem ſecutus eſt Ludouicus Caroli Simplicis proles, qui dicebatur Vltramarinus. Quo tandem pereūte poſteaquam ſeptem & viginti regnaſſet annis, ſucceſsit Lotarius ad vnum & triginta annos, apud ædem ſacram diui Remigii tumulo conditus. Nec mora, ſecutus eſt Ludouicus quintus ad mēſes duodeuiginti ſceptro regio decoratus, demum apud Compendium in diui Cornelii æde tumulo conditus. Et hæc fuit extrema Carlingorum periodus, regio ſtemmate deuoluto ad Hugonianos, procerum interueniente conſenſu: quorum electio trāsfert regna de progenie in progeniem, vti ſupra de Merouingis ad Carlingos non obſcurè docuimus.

Memineris interim, & attentus conſidera lector quiſquis es cordate, aureſque & oculos mentis arrige: omnes, quæ à Pharamundo

in hunc vſque diem in lucem prodiere generationes, ſuos habuiſſe monarchas (intruſos excipio, qui non tam monarchæ quàm laruæ monarcharum fuerunt, ſeu monarchæ præſumpti) vnius fulti præſidio legis, Barbarius Philippus. Sed ad rem. Habet vnaquæque libera natio ſuum monarcham. Francia gemina, Orientalis ſcilicet & Occidentalis, ſuos vtraque habet monarchas, vti & Hiſpania ſuum & Anglia ſummum agnoſcit imperatorem ſibi vtraque peculiarem, nec vllum in temporalibus ſuperiorem agnoſcit. Quod autem de imperatore dici ſolet, quòd ſit ſummus & vnicus, fateor, ſi de honorario intelligas, citra tamē omnem coërcitiuam iuriſdictionem. Ille enim nobis dicetur ſummus honorarius propter titulum Romanorum, qui titulus nō habet aliquam annexam nationem, ſed abſtrahit ab omni natione. Nam quem eligit in tutorem & propugnatorem, ille nobis imperator Romanus præ cæteris monarchis honorādus, dicetur rex regum, ſed nihil minus quàm dominus dominantium. Cæteris enim præeſt honore, non item dominio.

Sunt enim & aliæ non paucæ nationes quæ in ſuo politico principatu monarchiam exercent, nullumque nec iure nec facto ſuperiorem agnoſcunt: qui etiā in ſuos ſubditos non tam monarchicè quàm ariſtocraticè, addo inſuper & democraticè præſunt. Veneticus principatus ariſtocraticū regimen exercens, certis legibus ſuum ſibi adoptat monarcham ducem Venetiarum, & (vt amplius dicam) archiducem, ſuppreſſo odioſo regis nomine. Id quod Romanis multo tempore accidit ob Tarquinii regis ſuperbiam. Monarcha igitur reipublicæ Venetorum ariſtocraticis legibus ſuis imperat: qui & ipſe dux & archidux meritò appellandus venit. Idem de republica Florētina (quæ ſibi libertatem ab imperatoribus certo precio comparauit) exiſtimari poteſt: quæ tamen ariſtocraticè præeſt, illud habens cum monarchia commune, quòd nullum in temporalibus agnoſcat ſuperiorem. Nec tamen ducem ſuum patiūtur more cæterorum monarcharum ſummo iure ſecum agere. Ideoque quadantenus monarchæ dicuntur, & non duces tantum, imò & ſupremi archiduces, nullum vel regem, vel imperatorem qui iuridicè eis imperet, ſupremum agnoſcentes. Habet etiam democratia ſummū in ſuos imperium, præſertim apud Heluetios mutuo ſibi fœdere iunctos, qui Cātonum ſibi nomen deſumpſerunt: non vt alter alteri imperet, ſed vt mutuo fœdere iuncti, aduerſus hoſtes (ſi qui ſe offerāt) mutuo conſenſu ſuam democratiam, ſaltem tectam, teneant, nullo rege, nullo duce, ſed fœdere tantum mutuo ſuæ democratiæ conſulētes. Suas quidem illi in bello exteris locant operas, ſed non niſi communi inter eos conſenſu, ne quis tyrannicè eis imperet. Nec vllum agnoſcunt nedum ducē, imò nec archicantonem quidem: niſi quis fortè dicat Bernenſium vexilliferum pro ſummo haberi, ſed honorarium tantum: non tam vt cæteris imperet, quàm vt præcellat honore: vti de imperatore diximus erga cæteros monarchas. Huius (vt illud obiter dicam) Cantonum nominis origo, præfata tamē venia, citra omnē contentionem, mihi ab eo originem ſumpſiſſe videtur, quod ſcriptum legimus primi Regum cap. decimoquarto: Applicate huc vniuerſos angulos populi, & ſcitote & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. Super quo verbo ſcholiaſtes Iſidorus ait: Per angulos intelligūtur primi qui ſunt in populo: & hi ſunt in ciuitate ſicut angulus in pariete. ita enim dicere ſolemus, Vn canton de rue. Vnde ne quis inter eos primatum vſurpet, primores ſuos Cantones appellant, ſcque ipſos Sculptetos &

Cantones Heluetici.

confœderatos. Si quis contra obiecerit, cum nemine contendere velim. Habet vnaquæque monarchia per ſingulas ordinum claſſes vnum aliquem primatem, ſaltem honoratiū: nempe inter duces, Archiducem: Archicomitem, inter comites: atque etiam inter Barones, Archibaronem: & ſi quæ ſunt aliæ dignitatum claſſes, quemadmodū Marchiones, & (vt quibuſdam placet) dominorum, rectius tamen ſeniorum titulus: vt vulgò dicimus, Le ſeigneur de Couſsi. Eſt igitur in vniuerſa Gallia Archidux vnus, nempe Delphinus, qui cæteris etiam ducibus dignitate præeſt, quandiu ſub tutoribus & actoribus eſt propter ætatis defectum. aliàs Prorex dici poteſt, non electione tantum, vt quiuis gubernator, verùm etiam natus, in caſu deliquij mentis paternæ regiæ, aut certè contracti corporalis vitij, aut detentionis, ita vt ad regendum cenſeatur inhabilis: quo caſu ad proregem Delphinum ſumma rerum perueniret: vti in caſu lepræ Oſiæ ex ſacris literis prom-
2 Paralip. 26
ptè elici poteſt. Is inquam eſt Delphinus, cui ſummus rerum arbiter vſque adeò beneficum, imò & magnificum ſe præſtitit, vt ſubregiæ ſuæ coronæ nec paucos nec modicos omni gemma precioſiores adſixerit titulos, vt meritò de eo dicatur: Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo. Primum enim (vt hinc ordiar) duo tantum reperiuntur toto orbe Gallicano tituli nulla adiectione decurtati. Rex enim ſine pluri vernacula lingua appellatur, Sire: Delphinus autem, Monſieur. Rurſus quemadmodum Rex, Chriſtianiſsimus omnium conſenſu appellatur: ita & Delphinus Galliarum prorex tantùm non vnctus. His accedit, quòd per vniuerſam Galliam Archidux omnium in Gallia ducum ſuprem⁹ habetur, non honorarius tantùm (vti Auſtriacus) imò niſi puſilla vetat ætas, Dicæarcha. Olim erant apud Hebræos Aihaſarim & Matathim donati ad ſuccedendum: primogenitus verò Delphinus nō donatur tantum, imò verò naſcitur ad in ſeſe recipiendum Galliarum diadema. Vna tantum reſtat educatio, qua numinis implorato fauore clauum in omnibus rectum tenere aliquando poſsit, cæteróſque regiminis præuertere curſu: vti delphino natura comparatum eſt, quòd non piſces modò cæteros, imò & velociſsimas celoces ſuo natatu lōgo præeat interuallo. Suos ſanè nonnulli populi Delphinos, Infantes vocant: iſte verò tantum abeſt vt infantis nomen obtineat, vt & dicatur & ſit verius polyglottos, Gallicæ nempe gnarus phraſis & Italicæ. Alij, regni ſui futuros hæredes, principes appellant: hic verò protoprinceps, tantùm non rex. Iam ſi ſeriem numerúmque regum ordinis Gallici in eo conſideres, facilè deprehendes ex Bocheto & aliis quàm plurimis Hiſtoriographis hunc qui ſupereſt Delphinum, centuriatum futurum quadratæ decuriæ titulo inſignem. Habent itaque ſingulæ monarchiæ ſuos Archiduces: hoc eſt, inter cæteros Duces, primates ſaltem honorarios: vti Archidux Auſtriæ ſuperioris, Archiducis titulo gaudet ab imperatore indito. Sunt nihilominus Archiduces in ſua claſſe ſupremi, vti iam diximus de archiduce Venetorum. Sed & in Auſtraſia inferiori, quæ Lotaringia dicitur, dux qui aliquando regis perſonam ſuſtinuit, cum nullum ſuperiorem agnoſcat, merito Archidux appellari poteſt, non honorarius tãtum, imò & iuridicè imperãs. Archicomes vero non ineptè cenſebitur, qui intra Galliæ limites comitatum regit excellentiorem: vti dicere poſſumus Galliæ Narbonēſis Comitem, quæ olim prouincia dicta eſt Romanorum, quæ iam excidit à regno Arelatenſi. Archibaronem verò appellare ſolem⁹ Mommorenciacū, qui id nominis præ cæteris Baronib⁹ obtinuit, quòd ſci-

licet zelo Chriſtianiſmi accēſus, eidem lauacro ſe immiſerit, quo rex Clodoueus protochriſtianus ſacro baptiſmate ablutus eſt. Archimarchionis titulus cui competere poſsit, cum nemine contenderim, ne forte maneat alta mente repoſtū iudicium Paridis. Hoc tamen citra cuiuſquam iniuriam aſſerere poſſum, quòd cùm ſint duodecim pares Frāciæ, qui meritò appellari poſſunt Satrapæ, qui iuxta Hebræorum phraſim dicuntur videntes faciē principis: Archiſatrapā meritò dicimus ducem Burgundianū: quæ dignitas nūc adhæret oſsibus principis. Nam qui ſe Burgundos appellant, nomine abutuntur, vſurpantes quod ſuum non eſt. cùm Burgūdi nomen à ſuperiori ducali dignitate pendeat, potius quàm à Iurēſi comitatu. Sit ille Archicomes Burgūdiæ, non erit tamen vt iure dicatur Burgūdiæ Archidux. Ideoque dici poterunt Burgundi archicomitatenſes: & id quidem intra Burgūdiæ limites, cōtracto ſcilicet Archicomitatus nomine: vulgo La franche conté. Iam conferre libet tres in monarchico Gallofrancorū principatu generationū ordines. Fert enim quæque commoda, partim etiā incommoda ſecū. Suum in primis ſeculum illuſtrius reddidit protochriſtianus Clodoueus: (quem pleriq; Luduicum, ac perinde Ludouicum communi ſignificatu appellāt;) quòd orthodoxā toto ſuo monarchico principatu fidē ita excoluerit, vt omnē hæreſeos nubē eliminauerit, omneſque errorū fautores vi armorum ſtrenua virtute domuerit: veruntamē ætas illa nonnunquā polyarchia interturbata eſt. Fuere per id tēpus ex æquo regnantes tetrarchæ. Lutetianus ſcilicet, Aurelianus, Sueſsionumque ac Auſtraſiæ reges: & vſque ad pentarchiam Aquitanicum regnū acceſsit: nonnunquam tamen altis ante alios in fata cedētibus ad dyarchiam: nouiſsimè vero ad monarchiā deuētum eſt. Nam in ſuis quiſque ſedibus ita præerat, vt nemo alium agnoſceret ſuperiorem. At vbi præmatura morte alii præuenirentur, nouiſsimus ſuperſtes inter Francos monarchiā exercebat. Generatio altera Carlingorum à Pipino breui initiū ſumens prouidè cauit quātum anniti potuit, ne vlla polyarchia interturbaretur intra Frācogallorum limites. Nec tamen obtinere potuit, quin ſuā aliquando pateretur anarchiā, interruptione facta per illegitimos quoſdam vſurpatores, Ludouicum dico & Carlomanum adulterinas plantationes, quæ non dederunt radices altas. Quin & ob illegitimæ prolis imbecillitatem Rudolphus Burgūdus ſeſe intruſit in regnum: nec prorſus extra rationem: vnus enim is inuētus eſt, qui Normanicæ rabiei torrenti nec ſine laude & gloria ſe opponeret: ideoque regni titulum adeptus eſt, interrupta interim proſapiæ Carolinæ recta linea. In hoc tamen excelluit ætas illa, quòd heroica ſua virtute Carolus magnus idola omnia diſsiparet, fidelium legibus ethnicorum colla ſubderet, & rebelles ex eccleſia Romana tyrannos omnes ad vnum in fugam verteret. Et hæ fuerunt ſecundæ Carlingorum generationis clariſsimæ dotes. Et ob hanc cauſam à Græcis ad Francos catholicum migrauit imperium: quod tametſi peruenerit ad Teutonicos, nunquam tamen migrauit à Francis: vt pſeudographè in literas retulit Ioannes Teutonicus, non intelligens quòd & Teutones ipſi pars Francorum ſint. Quod ſi quis mihi fortè diffidit, in promptu ſeſe offert Ottonis Friſingenſis non leue in eam rem teſtimonium libro ſexto, cap. decimoſeptimo: Exhinc quidam poſt Francorum regnū ſupputant Teutonicorum. Vnde filium eius Ottonē in decretis pontificū, Leonem papā primū regē Teutonicorū vocaſſe dicūt. Nā iſte de quo agimus, Hericus, oblatā ſibi à ſummo pōtifice dignitatē renuiſſe perhibetur,

Mihi autem videtur regnũ Teutonicorũ, quod modò Romã habere cernitur, partem eſſe regni Francorum. Denique vt ex ſuperioribus patet, tempore Caroli, regni Francorum, tota Gallia, id eſt Celtica, Belgica, Lugdunẽſis, omniſque Germania, à Rheno ſcilicet vſque ad Illyricum, terminus fuit. Dehinc diuiſo inter filiorum filios regno, aliud orientale, aliud occidentale, vtrunque tamẽ dicebatur Francorum regnum. In orientali ergo quod Teutonicorũ dicitur, deficiente Caroli ſtirpe, primus (manẽte adhuc in occidentali Frãcia ex ſucceſſoribus Caroli, Carolo) ex gente Saxonum ſucceſsit Henricus. Cuius filius Otto (qui etiam imperium à Longobardis vſurpatũ deduxit ad Teutonicos orientales Francos) forſan dictus eſt primus rex Teutonicorũ, non quòd primus apud Teutonicos regnauerit, ſed quòd primus poſt eos qui à Carolo Carlingi, ſicut à Merouco Merouingi dicti ſunt, ex alio, id eſt Saxonum ſanguine natus, imperiũ ad Teutonicos Frãcos reuocauerit. Sicut autẽ Merouingis deficientibus, ac Carolis ſuccedentibus, regnum tamen manſit Frãcorum, ſic & Carolis decedentibus, ex alia familia ſeu lingua in vno tamen regno Ottones ſubintroiere. Hæc ille. Nec hoc contentus, vigeſimoſecũdo poſtea capite ſic ait. Exhinc regnum Romanorum, poſt Francos & Longobardos ad Teutonicos, vel, vt aliis videtur, rurſum ad Francos, vnde quodammodo elapſum fuerat, tranſlatum eſt. Cui ſcilicet opinioni accommodatum videtur, quòd regnum Romanorum, iuxta maiores noſtros, Babyloniorũ imperio ſimilem ortum & progreſſum habere dicitur. Sicut ergo illud duabus famoſis mutationibus, Medorũ ſcilicet & Perſatum, ſuccubuiſſe conſtat, ſic & iſtud item duabus tantum Græcorum & Frãcorũ ſubiacere debere volunt. Nam cæteros huius, ſicut & illius à diuerſis gentibus incurſus, eclipſim potius eorũ, quàm mutationem fuiſſe dixerunt. Hæc ille. Quæ omnia eò tendunt, vt ſciamus Teutonicorũ acceſsionem, à Franco genere imperii titulum nullatenus abſtuliſſe. (Aliud enim eſt ſolẽ pati eclipſim, aliud ſuo priuari lumine.) Id quod Carolus quintus Frãcogallus ex media propè Gallia natus, manifeſte coarguit, qui Romanũ hodie exercet imperium. Falluntur itaque qui aiunt à Francorũ gente Romanorũ imperium emigraſſe. Fuere enim Conradus Salicus genere Francus, Luxẽburgus genere Gallus, & qui hodie ſuperſtes eſt, vt modò dicebã, Carolus quintus imperiali diademate inſignis. Nam & electores imperii magna ex parte ſunt Gallogermani, nẽpe ciſrhenani: qua de re alio loco ſermo habitus eſt. Generatio verò Hugonianorũ tertia Frãcogallica occidua ab orientali Francia ſecernitur, communi cum ea Franciæ nomine retento, ita vt illi oriẽtales Franci, Hugoniani verò Franciæ occidentalis regno fruãtur. Id autem habet ſpeciale Hugoniana ſoboles, vt nullam in ſua ſtirpe regia paſſa ſit interruptionẽ, nullam inſuper aut polyarchiã aut anarchiã. Habuere priores ſtrenuos orthodoxæ fidei propugnatores: iſta verò pios, literatos, religionis Chriſtianæ magnificos fundatores, atque etiã apotheoſi donatos reges cõplexa eſt. Rem ita ſe habere, in Henrico primo, Roberto, eiúſque prole, diuo etiã Ludouico regibus intelligere promptũ eſt. Tempus me deficeret, ſi ædes ſacras ab eis extructas enumerare tẽtatem. Sed & hoc quid aliud foret quàm vlulas mittere Athenas? Hucvſque ergo dictum ſit de triplici inter ſe collata Francorum generatione.

Sed & ſibi peculiariter retinent tres iſtæ à ſuſcepto baptiſmo generationes ſuas quæque dotes egregias. Clodouei ſoboles omnes è regno radicitus extirpauit hæreſes. Et ex illo tempore ſola Gallia

monſtris caruit, nec publicitus aluit. Generatio altera Carlingorum legitima (ſputia vitulamina excipio) ethnicorum rabiem domuit, & tyrannorum ferociam coërcuit. Tertia Hugonianorum religionis ſacræ pomœria dilatauit in immenſum, vberrimiſque ſacrarum ædium prouentibus auxit. Indicia reſtant. Eademque opera cœlo probatur Hugonianorum legitima proles Francorum ſuccedere regno, cœleſtis virtute miraculi, dum ſcilicet vim ſanandi ſcrophulas retinet. Id quod vſurpatori Anglo minimè conceſſum fuiſſe palam eſt. Qui contra attẽtarunt, fures fuerunt & latrones, nec audierunt eos oues. Quid enim graculo cum fidibus? quid cum amaricino ſui? Hoc vno argumento deturbantur à Frãcorum ſceptro regio omnes eius regni inuaſores. Et ex his luculenter apparet Francorum regnum ſacroſanctum catholicum & Chriſtianiſsimum meritò appellari. Regia enim Francorum maieſtas non prorſus laica dici debet. Id quod plurimis comprobatur argumentis. Primùm quidem ex recepta cœlitus vnctione ſacra: deinde ex cœleſti priuilegio curandi à ſcrophulis, à beato intercesſore Marculpho impetrato: quo regni Francici ſucceſſores in hunc vſque diẽ fruuntur. Tertiò iure regaliæ magna ex parte ſpirituali in conferendis (vt paſsim cernere eſt) eccleſiaſticis peculiari iure beneficiis. Quæ omnia communem externorum regum facultatem excedunt: & his de cauſis ſanctius dici debet Francorum regnum, quàm Romanorum imperium. Neque enim aliam ob cauſam huiuſmodi epithetum imperio attributũ intelligitur aut probatur, quàm ob eccleſiæ Romanæ in propriam fidem receptũ tutelare patrocinium: quo ceſſante prophanũ potius quàm ſacroſanctum meritò cenſebitur. De catholici nomine quid attinet dicere? cum ab inſtituto regno Chriſtiani monarchæ, in vniuerſa ſua ditione, omni exploſo paganiſmo, cultúve ſuperſtitioſo ab orthodoxa fide extraneo, omni extincta hęreſi longiúſque ſemota, religionis ſynceritatem ſemper excoluerint: ita vt nemo vnquã fuerit, qui ex aduerſo os aperire ſeu obgannire auſus ſit. Et ob eam cauſam nedum catholici, imò & Chriſtianiſsimi nomen Frãcorum rex in hunc vſque diem conſeruatum indiuulsè retinet. Tribus his Francorũ rex titulis adornatus, triſmegiſti nomen omni ære perennius hactenus obtinuit.

Vulgatus idiotiſmus facilè admitteret, quòd ſanctus regnet, nunquam autem reciperet què Le ſainct Empire. Quod per alluſionem dictum ſit. Nunc ad ea quæ ſuperſunt prorogetur ſtilus.

Pipini (quod ſatis cõſtat) puſilli ſobolem generoſam à Pharamundo prodeuntem accuratiſsimè (vt ſi qui alii) deducunt in ſuis cenotaphiis Bochetus, inque ſua choronographia Mũſterus: ad quos mihi relegandus eſt lector, ne res iſta creſcat in immenſum. Vnũ hoc mihi munus delegi, vt ex certiſsimis Bocheti annalibus ob oculos ſtatuam Hugonis Capetiani à Pharamũdo per Pipinum decurrẽtem illuſtriſſimam progeniem, ad quẽ ſcilicet deuoluta eſt regii ſeries ſtemmatis fœmineo intercurrente ſexu. Et hic eſto huius generationis ordo.

A Pipino Breui ſatus eſt Carolus Magnus, à quo Ludouicus cognomẽto Pius, vnde ex tertia genitura Ludouicus Bauar[9] Germanorum rex. A Bauaro proceſsit Carlomanus, qui ex ſe genuit Arnulphũ imperatorẽ. Ab Arnulpho prodiit filia Luigarda: quæ Saxoniæ duci Odoni matrimonio iuncta Henricũ procreauit, qui Matildẽ Ludouici imperatoris filiam duxit vxorem. Ex eo demũ coniugio imperiũ adipiſcitur Hẽricus, extincto ſine liberis Cõrado. Duxit nihilominus vxorem alterã Hẽricus Conradi relictã nomine Placidã ſiue Placen-

tiam : vnde prodiit Otto primus huius nominis imperator, & Bruno Colonienſis antiſtes, ac Gerberga Ludouici quarti Gallorum regis vxor illuſtris. Prodiit & Aygunda, Hugoni cognomento Magno, qui regiam Pariſiorum titulo Comitis obtinebat, nuptiali fœdere iuncta. Ex quo matrimonio prodiit Hugo noſter Capetius. Et hinc liquidò conſtat Hugonem de quo agitur ad præſens, fuiſſe propagine Catlingum, Merouingum, ac etiam Troiugenam Sicambrum. Quo autem iuris prætextu ad ſceptrum peruenerit, facile fuerit ad amuſsim demonſtrare. Cum tempore Caroli inertis nemo ſeſe torrenti rabiei Normanicæ opponeret, commodùm ſuperuenit Andegauotum comes Robertus cognomento illuſtris, aliàs magnus : qui fauore, conſilio, conſenſuque procerum rex acclamatus eſt, diſſentiẽtibus tamen nonnullis. Qui dum ſibi ius quæſitum tutari pro viribus contendit, in mediis conatibus periit. Cui ſucceſsit Odo regni etiam compos, quanquam non prorſus tranquillè. In huius nubilo contentionis media quadam temperatura vſus eſt Hugo magnus Pariſiorum Comes, hoc etiam titulo ius regni apud ſe retinens, qui & Hugo abba (quæ dictio patrem Syriacè ſignificat) fœlici auſpicio cognominatus eſt. Fuit enim non ſolum pater Hugonis, verùm & ſuccedentium regum patriarcha. Vacillante demum dubia inter Catlingos fortuna, declinantibus Carlingis, eò demum deuentum eſt, vt ad Hugonianos rerũm ſumma perueniret, accedente etiam Ottonis imperatoris & Burgundionum ducis conſenſu, aliorúmque procerum aperto ſuffragio. Quæ res ita inualuit, vt regiis inſignibus inauguraretur Hugo Capetius, eo adiecto elogio, vt gladio vteretur flammeo, & fulgurante haſta. Paſsim enim circumferebatur haſta fulgurans Capetiana. Sunt qui aſſeuerent Robertum Hugonis auum oraculo fuiſſe admonitum, fore vt in prolem ſuam Hugonianam ius regni aliquando deuolueretur : ius inquam & ad rem, & in re. Res in religionem verſa eſt, cùm diuorum Richerii & Valerici ſacta pignora ex phano Audomari in Pontinum referẽda curaſſet Robertus ille Magnus regiæ Francorũ dum viueret, præfectus. Huic oraculo deintegro conſentit Hannonienſis enarrator hiſtoriæ, teſtis minimè ſuſpectus, ſub annum domini 992. vanitatis tacitè arguens eos qui reſcindunt hæreditariam regni ſucceſsionem ad ſeptimam tantum generationem: quin potius ad ſempiternam oraculum illud prorogat. Nam res ipſa hodie indicat vltra ſeptimam Hugonianum regnum apud Francos fuiſſe prorogatum. His in vnum coadunatis adminiculis, eò tandem deuentum eſt, vt Hugoniana ſoboles ad Gallofrancorum monarchiam (vt hodie cernere eſt) eueheretur. Nec defuerunt poſteri monarchæ longiſsimi temporis vſu adeptæ fœlicitati & gratiæ, ab Hugone ſcilicet çephalico, ad hunc qui hodie clementer imperat Henricum, huius nomenclaturæ ſecundum : id irrefragabiliter atteſtante gratia curationum, quæ in hunc vſque diem hæreditaria ſucceſsione apud Francos perſeuerat, nemini non aperte cognita.

Proinde quàm ineptè tota aberrent via Gallomaſtiges, demonſtrare libet. Aiunt illi (vt ſunt ad maledicentiam propenſi) Hugonem noſtrum cephalicum ſeu caputianum cognomine, à leui petulantia puerili id cognominis ſortitum, quòd ſcilicet dum eſſet minor annis, à ſuis coætaneis extorta caputia per aërem ventilare ſoleret : idque nullo citato authore, populari tantum innixi vaniloquio: cùm vanæ vulgi voces penitus ſint contemnendæ. Quaſi verò heros ille Hugonianorum ſoboles, magni ſucceſſor Hugonis, non aliunde

cognomentũ acceperit, quàm à iuuenili quadam petulantia. Si enim à iuuenilibus delictis cognomenta prodirent, quotus quiſque inueniretur, qui non veniret atro carbone notãdus? Faceſſant igitur huiuſmodi aniles fabulæ, ac pueriles nugæ. Dicatur potius magni proles Hugonis à verticis faſtigio cognomen obtinuiſſe: vti olim rex Perſarum & Medorum Aehaſſueros, hoc eſt, magnum caput priſcis temporibus acclamatus eſt, vtpote cephalicus, & capito ſiue caputianus. Nam ſi à Pipino puſillo Carolus ille magnus nulla præeunte futuræ frugis indole, præterquam vnius Zachariæ pontificis oraculo, ad id faſtigii peruenit, vltra quod progredi iam non poterat, quis iam ſaluo pudore in dubium vertere queat, præmiſsis ad ſceptrum regium procerum ſuffragiis, ab Odone ad Hugonem magnum gradatim procedentibus fundamẽtis, hunc Hugonem eorum qui hodie regnant regum patriarcham, ſummumque verticem, capitonem appellare, ac (vti iam dictum eſt) Achaſſuerum? Valeat itaque iam, & ſi ſapit, ſuo conſulat apud poſteros honori Dantes ille Florentinus, qui Hugonis magni prolem à Carolo Magno prodeuntem, ex laniena emerſiſſe perfricta frõte euomere auſus eſt. Æmulator inuidus quo magis in puluerem ſufflat, eo ſeſe amplius excæcat. Fax accenſa dum emungitur, clarius poſtmodum eluceſcit. Ideoque liuoris œſtro ſtimulatus maledicus, præterquam quòd oleũ perdit & operam, notam etiã ſibi inurit indelebilem. Qua de re hactenus dictum ſit. Et hîc finem habet perioche xiiii. Sequens eſt de topographia Galliæ diſſerere.

DESCRIPTIONIS GALLIAE EPITOME.
Perioche decimaquinta, & huius libri nouiſsima.

OPPORTVNVM iam fore exiſtimo, Galliam vniuerſam (qua fieri poterit fide & diligentia) in ſuas partes membratim, atque etiam ſi fieri poterit, atticulatim diſſeceare. Quam Itali vocãt Ciſalpinam, minutatim accuratè diſpeſcuit in ſua chronographia Munſterus. Ideoque de ea nihil ad præſens dicam, ne cramben (quod aiunt) recoctam videar apponere menſis. Quandò verò minor illi cura fuit occiduam illuſtrare Galliam, eamque minutatim deramare, dabimus operam, ne ceſſantis operæ vitio arguamur. Illud ad Galliam noſtram pertinet, à primo limite ſumpto initio quandam deſignare Subalpinam: quæ etiam Pedemontana vocatur, ad Eporediam vſque Vercellaſque protenſa: quæ regiæ Francorum ditioni magna ex parte paret. Eſt & alia, quæ Inalpina vocatur, Cẽtronibus, Tauriſcis, Eburodunĭſque communis ac etiam Seguſianis. quæ verò ab Alpium radicibus Occidentem verſus porrigitur, eam vocant Itali Tranſalpinam: quæ tamen nobis Ciſmontana eſt: cuius ſi amplitudinem propius inſpexeris, variè ab authoribus diſtinctam videbis. Pontificalis codex eam hierarchatim in varias diœceſes diſcernit. At verò Romanẽſium vſus per prouincias diſtinguit, cum ſcilicet Romanorum parẽret imperio. Quo tandem ſuppreſſo, ceſſat ea prouinciatum diſcretio, quæ latius diſcuſſa videri poterit ex Beato Rhenano. Diſtinxit ille Galliã per imperiales prouincias. Nobis verò viſum eſt tertiũ partitionis genus, quod pendet à ſoli natura Gallici, à priſca Galliæ origine veluti à gemino ouo ſelectim diſcernere: eamque quantum anniti poterimus, curabimus diſtribuere, primum omnium à ſummis Alpium iugis bifidam Galliam vnam ab altera diſſecantibus, Ciſmontanã videlicet à Trãſmontana,

T in

ſumpto exordio. Dicuntur itaque Alpes à niuium candore, quibus nunquam exhauriuntur Alpina iuga. Varia autem ſortiũtur nomina. Sunt enim alpes * Gratæ, quòd ſcilicet habeát clemẽtiorẽ ac mitiorẽ deſcenſum per Centrones ſeu Tarẽtaſios. quæ etiã appellantur Caiæ, quòd per eas Caius Cæſar exercitum in Galliã noſtrã traduxerit, qua ſcilicet peragratur mons Cineſius. Alpes aliæ ſummæ dicũtur proximæ Veragris, Octodurenſibus, vbi viſitur mons ſancti Bernardi vnus, Auguſtenſis diœceſis: mons alter Briga, ad diœceſim Sedunenſem pertinens. Sunt & aliæ Alpes maritimæ Ebredunenſem attingentes prouinciã: vbi viſitur collis Tende, & collis Aguelli. Aliæ ſe offerunt Rheticæ, à Rheto duce ſic appellatæ: vbi Rhetiam primam incolunt qui appellantur Griſones Heluetii, qui ſunt magna ex parte Curienſes, adiacentq́ue agris Tridentino & Veronenſi. Sunt & Lepontiæ Alpes, quæ & Cottiæ dicuntur, quibus ſupereminet mons ſancti Gothardi, alius item mons diui Nicolai. His accedunt alpes Iuliæ, quibus per agrum Taruiſinum ad Iſtriam iter eſt. Alpes ſequitur ampliſſima Galliarum planities membratim articulatimq́ue diſtinguenda. Secernitur autem priſca ſua diuiſione in Belgicam, Celticã, & Aquitanicam. Belgica inſuper diſpeſcitur in primam & ſecundam. Prima à Rheno vſque ad Scaldim potius quàm ad Somonam fluuium porrigitur, Oceani Sequanæq́ue ac Matronæ concluſa limitibus: Cuius caput olim Treueris fuit. Secũda verò Belgica Scaldis tractu ad præcipitium Sequanæ in Oceanum mare, & Sequanæ fluento concluſa intelligitur: cuius vertex faſtigiumq́ue Durocoturum Rhemorum dicebatur per id tempus cùm democraticè regeretur Gallia, & nomos ſibi ipſa cõſtitueret, aliàs præfecturas populareſq́ue conuentus, qui etiam comitatus ex vſu authorum dicebantur. Ciuitates dixere Cæſar & Tacitus, agrum totum intelligẽtes ſuis concluſum villis, caſtris, oppidiſq́ue: quorum incolæ in capitale ſuum oppidum coeũtes ſibiipſis ius dicebant, deque arduis rebus tractaturi conueniebant: vt ciuitas Rhemorum, agrum comprehendebat vniuerſum in quo omnes Rhemi dicebantur. Huius ciuitatis oppidum capitale Durocoturum dicitur: ſicut & agri Pariſiorum, quæ ciuitas collectim dicitur, præcipuum oppidum Lutetia appellata eſt Pariſiorũ. Aliàs verò eccleſiaſtico ritu ciuitatis nomine intelligitur vrbs quæcunque in qua ſedes epiſcopalis conſtituta ſit. Ex vſu itaque veterũ hæc inter ſe differunt vocabula. Ciuitas agrũ totius regionis complectitur. eius vrbs primaria, colonia eſt. Caſtrum, munitionis notam habet. Oppidum, à frequẽti plebis commercio, addo etiam & emporio, ſortitur appellationem. Pagus mœnibus caret, fonte fontibúſve irriguus. Rus, cultura arborúmve amœnitate illuſtre habetur. Ac per hoc facilè conciliãtur authorum lectiones variæ, quæ in ſpeciem aduerſæ videntur aut diuerſæ. Germania autẽ Ciſrhenana duplex Ptolemæo authore deſcribitur: quæ rectius Germanogallia cenſenda venit, ſuperior & inferior ſecundum decurſum Rheni à fonte primario ad Oceanum pelagus. Superior Germania in Celtica ſitum habet, in qua ſunt Heluetii vſque ad Maguntiam. A Maguntia verò vſque ad Agrippinam coloniam vna eademq́ue regio modò Belgica prima, modò Germania inferior appellatur: ſicut & ſuperior Ciſrhenana ad Galliam Celticam pertinet. Hi ergo omnes & Gallogermani ſunt, & Germanogalli: vt vel hinc ſcias Gallorum fratres fuiſſe Germanos. Illud interim obiter annotãdum, quòd alia ſunt nomina gentis, alia verò terræ ſeu nationis. Francia enim gentilitium nomen eſt & aduentitium,

**Graiæ Plinio dicuntur lib. 3. cap. 20.*

Ciuitates quæ dicerentur.

Gallia verò natiuum,ſuo adhærẽs ſolo.Sic Galli quos Romani Ciſalpinos vocant, Longobardi gentilitio nomine dicuntur:naturali verò ſolo Itali.Idem dixeris de Normanica gente,quæ Galliam Lugdunẽſem hodie incolit.Ea enim eſt ſolo geniali Celtica, & non tam Neuſtria quàm Marchia Neuſtriæ.Eſt enim pars Franciæ occidẽtalis,quę tota Neuſtria ab authorib^9 appellatur. Sic & quæ olim dicebatur Albion ſeu Britannia maior,aduentitio nomine Anglia dicta eſt. Aliud igitur nomen eſt nationis,aliud gentis. Quin & Aquitanici natione Gotthici olim dicebantur.Quę nunc Vaſconia eſt,aliquanto tempore Gotthia ſeu Oſtrogotthia dicebatur,hoc eſt Occidẽtalis Gotthia. Ac proinde Francia duplex eſt:vna quidem oriẽtalis, hoc eſt Auſtraſia:alia verò occidua, quæ in vniuerſum Neuſtria appellatur. Auſtraſia verò duplex:ſuperior vna cui præeſt Archidux Auſtriæ,& eius caput eſt Vienna Auſtriæ.Inferior altera,quæ nunc dicitur Lotaringiæ ducalis.Præcipua ciuitas eſt Mediomatricum,aliàs Metis.Ac proinde Lotaringia gentilitium nomen à principe Lotario eſt: Auſtraſia verò genialis ſoli appellatio. Vtraq; verò Auſtraſia regio olim ſceptro gaudebat. Id quoque ad rei Gallicę cauſam non parum conducit,quod ex veterũ monumentis colligitur.Fuit enim quando Moguntinenſis & Agrippinenſis eccleſiæ metropolitarum faſtigiũ nondum adeptæ à Treuerenſis hierarchiæ principatu penderent,diœceſi videlicet in media penè Belgica conſtituta. Quo manifeſtè apparet eas ad rem pertinere Gallicam,quæ cum in ſolo fundóq; Belgico cõſtitutæ ſint, nunc poſt domitos à Carolo magno tranſrhenanos,vlterioríſque ripæ accolas,Moguntinus præſulatus ex fundo ad Galliam pertinẽs,ipſis etiam Germanis hierarchico imperat principatu,adeò vt ius habeat rebelles corporaliter coërcendi:cuius rei indictum eſt à multis iam & diebus & annis longo vſu recepta poteſtas, quòd dum ſacrum in templo facit Moguntinus antiſtes,ad cornua altaris vibratum enſem,galeámque paratam habeat: quæ ſunt ſigna ditionis Gallicæ ſupra Germanicam.Sicque Herbipolenſis præſul qui Franconibus imperat, iugum Galliæ Belgicæ Moguntinum ſciens & volens agnoſcit:vt ſcias non tam ciſrhenanam Galliam ſubeſſe quàm præeſſe tranſrhenanę Germanię.Qua de re plura in noſtra hierarchię Gallicę topographia. Habet enim Moguntina metropolis non ſolum ciſthenanas eccleſias,Spirenſem, Nemetum, Vormaciámque Vangionum,verumetiam Herbipolẽſem,Conſtantiẽſem,Curienſem, aliáſq; diœceſes non paucas. Quid quòd Colonienſi eccleſiæ parent Traiectenſes, Monaſterienſes,Mindenſes, Oſnaburgẽſes,& reliqui in noſtra topographia hierarchica enumerati? Illud notius eſt quàm vt ſuper eo hæſitari poſsit, quòd Baſilienſes Biſuntinæ ſubiacẽt Metropoli, Lauſanenſéſque,ac Belioenſes. Eſt autem Veſuntium ciuitas in ipſa Gallia penè mediterranea ſitum. Sed & Germania prima & ſecunda à Romanis in prouincias redactæ (quod nec ipſe Beatus Rhenanus diffitetur)Archiepiſcopum Senonẽſem primatem agnoſcere debent.Titulum(inquit ille) primatus Germaniarũ Archiepiſcopus Senonenſis hodie etiam retinet. Sunt autem Senones Galli mediterranei.Fruſtra obiicias ob phraſis & idiotiſmi Teutonici alteratione͂,magnam Belgicæ partem in ius & nomen Germanię tranſmigraſſe.Scio equidem Romanos rerũ quondam dominos, gentemque togatam, Germanię ſuperioris & inferioris factitium nomen impoſuiſſe,nomẽ inquam prouinciale,& accidentarium : Verùm accidens non mutat naturam rei.Non enim habet Belgica nomen Germanię niſi adiecto

vocabulo Romanēſis.Omnes ſiquidem Ciſrhenani Galli ſunt gneſij ac Belgę ſolidi ab immobili ſolo & fundo: Germani verò accidentariè nempe Romanenſes prouinciales.Atqui ędificium cedit ſolo, pictura tabulę,iure etiam gentium & naturæ ineluctabili. His nō habet obtrectator quid obiicere poſsit , niſi fortè tantum reſpiciat vt dicat, non quid dicat.Sunt igitur citerioris ripæ incolæ & accolę Galli ſolidi naturales,ac gneſij,atque adeò funditus ac radicitus Belgæ. Hanc illis gloriam nemo auferre poteſt.Germani verò dicuntur à ſcriptoribus Romanis,ſed prouinciales tantum ac Romanenſes.Lege ſextum commentariorum Cæſaris:& id quod dico, facilè deprehēdes, ſi rem totam ad viuum explores.Cum enim foderis vſque ad algam,lympidiſsimæ aquæ ſcaturiginem reperies.Fateor interim gneſios Germanos eſſe & fuiſſe vlterioris ripæ accolas, non quidem prouinciales ab aliis ſuſcepto,ſed ſibiipſis indito,Galliſque per amicitiam communicato nomine.Id quod diligenter annotatum cernere eſt apud Nurēbergenſem chronographum ad notam annorū ab orbe condito 3522. & 28. Marcomirus (inquit) & qui cum eo ex finibus Scythicis egreſſi ſunt homines,à Saxonibus Neumagi dicti ſunt: quod ſonat noui cognati.Quo etiam exemplo Tranſrhenani & Ciſrhenani ſe inuicē appellauere Germanos.Quod autem ad Saxonicum genus attinet, nemo dubitauerit Saxones Germanos non perpetuò fuiſſe indigenas, verùm potius aduenas:qui modò VVitichindi Saxonicam perluſtrarit hiſtoriā. Ait ille, Saxones nauibus aduectos Turingiam. Grauiter autem reſiſtentibus Turingis,poſt grauem vtrinq; cladem acceptam fœdere contentio ſedata eſt:vt ſcilicet Saxonibus liceret in portu tātum mercaturam exercere,modò ne agros ſibi compararent, atque à cæde hominum rapináque abſtinerent. Nec tamen deſtitere Saxones,quin Turingos de improuiſo adorientes,omnes ad vnum interficerent ac delerent. Vnde liquidò cōſtat nihil minus fuiſſe Germanos Saxones quàm indigenas.Romani verò duplicem ſecernentes prouincialem Germaniam de Belgis fecerunt Germanos, ſed Romanēſes.Sic enim ars imitatur naturam:quam tantum abeſt vt extinguat, vt eam potius decoret & ornet.Sic Belgica naturalis Gallia his acceſſoriis appellationibus ornari poti' debet quàm vel obnubilari vel extingui.Teutonicorum vocabulum non admodum vetus nomē, ſicut neque Francorum,communi apud Italos vſu idioma recipit.Vocant enim linguā Teutonicam Tudeſque.Huiuſmodi autē dialectus Teutonica tametſi peruaſerit magnam Belgicæ partem, nihil tamen obeſt Gallicæ famæ ac nomini. Non enim Galli eſſe deſinunt, qui latinè loquuntur.Nec minus Galli ſunt Tranſalpini, qui loquuntur Italicè, nec Gallica phraſis apud aulicos Angliæ nomini officit Anglicano. Nemo negauerit inſulæ Carbonariæ incolas Flandros, verè eſſe Gallos Belgas,etiam ſi Teutonicè loquātur. Phraſis igitur vt non immutat ſolum aut fundum: ita nec gentilitij nominis famam aut memoriam. Ideoque qui hodie Normani in Neuſtria appellātur, non tamen ob id deſinunt eſſe Galli Celtæ, Galliæ Lugdunenſis ſecundæ. Sed neque illud Belgicum nomen obliterare poteſt, ſi is qui imperat, Teutonicus eſſet. Nam qui hodie imperat Carolus quintus, origine Belga eſt, in media videlicet Belgica natus & alitus, ortúſque & oriundus: Qui quamuis ſit imperator Romanorū, an idcirco Belgæ Romani appellabuntur,quòd eis imperet Belga? Aut certè Romani ideo Hiſpani dicentur, quòd Ferdinādus genere Hiſpanus,rex Romanorum creatus ſit? Non alterat ditio principis,nationis

nomen & memoriam. Manēt igitur ſemper Ciſrhenani Galli, ſub cuiuſcunque principis ditione exiſtant: qui etiam dicuntur Germani ex voluntaria communione quam cum Tranſrhenanis habuerunt: qua etiam ratione dicuntur Francogalli, & Gallofranci: ſicut hodie audimus Albionis inſulæ colonos vocari Angloſaxones, qui rectius dicerentur Angloneuſtrij, præſertim à tempore domitę Angliæ per Guilelmum nothum Neuſtriorum ducem.

Sectio alia ſubſequitur à fluminum limitibus.

Author eſt Rhenanus, Germaniam primam, ſubaudi Belgicam ſeu ſuperiorem, ab Argentorato caput erigentem, protēdi in Obrincam Moſellámve fluuium. Secundam autem ſeu inferiorem Germaniam, à littore Rheni Vbiorum coloniam complectentem in Batauiam, ſeu ſi mauis Hollandiam decurrere, demúmque in Britanniam Gallicã. Eadem opera colligitur Lugdunenſem Galliã in quatuor hierarchias authore Sigisberto ab antiquo fuiſſe ſelectã. Prima enim Lugdunenſis Rhodano aſsidet: Secunda Rothomagenſis Sequana alluitur: Tertia Ligeri, ipſa eſt Turonica: Quarta Senonenſis ſecus Albam Scanniámve fluuium. Huius Lugdunenſis Galliæ area tota à monte Iura qui hodie Sanclaudianus mons appellatur, Lacúque Lemano, qui à Lauſanenſi in Gebēnēſem excurrit, itémque à Rhodano ad Oceanũ Britannicum in longum protēditur, dilatatur ad Ligeris alueum quo ab Aquitania ſecernitur, latiſsimóq; ſuo ambitu comprehēdit ab Alpino limite Burgundiam, Sabaudiã, Cenomaniã, Andegauiam, Perticum, Turoniam, Armoricam ſeu rectius Eremoricam, quę hodie eſt Britonica: prorogaturque vſque ad Matronam fluuium, adde etiam & fines Neuſtriæ, quę quanuis ab occupatoribus Normania dicta ſit, phraſi tamen linguæ, ſitúque natiuo, Galliæ pars dicenda ſit. Non ita de Anglia, quæ cum incolis linguam mutauit & morem: quam tamen phraſim Gallicam Britannia vetus, nunc Britonica gens, ſibi cum Gallis communem magna ex parte retinuit, dempta tamen ea parte Britanniæ quam Britonizantem vocant.

Proximum eſt vt alia ſequatur Galliæ diſtinctio per idiotiſmos. Eſt enim ipſa polyglottis, ſunt idiotiſmi in ea prorſus aſymboli, adeóque inter ſe barbari, phraſiq; inuicem diuerſi, vt vnus alterius mentē aſſequi nequeat. Eſt enim Gallia Teutonica, quæ etiam latius extēſa Flãdricæ ditionis partem comprehendit. Pars enim altera Flandriæ Romanēſis eſt, & vt quidã dicũt, VVallonica. Gallia inſuper Britonizans ita peculiaris, vt nec à vicina Britanniæ regione intelligatur. Tertia Cantabrica, vulgo de Byſcaye. Et hæ quidem phraſes nec ſe ipſas capiunt, nec ab alijs capiuntur: reliquæ tametſi variæ ſint, non tamē ita diuerſæ, vt non alius alium tametſi ſubobſcurè & quadãtenus anxiè intelligere poſsit. Huiuſmodi ſunt Gallia Ciſmōtana, Subalpina, alia Narbonenſis, quæ prouincia olim Romanorum appellabatur. Eſt & alia VVallonica, quam in parte Picardiam vocant. Aruernica itē alia quæ nõ niſi anxiè ab his qui in media Gallia educati ſunt, intelligi poteſt. Denique bifariam ſecernitur, in Occitanã, & (vt ſic dicam) Ouytanam: vulgo Languedoc & Languedouy. Et hac ratione non video quid obſtet quo minus Italica Gallia nobis tranſalpina Sicitana dici poſsit, quemadmodũ apud nos dicitur Occitana ratione nõ impari, cum vulgus apud eos quidpiã interrogãti de more reſpōdere ſoleat, Si Signore. Ea eſt magna ex parte Lõbardica, in Ciſpadanã & Tranſpadanam diſſecta, atq; in parte Inſubris. In cęteris leuis eſt diſtinctio, ita vt nullo penè negotio alius alium intelligat: cuiuſmodi ſicut Lug-

dunenſis,Burgundionica,Normanica phraſes, & Gallobritannica,& quæ primas in his tenet Romanẽſis Gallica omnibus & aulicis & cau ſidicis inque literario ludo familiariter verſantibus ex æquo communis.Eſt & aliud partitionis genus ex genialis naturæ ſoli: quæ quidem diſtinctio in varios deramata ramos ampliſsime extẽditur. Eſt enim Gallia quædam appellata Borboniẽſis, quibuſdam in locis paludoſa. Palus autem apud vulgum appellatur Bourbe. Eſt alia quædam perroſa in quibuſdam ſui partibus vocata Berry,quaſi dicas Pierry. Alia item rupenſis ſaxoſa,apud Senonẽſes, in qua nihil aliud videas quàm ſaxa,arenam & rupes,vti ſita eſt aqua bella ſeu fons aquæ bellæ, vulgo Fontaine Belleau.Et aridus cãpus falſo Liricantus,gal.Sainct Maturin de Larchant.Quędam Nemorẽſis,olim Nemorſum,vulgo Nemours.Lucodunenſis à lucis & dunis.Eſt autem dunum monticulus in acutiem tendens:Inde Caſtridunum & Oxidunum, Chaſteaudun Iſſoudun.Et Milliodunum ſeu Meldunum à millio & duno. De Lugduno aliàs diſſeruimus.Gallia item alia Vaſtinienſis, quam vulgus appellat Gaſtinoys, nẽpe ſterilis,parúmq; fœcunda. Eſt & Syluanectẽſis ſeu Syluanetenſis,in mediis olim ſyluis cõſtituta, vulgo Senlis.Gallia præterea alia eſt montenſis,potiſsimum in Delphinatu & Aruernia.Alia iam Vallicoſa,gal. le pays de Valloys. Hic ſciens & volens Neuſtriæ Marchionicę regiones prætereo. Caletẽſis alia à Calcatura ſeu Caleto,vulgo Cauchoys.Eſt & alia Bualta Budæo, quam Belſiam vocant, Beauſe,ſic appellata, quòd nuſquam illic aut fluuios aut puteos reperias,niſi profundius effoſſos, ideóque bene alta dicitur. Ad eius radicem eſt Gallia ſtagnalis,quam nunc Stampenſem vocamus, gal.Eſtampes,fluuiolis & ſtagnantibus aquis vndique conſperſa.vulgus vocat Lacunas aquarum,Eſtangs. Alia dicitur Augia,adeò paludoſa, vt nunquam lutum in ea exhauriri poſsit, quam merito dixeris Cauam Galliam,vti legimus Cœleſyriam in terra promiſsionis. Fuit quondam Gallia paluſtris,Buffonum indicio: verſa tamẽ eſt in Liliatam cœleſti beneficio ſub Clodoueo protochriſtiano. Alluſit huc Eſdras lib.4.cap.9.ita inquiens.Qualis ager,talia ſemina:quales flores, tales tincturæ.Qualis agricola,talis agricultura.Idẽ ca.5,Ex omnibus floribus orbis elegiſti tibi liliũ vnũ.Leo ſęuus, aquila rapax,liliũ cœleſtis roris capax.Alias Galliç partes ex topographica deſcriptione decerpere lector poterit.Iã ſeſe offert ex hierarchico principatu minutatim ſelecta partitio hoc ordine.Lugdunẽſis antiſtes habet ſuffraganeos quatuor.Senonẽſis ſeptẽ.Totidẽ Toloſan⁹. Bituricus vndecim. Rhemenſis totidem.Cui etiam numero æquatur Turonenſis Archipræſul.Narbonenſis decem. Et eum quidem numerum æquat Auxitanenſis antiſtes. Senarium complent Rothomagenſis, Viennenſis, Ebredunenſis & Arelatenſis præſulatus. Aquenſis vero quinque nec amplius ſuffraganeos habet.Burdegalenſis complectitur enneadem. Summatim itaque numerantur Archipræſules quatuordecim,Preſules verò ſupra centuriam noué. Sed neque prohibemur aliam quandam in medium proferre diſtinctionem à corporis nota cultu & habitu:qua ſcilicet methodo dicimus Galliam togatam,bracchatam aliam,aliam vero à ſagulis Sagatam. Togata etiam tonſa de more appellari ſolet ; cui ex diametro opponitur comata.Palliata inſuper appellari poteſt ea regio , quæ chlamyde contenta in medium prodire ſolet vſu Græcis olim peculiari: vti & Turquiam non abs re ſtolatam appellare poſſumus. Sed & à fluminibus oceaniq; littoribus non incongrue ſecerni poteſt Gallia.Sunt & Galli ripenſes lõge latéque diſ-

fuſi,& in his extremi hominum Morini,& ora illa Britãniæ quæ ocea no adiacet,præter Hollandinos & Zelandinos inſulares. A fluminibus autem ſeſe offerunt quamplurimi, nempe Rhenenſes ac Ciſrhenani,vti & Gueldrenſes,qui & Galli Rhenenſes dici poſſunt. Dicuntur etiam Sequani,Ligeritani,Ararici ab Arari,quæ nunc Sagona eſt, & Rhodanici,Garumnenſes,præterea Aquitani. Vt interim taceam ad Matronam ſita oppida, quale eſt Lanitium, Latiniacum dictum, vulgo Lagny ſur Marne. Eſt & alia quædam annotanda diſtinctio in quibuſdam Galliarum partibus: verbi gratia non vno ſignificatu eſt cenſenda Normania. Quædam enim eſt originaria,primæua,& ea dicitur Marca Daniç,vulgo Dänemarch:& hi ſunt originarii Normani qui iuncti Nortvvegianis inſularibus, Oceani littora à Britannia ad Phryſiam infeſtarunt. Erat autem collectitius populus à ſeptentrione prodiens partim ab inſula Gotthica,partim ex Danico limite,vno nomine gẽs Normanica appellata. Qui verò apud nos in Marchia Neuſtriæ ſuperſtites ſunt aduentitii,ſunt verè Galli ex Gallia Lugdunenſi ſecunda,phraſim etiam retinẽtes Gallicam. Non igitur tam Normani dicendi ſunt quàm Normanigenæ ab aduentu Rollonis in Marchiam Neuſtriæ: cum antea Galli tantum & haberentur & eſſent.

Parem recipit diſtinctionis conditionem quæ hodie appellatur Burgundia. Primi enim originarij fuere VVandali: qui ſtatim à ſua trãſmigratione ab architectura eorum quos ſibi proprio artificio extruxerant,Burgorũ,Burgundiones appellati ſunt, non quidem originarij,ſed aduentitij:cum tamen ex loci natura,quem ſibi vſurpabant, Galli Celtæ appellandi venianr,partim etiam Narbonenſes. At poſteaquam caſulæ illæ fœliciore aſpirante fortuna in ciuitates eruperunt & oppida,non tam VVandali aut Burgũdi, quàm Burgundigenæ, vti apud nos Galli Francigenæ,veniũt appellandi. Idem ſe offert dicendum de Anglis,quòd à cultura ſoli & inſulæ quam inhabitant,Albionei dicãtur & Britanni:alĩàs verò ab euentu Britonigenç Saxonigenç imò & Neuſtrigenç ab occupatoribus inſulç rectè appellandi veniũt. Ita & quos hodie Picardos noſtra ætas appellat, vere Belgæ dicendi ſunt:qui poſtmodum in Picardorum nomen tranſmigrarunt. haud ſcio an à Begardis id nominis acceperint.

Eſt nihilominus alia circa geminæ Galliæ rationem obſeruanda annotatio. Gallia quam Ciſmontanam Itali vocant, vario etiamnum vtitur regimine. Quidam enim ex eis ariſtocraticè reguntur, vti Veneti, Florentini, & alii quidam huius farinæ principatus. Alii vero democraticis legibus viuunt, populariter ius dantes & accipientes, exemptiles ſibi ac ferme annuos aſſumentes magiſtratus: vti Senenſes & Lucẽſes,qui ſine delectu modò ex populo, modò verò ex claſſe ſuperiore ſibi adoptãt rectores. Sunt & alii qui monarchicõ ſceptro inaugurantur:quale eſt tegnum Neapolitanum,& Mediolanenſis ducatus. Eſt & quartum genus tyrannidis, quod mordicus retinent ſub nomine ducat⁹ aut Marchionatus, inuaſores patrimonii ſancti Petri. Gallia vero noſtra occidua ſub vnius Monatchæ ſignis militat,eiuſque legibus viuit. Et huic ſubiacent duces olim vndecim, nunc vero multo plures. Fuere enim ex comitibus ad ducalem euecti dignitatem. Sic enim Aqualiſmenſis ſeu Engoliſmenſis ex comitatu in ducatum tranſmigrauit, & alii nonnulli. Sic & Meduana nunc ſuum habet Marchionem. Plura videre qui volet, legat Chaſſanæũ quinta parte.§.46.

Minime itaque audiendæ ſunt cicadæ illæ vocales,& aulicæ vmbrç

quæ ſic imperium attollunt,vt cæteros reges ſub Imperatoris iugum nulla ſui honoris habita ratione fruſtra inuitáq; minerua mittere nitantur. E quorum grege vn⁹ occurrit Frederici Mecœnatis ſui palpo Ligurinus:qui tamen poſteaquam in hæc verba proruperat,

Te populi,te regna timent,te ſolis ab ortu
Eius ad occaſum ſubmiſſo vertice cuncti
Suſpiciunt:dominúmque ſimul regémque fatentur:

mox ad ſe reuerſus, ſuæ aſſentationis ſibi cōſcius,delitiū agnoſcēs ait:

Certa quidem vatis dementia,parce furori.

Solis (ait ille) licet inſanire poëtis. Rex igitur regum dum dicitur imperator,ad excellentiam,nō ad dominium pertinet. Cui ſimile eſt quòd Bruno frater Othonis Cæſaris primi nomen ſibi aſſumpſit Archiducis:vt prurientibus auribus ſumma cum voluptate audiret ſe ducem ducum appellari:nō quòd omnibus ducibus ſe præeſſe aut diceret aut cogitaret (quis enim tam demens, vt id audeat?) ſed quòd ſibi excellentiſſimi ducis arrogaret æſtimationem. Hæc dicta ſint vt vno verbo reſpondeatur ad immanes illos per aſſentationē magis quàm ex veritate principibus falsò attributos titulos. Nō tamē ægrè admiſerim id conuenire imperatori quod Ligurinus ait:

Suſcipe cunctorum regnator maximè regum.
Suſcipe lux mundi,cui nullum párve priúſve.

Nam fieri poteſt(vt res habet) quòd qui nullū habeat ſuperiorem aut parem,nō tamen cæteros habeat ſibi ſubditos. Omnes reges monarchæ nullum ſuperiorem agnoſcunt,nec in ſuo orbe monarchiáve parem : non tamen cæteris regibus præſunt. Sic & Imperator,quiſquis ille tandem fuerit,cæteros reges tametſi excellentia præcellat, nō tamen dominio:nec vllis eos legibus coërcet.Cui ſententiæ ſuffragatur Alciatus in.l.poteſtatis.de verborū ſig nificatione,Cum inquit,Conſtitutione Antonini, qui in orbe Romano ſunt, ciues Romani effecti ſint, ſequitur ad omnes Chriſtianos hodie illud ptinere : quapropter & Francis communicatum eſt: qui licet regibus Germanorum, quos Imperatoris titulo Romani Pontifices inſigniuerunt, non ſubſint, Romani tamen Imperij & ipſi pars ſunt, eóque iure viuunt. Hæc Alciatus.

Rerum itaque ab antiquo geſtarum abdita altius penetranti mox apparebit non prorſus idem fore ſi quis Gallum Germanúmve appellauerit,aut Normanum,ditione,an natione. Fuere enim qui ſimul vtrunque mutarint,nationem inquam,& ditionem : Quibuſdam verò natio immota permanſit,alterata tantum ditione.Iſtud exemplo notius euadet. Qui hodie Normani publica voce efferuntur, variè intelligendi ſunt.Nam qui in Dania degunt, originem inde ſumentes, verè Normani & ditione & natione ſunt,nempe ſeptentrionales viri & natu & regimine:Noſtri verò,qui in marchia Neuſtriæ degūt, Galli ſunt natione,nempe in Lugdunēſi Gallia nati,vtpote Neuſtriæ(quæ occidua eſt Gallia)limitem tenētes.Reliqui enim ab Auſtraſianis Galli ſelecti,omnes Neuſtrii ſunt,hoc eſt Galli occidui.Alii vero orientales,Auſtraſianíve.Hæc autem ſelecta Rothomagenſis prouincia,marchia eſt Neuſtriæ,quæ ſuum aliquādo habuit Limenarcham,ſeu Marchionem,Hugonem inquam magnum Pariſienſem toparcham & comitem: vt qui ſimul & Pariſiorum comes , & Marchio Neuſtriæ diceretur. At verò cum Danorum exercitus prouinciam hanc hoſtiliter aggreſſus occupaſſet, tum Galli huius loci incolæ Normani dici cœperunt,non quòd Galli eſſe deſierint, ſed alterata tantum fuit

appellatio propter occupantium ſeptentrionalium virorum principatum & ditionem. Idémque dixeris de Gallofrancis, qui à Pharamundo, cum Galli ſemper & ſint & fuerint, Franci tamen dici cœperunt ab ipſis regibus Francis, qui Galliç quam Tranſalpinam vocant, incolç fuerunt, quæ nobis Ciſalpina eſt. At non idem prorſus cenſendum erit de Gallia quam authores Ciſalpinam vocant, quæ prius Italia, ſubinde Gallia, demũ verò Longobardia pro magna ſui parte appellata eſt. Quod autem Galli appellentur etiam natione, id in cauſa eſt, quòd Bituriges & Senones terras illas occupantes, virili ſexu aut eiecto aut extincto, prolem ex ſe genuerunt à natiuis Gallis Gallicã: quo factum eſt vt & diceretur & eſſet poſteritas natione & ditione Gallica. Idem legas in hiſtoria Turpini Rhemenſis Archipræſulis de Nauatris: qui cum prius Heſperij natione forent, prouidente Caroli magni exercitu, virili ſexu extincto, adſcitis ſibi loci illius incolis coniugibus, poſteritatem ex ſe genuerunt à virili ſexu Gallicam. Ideóque (vt ille ait) dicti ſunt Nauarri, hoc eſt, noui viri, nempe ex Hiſpanis Galli. Secus de Celtiberis, qui hodie Biſcaini dicuntur, qui non tam profundam paſsi alterationem, mixtim dicuntur partim Celtæ, partim Iberi, nempe Celtiberi: Gallorum Celtæ iungentes nomen Iberis. Non multum ab hoc differt, quod de Saxonibus Britanníſque legitur & Anglis. Angli enim & Saxones gens Germanica, occupata Britanniæ inſula, de Britannis Anglos ditione fecerunt. Manſit tamen vetus natio Britannica, vſquedum ad tempora Maximini imperatoris deuentum eſt: qui militare robur ex tota Britannia ſecum aduehens, imbelles tantum incolas reliquit. Et hi à peregrino expulſi exercitu, in Galliam tranſmigrarunt. Sic facta eſt gens illa Anglica potius & Saxonica quàm Britanna. Nam qui natu Britannici fuerant, in Galliam demigrarunt, facti tandem ex poſteritate Galli (vt hodie cernitur) & natione & ditione, non ciuili tantum, verumetiam & ſpirituali, Franci ſcilicet Regis & Turonenſis Archipræſulis legibus mandatíſque parentes. Sic & Germanorum qui Tranſrhenani fuerant natio tandem Gallica facta eſt, ex quo Ciſrhenana eſſe cœpit. Gallia enim vſque ad Rhenum protenditur. Quo fit, vt inde originem ſumentes, natione Gallos dici oporteat. Nec prorſus rem immutat aduentitia & accidentaria loquelæ phraſis perpetuam ſoli naturam: quæ vt frons arborum pronos mutatur in annos: quæque modo aduenit, modo præterit: Terra autem in æternum ſtat. Quid pluribus opus? Vnica ab initio fuit natio filiorum Noe, confuſa tamen fuere ſtatim idiomata. Rurſum quis neſcit gentem Iudaicam vnius eſſe nationis, etiam ſi varient idiomate plerique omnes? Quid quòd multi à natiuitate nullius ſunt idiomatis? An idcirco dicentur nullius eſſe nationis, etiam ſi muti omnes incolæ forent? Sicut extra æquinoctialem Barbari qui tantùm mugitum habent pro voce, quis iam dicat eos nullius eſſe nationis? Alioqui cuius tandem dicetur nationis Mithridates, qui duas ac triginta linguas iuxta numerum populorum quibus imperabat, habebat in numerato? Vix igitur aliquid aut dici aut cogitari poſsit ineptius, q̃ ſi quis phraſim contẽdat nationem homini ſoli ve genitură aut dare aut adimere poſſe. Quaſi etiã ſi quis Germanicè pronunciet, aut Grecè, aut Hebraicè, neceſſe habeat fateri ſe eſſe aut hellenicum, aut hebrçum. Imò loquitur Gallia Italicè ab Alpibus ad Rubiconem fluuium. Loquitur etiam Flandricè, atque adeò Germanicè, addo & Teutonicè, imò & Hiſpanicè. Variari non poteſt natio. Hoc enim ſolo priuatur deus, vt infecta facere

V

nequeat, quæ facta ſunt. Idioma verò & ortum cadit, & auctum ſeneſcit. Qui igitur illud adinuenere commentum fumi vẽditores, ita cæcutiunt, vt prorſus ignorent quę vel loquãtur, vel de quibus enunciẽt. Quocirca nihil promouet Franciſcus Irenicus, qui in ſua exegeſi Germaniæ, quod Gallis detrahit, Germanis tribuere contendit, & id quidem non tam ampliatiuè quàm priuatiuè: qua in re & fallit & fallitur: vel ob id maximè, quòd ex Hieronymo, Eutropio, Sabellico, aliiſque nonnullis, Triboces (qui nunc Argentinenſes dicuntur) alióſq; affines Germanos tantũ, & nihil minus q̃ Gallos haberi vult. Is inquã vaniſſimè colligit, quaſi nõ eadẽ gens eſſe poſsit natione Gallica, & idiotiſmo Germanica, Teutonicáve. Miſerè igitur cæcutiunt, aut liuore torquẽtur, qui ſuã Gallico nomini gloriam inuident, non ferentes ſi quis Gallis tribuat quod ad Germanicæ gentis Ciſrhenanę geſta pertinet: quod tamen volentes nolẽtes ferant neceſſe eſt: cum huiuſmodi Germania Galliæ ſit portio non infima. Abſit autem vt ramus radicem, riuulus fontem, radius ſolem obnubilet: cum quicquid in ramo viroris eſt, à radice procedat. Si quid riuus amœnitatis habet, id omne à fonte manat. Scrutandum potius, niſi quis trãsfugæ notam incurrere velit, vt Germaniæ citerioris quæcunq; eſt gloria, noſtræ Galliæ feratur accepta. Nõ igitur dicãt Germaniã Galliæ nomẽ obliteraſſe, quin potius gratiam Gallis debitam agnoſcãt: cũ quibus ſoli fertilitate, cõmerciorum communione, connubiorum ac ſanguinis permixtione, vtili ac iucunda nec minus ſplendida ſocietate fruantur. Quid enim abſurdius aut cogitari aut audiri poteſt, quàm quod improperat propheta, Ephraim æmulatur Iudam, & Iuda æmulatur Ephraim? Sícque vnuſquiſque carnem ſui brachij comedit. Deſinat itaque arrodere Galliam quiſquis tandem ille fuerit ſeu Batauus, ſeu Allobrox, ſeu quiuis alius Ciſrhenanæ Galliæ aut accola, aut municeps: quin ſcrutetur potius ſi quæ præconia iungat eius ad inuentas per plurima ſecula laudes, phraſi quacunque idiomatis neglecta: vereatúrque fœdiſsimæ ingratitudinis notam oleæ inſitus oleaſter: cum ignorare nequeat illud Pauli: Non tu radicem portas, ſed radix te: niſi malit adulterini potius quàm gneſii ſuſpicionem fœtus incurrere. Cogitet potius qualis ſit, aut vnde venerit, & petram veneretur à qua exciſus eſt. Nolite (ait Paulus) eſſe inanis gloriæ cupidi, inuicem mordentes, inuicem inuidentes. Si enim inuicem mordetis, abinuicem conſumemini. Habet vnuſquiſque quod alter alteri obiiciat, verùm non tam vt exprobret, quàm vt alter alterius onera portet. Hęc vtique ſi Albertus Crantzius apud ſe ſecretiori cõſilio reuoluiſſet, dicta dicendis conferens, ab euomendis aduerſus Gallos conuitiis ſibi temperaſſet: qui dum ſucco loliginis Galliam obſcurare laborat, è calcaria delabitur in carbonariam, ſibíque perpetuam inurit maculam. Proinde cautius & conſultius egerint Ciſrhenani omnes, ſi Gallos Barbarorum nota inurere deſinant, hoc enim omnem barbariei lineam ſuperat, ſi quis ſibiipſi conuitium inferat. Conueniet nulli qui ſecum diſsidet ipſe. Lingua enim Teutonica non adimit naturam, quin ab illa potius pendeat neceſſe eſt. Aliud enim eſt, ac maioris momenti, agnoſcere vbi & à quo accipias vitam, quàm vnde recipias idiotiſmum, quo ſine cultiorem linguam ac meliorem habere poteris. Dicant vt volunt ſe idiomate Germanos, modò ne ira degenerent, vt propriam naturam abnegent, negantes ſe eſſe Belgas, & Gallos. Nec eis ſuam inuideant gloriam, vnde vitæ ac lucis initia ſumpſerunt. Quoties autem Celtici nominis meminit Irenicus, plerunq; ſuo

Eſaie 11. *Rom. 11.* *Gala. 6.*

arbitratu adiungit illud, Per Celtas Germanos intellige. quod quidem nec prorſus abnego, nec inuideo, modò per Germanos (cum de Ciſrhenanis agitur) Gallos etiam Belgas velit intelligi. Sic fit vt ea omnia ad Gallici nominis gloriam pertineant, quæ de eccleſiaſticis electoribus Imperij, déque Archiepiſcopis Moguntino, Colonienſi, Treuirenſi, ſimúlque Baſilienſi, Conſtantienſi, atque Argentinenſi præſulatu, adde etiam de Spirenſi, Vormacienſi, Tullenſi, Metenſi, Leodienſi, ac Morinorum præſulibus redegit in literas. Quæ omnia à cap. 35. ad 50. ex eodem Irenico latiſsimè patent.

HIERARCHIÆ GALLICÆ TOPOGRAPHIA.

AD inſtitutum noſtrum quo hierarchicũ Galliæ principatũ illuſtrandum ſuſcepimus, non parũ conferet reddere Gallica Latinis, & Latina Gallicis. Omiſsis itaque prouinciæ prophanæ argumentis, de ſacris Gallicarum prouinciarũ magiſtratibus impræſentiarum agendum eſt. Hoc autem intereſt inter ſacræ prophanæque prouinciæ rationem, quòd illa ab archipręſulibus ſuæ nomenclaturæ diſcrimen accipiat (nam ſecundum archipræſules diſtinctas eſſe videmus prouincias ſacras) Romanæ verò prouinciæ dicebantur, quæ porrò victæ vi armorum, imperata facere cogerentur: vnde paſsim legũtur regna quondam externa in prouincias fuiſſe redacta. Verùm lõgè alia eſt ratio ſacræ (de qua ad præſens agitur) chorographię, quę in eccleſiaſticas prouincias digeritur. Quarum catalogum hic ſubiecimus, partim ex Romano prouinciali, partim ex probatis aliis authoribus collectum.

IN prouincia Viennenſi hæ ciuitates numerantur:
Ciuitas Viennenſium metropolis, vulgò Vienne.
Altera Gebennenſium, ſeu Geneuenſium, luxatis pauliſper elemẽtis, & b in v commutata litera, Geneſue.
Grationopolitana ciuitas, Grenoble.
Ciuitas Albenſium, nunc Maurianenſium, Maurienne.
Ciuitas Detenſium, ſiue Dienſis, vulgò Diez.
Ciuitas Valentinorum, Valence, quæ duæ vni pręſuli Valẽtino parẽt.
Ciuitas Viuarienſium, vulgò Viuerez. Hæ quidem Viennenſem præſulem agnoſcunt.
Ciuitas Arelatenſiũ archipræſulis honore locupletata (hîc Narbonẽſi paret) vulgò Arle. Cui parent ciuitates hæ:
Maſsilienſis, Gallicè Marſeille. Auraicenſis, Aurenge.
Tricaſtrinẽſis, ſancti Paulię à tribus caſtris. Thollonenſis, Thollõ.
Archiepiſcopus Auenicorũ, vulgò Auignõ. Cui ſubſunt epiſcopi, Carpentoracenſis, Carpentras. Vaſionenſis, Vaiſon.
Cauallicenſis, ſeu Caballicorum, vulgò Cauallon.

In prouincia Narbonenſi prima hæ numerantur ciuitates:
Narbonenſis ciuitas metropolis, vulgò Narbonne.
Carcaſſonenſis, Carcaſſonne. Biterrenſis, Beſiers.
Agatenſis ciuitas, Agde.
Leoteuenſis à Leoteua caſtro, nunc Lodouienſis, Lodeſue.
Nemauſenſis, Nimes. Magalonenſis, Maguelone.
Vticenſis, aliàs Vzeſienſe caſtrum, Vzes.
Eloicenſis, ſeu Eluenenſis, Eaule.
His adiunguntur Sancti Pontij Tomeriarũ, & ciuitas Electenſis, Alecte, recèns creati præſulatus à Ioanne vigeſimoſecundo.
Hîc detracta eſt Toloſana ciuitas ex Narbonẽ. tractu, ĩq; archipſulatũ

erecta ab eodem Ioanne, primo ſui pontificatus anno. Cuius ſubiere iugum hæ ciuitates:

Montis Albani, Gallicè Montauban. Riuenſis, Rieux.
Mirapicenſis, Mirepois. Vabrenſis, Lauaur.
Lombarienſis, Lombers. Sancti Papuli, Sainct Papoul.

Acceſsit & Apamienſis, Pamiers, authore Bonifacio octauo. & hæc vocatur Septimania.

Eſt & alia Narbonenſis prouincia ſecunda, quam ſpeciatim prouinciam Romanorum appellanr. Addicta enim erat veteranis militibus hoſpitio excipiendis. vulgò Prouence.

Ciuitas eius metropolis Aquenſis ſuo archipræſule decorata, vulgò Aix en Prouence.

Ciuitas alia Aptenſis, Apte, Apta Iulia.

Regenſis alia, ſeu Regienſis, vulgò Riez.

Ciuitas Foroiulienſis, Freius vernaculo idiomate: Forum ſcilicet Iulij. Pietas Iulia.

Ciuitas VVappicenſis, Gappienſis, G pro duplici vv repoſita. VVappenſienſis aliàs dicitur.

Ciuitas Segeſteriorum, aliàs Siſterienſis, Gallicè Siſteron.

Ciuitas Antipolitana, vulgò Antipoul, præſulatus honore viduata ob impiè cæſum in ea præſulem. Inde migrauit in Graſſenſem præſulatum, mutatis prouincia & Cathedra, vt infra videbitur.

Prouincia Aquitanica in duas ſecernitur.

Prioris metropolis eſt ciuitas Biturigum, vulgò Bourges.

Altera Claromontenſis Aruernorum, Cleremont: vetuſto nomine Gergouia.

Ciuitas Ruthenorum, aliàs Rhodenorum, Rhodes.

Ciuitas Albienſium, vulgò Albic.

Ciuitas Cadurcorum, ſeu Caturcenſis, Cahors.

Ciuitas Lemouicum, Gallicè Limoges.

Hi dicuntur Bituriges Cubi, de quorũ primatu ſupra Narbonẽſem eccleſiam videto c. conqueſtus 9.q.3. Cæterũ auxit Narbonenſem tractum Carolus Imperator à Garumna vſque ad Rhodanum.

Ciuitas Velanorum, aliàs Velauniorum: nunc Sancti Flori.

Ciuitas Cauallion ſeu Cauallonienſis, qui etiam dicuntur Gabelli.

Huc accedunt cathedrales eccleſiæ,

Mimatenſis, vulgò Mande. Tutelenſis, Tulles.

Anicienſis, ſeu Podienſis, Le Puy: quæ ſe gloriatur exemptam. Dicta eſt & Velate antiqua, aliàs exempta.

Secunda Aquitanica prouincia habet metropolim

Burdegalẽſem, vulg. Bordeaux: quaſi dicas, Bord de eaux: ſub qua cõprehenduntur Bituriges Vbiſci, aliàs Vibiſci.

Agenenſis, Gallicè Agen.

Aqualiſmenſis, nunc Engoliſmenſis, Engouleſme.

Ciuitas Xanctonum, ſeu Xanctonenſis, Gallicè Xainctes: quę & Mediolanum in Xanctonibus.

Pictauenſis, Poictiers. Petragoricorum, Perigueux.

Acceſſere eccleſiæ pontificales quædã, etiã nullis clauſæ mœnibus.

Maleacenſis, Mailleſez. Lucionenſis, Luxon.
Sarlatenſis, Sarlar. Condonienſis, Condon.

Inſtitutæ per Ioannem vigeſimumſecundum.

Nouampopulania prouincia, quam Vaſconiam appellant, metropolim habet

Ciuitatem Auſciorum, vulgò Aux, aliàs Auxitanorum.
Aquenſium ciuitatem, quæ patria lingua dicitur Dax. ita enim vulgò reddunt nomen aquarum. Aquas enim Prouinciales vocant aix, Aruerni aigues, Galli eaux, Vaſcones dax. Hinc Tardax oppidum appellatur, hoc eſt tardæ aquæ: Nerax, hoc eſt nigræ aquæ.
Ciuitatem Lactoritium, ſiue Lactorenſem, vulgò Lectore.
Conuenarum aliam (quòd prædones ex Pyrenæis montibus fugati illuc conuenerint) vulgò Comminges.
Ciuitatem Conſuranenſium, ſeu Conſuranorum, vulgò Conſerans.
Ciuitatem Boætium, vernaculè Fouais. b mutata in f. Hi etiam dicuntur Fluxates.
Ciuitatem Beranenſium, Gallicè Bierne.
Caſtrum Begorre, vulgò Bigorre. Dicitur & Turſa.
Ciuitatem Eloronenſium, ſeu Olorenſem, Oloron.
Ciuitatem Aturenſium, aliàs Adurenſem, Aire.
Ciuitatem Eloſaricum. ea eſt Laſcurienſis, Laiſcure.
Ciuitatem Vaſaticam, ſeu Vaſatenſem, Baſas. aliàs Volcatiorum.
Accedunt Termienſis, ſeu Terbienſis, vulgò Terbe.
Baionenſis, Baionne: & Rigomagenſis, vulgò Rieux in Vaſconia.

Succedit prouincia Alpium maritimarum, has ciuitates complectens.

Ebredunenſem metropolim, vulgò Embrun.
Dignenſem, ſeu Dienenſem, Digne.
Senecienſem, quæ aliàs dicitur Saneſio, vulgò Senez.
Glandatenſem, priſco verbo Glanuetanam dictam, vulg. Glandeſue.
Nicienſem, Gallice Nice.
Vencienſem, quæ Venceſina ciuitas dicitur, & Venceſium, Gallicè Vance. cui eccleſiæ, licèt immeriti, aliquando præfuimus.
Graſſenſem Antipolitanæ cathedræ hæredem, vulgo Graſſe.

Reponuntur hæc priſca nomina:

Ciuitas Solinēſium, fortè Nicia: & Ciuitas Cemelenēſiū, fortè Senez.
Inſuper & ciuitas Rigomagenſium: de qua ſuprà in Vaſconia.

Alia prouincia Alpium Graiarum.

Ciuitas metropolis vna eſt Centronum, Alpinorum ſcilicet, ad differentiam Eburonum, ſeu Leodienſium: quæ dicitur Tarentaſia. Alia ciuitas Valenſium, ſeu Vallis Auguſtæ, vulgò Vauldoſte: cui adiacet Gallia ſubalpina.
Eſt & epiſcopus Sedunenſis in Agannenſibus, vulgo Sion.
Agaunum, Gallicè Chabloys Maſſæo.

In prouincia maxima Sequanorum, quæ Burgundia appellatur, vbi eſt Liber Comitatus, vulgò Francheconté,

Metropolis eſt Veſuntiacū, vulgò Bezāſon. Cui ſubſunt hæ ciuitates:
Baſilienſis ſcilicet, ſeu Baſilea Rauricorum, vulgò Baſle.
Lauſanenſis alia ad lacum Lemanum, Lozenne.
Et Bellicenſis, ſeu Sebuzianorum, vulgo Bellay.

Adduntur hæc vetuſta nomina:

Ciuitas Equeſtrium, priſco nomine Nouiomus, nunc appellant Neuchaſtel.
Ciuitas Eluſiorum, aliàs Auenticus.
Item & ciuitas Nouiodunum, dicta etiam Auenticus.

Sequuntur caſtrorum nomina, VVindonienſe, Ebrodunenſe, Argentarienſe, Rauracenſe, Pons Albuenius: quæ omnia pendēt à maxima Sequanorum.

Prouinciæ Lugdunenſes quatuor ex Sigiſberto an. D.1181.

Prima ad Rhodanum Lucodunenſis, ſeu Lugdunenſis.

Altera ad Sequanã prouincia Neuſtriç, cuius caput eſt Rothomagenſis ciuitas.

Tertia ad Ligerim Turonenſis appellata.

Quarta verò ſuper Scanniam, alii Albam dicunt, quidam Ionam. ea eſt Senonenſis. Author Sigiſbertus ſub annũ domini 1181. De quarum primatia aliàs latius dictum eſt. Hic ſatis fuerit ſacras deſcribere toparchias.

Primæ Lugdunenſis prima ciuitas archiepiſcopalis,

Lugdunum, vulgo Lyon. Sedem habet primatiæ. Cui ſuffragantur

Ciuitas Eduorum perpetuò fœderata Romanis, aliàs Auguſtudunũ, vulgò Autun.

Ciuitas Lingonum, Gallicè Langres.

Caſtrum Cabilonenſe, aliàs Cambilonum, Challons.

Caſtrum Maticenſe, ſeu Matiſconenſe, vulgò Maſcon.

Secunda Lugdunenſis habet metropolim

Rothomagenſem, Gallicè Rouen.

Item & ciuitatem Baiocaſsium, vulgò Baieux. Cuius pontifex in concilio prouĩciali nomine decani præſidet abſente archipręſule. Tertio verò ordine ſuccedit Abrincatenſis ciuitas, aliàs Arboricenſis, ſeu Arboretana, vulgò Abrincenſis, Gallicè Aurãches, purius Arbtanehes. Cuius pontifex locum ſubdecani tenet in eodem prouinciali concilio, vt ex vetuſtis inſtrumentis conſtat.

Ciuitas Ebroicarum, Gallicè Eureux.

Ciuitas Saiiorũ, ſeu Saiienſiũ, vulgò Sees, propriè Sais, alias Seſſunii.

Ciuitas Luxouiorum, ſeu Lexobiorum, Liſieux.

Ciuitas Conſtantiarum, priſco nomine Conſtantia caſtra, Gallicè Conſtances. Aliàs Conſtantia Cæſaris, ſeu reſidentia: cũ aggrederetur & in officio contineret Albionem inſulam.

Tertia Lugdunenſis ſua eſt inſignita metropoli ciuitate

Turonica, Tours: diui Martini præſulatu glorioſa. Quam continuo ſequitur

Ciuitas Cenomanorum, Gallicè le Mans. Poſt quam

Ciuitas Andegauorum, ſeu Andium, Angiers.

Moxque ſequuntur in Britannia minori hæ ciuitates,

Ciuitas Rhedonenſis, Rhenes.

Ciuitas Nemetenſis ſeu Nametenſis, Nantes.

Ciuitas Cotiſopitum, Cornouaille, quam CornuGalliç rectè appellaueris. aliàs Curioſolitæ.

Ciuitas Venetum, veteri vocabulo Cyanum. Vnde cyaneus color Venetus. gallice Vennes. Item dicti ſunt Ciantes.

Ciuitas Leonenſium, Leon, qui & Leonices: nõ vt corrupte apud Cæſarem legitur, Lemouices, ſeu Lenonices.

Ciuitas Trecorenſiũ, Treguer, vetuſto nomine Oſsizini, aliàs ſainct Mathieu. Sed de hac re aliás.

Ciuitas Dolenſium, Doul: qui partim dicti ſunt Diablintres: partim id nominis tribuitur Leonenſibus.

Ciuitas Maclouienſium, ſainct Malo. prius dicebantur Aletenſes.

Ciuitas Briocenſium, ſainct Brieu.

Porrò Britannia minor, ſeu Eremorica, in duas ſecernitur partes: Gallicanenſem videlicet, Gallicè Breton gallot: & Britonicenſem, Gal. Breton bretonnant, & hi ſunt Coriſopitenſes Veneti, & Leonenſes.

Quarta verò Lugdunenſis metropolim habet ciuitatem Senonum, Gallicè Sens. Cui ſubiacent hæ ciuitates·

Carnutum, vulgò Chartres. Dicti autem ſunt Carnutes à caria nuce iuglande, ſeu Iouis glande, ſicut Druidæ à quercubus. Alio nomine dicebatur Antricum.

Ciuitas Antiſsiodorum, Gallice Auxerre.

Ciuitas Tricaſsium Campanorũ, ſeu Trecenſis, Troye eñ Chāpagne.

Ciuitas Aurelianorum, ſeu Genabum, Orleans.

Ciuitas Pariſiorum, aliàs Leucodecta, Lutetia, omniũ artium Athenæum, merciumque omnigenarum emporium, iuris promptuarium toto orbe decantatiſsimum, piſcoſo quæſtuoſoque flumine abundè locupletatum.

Ciuitas Melduorum, ſeu Meldenſium, vulgò Meaux: quaſi dixeris Meſopotamiam in mediis aquis conſtitutam. De primatu Senonenſi aliàs dictum eſt.

Prouincia Belgica in duas ſecernitur. Prior has habet ciuitates.

Metropolim Treuirorum, ſeu Trebetum, vulgò Treueres.

Ciuitatem Mediomatricum, ſeu Metenſem, aliàs Dinodurum, Metz.

Ciuitatem Tullenſem, Tulles.

Ciuitatem Vertodunenſem, ſeu Vertodunum, vulgò Verdun.

In Belgica ſecunda hæ memorantur ciuitates:

Metropolis Remenſis, Gallicè Reims. Illic inaugurantur ſacra vnctione Francorum reges.

Ciuitas Sueſsionenſis, Soueſſons: cui qui præſidet, decanus eſt prouinciæ.

Ciuitas Catalaunenſis, aliàs Cambilonum, Chalons.

Cameracenſis, quibuſdam Samarobrina, Cambray.

Tornacenſis, ſeu ciuitas Neruiorum, Tournay.

Morinenſis, aliàs Terrauana, Terouenne.

Attrebatenſis, Arras. Ambianenſis Amiens.

Nouiomenſis, quæ & Nouiodunum, Gallicè Noyon.

Syluaneſtenſis, Senlis, ſyluis olim obſita & ambita.

Ciuitas Bellouacenſis, Beauluais.

Laudunenſis, Laon. quod ſi interpreteris, ſignat mõtem popularem.

In Gallia quæ pro limite Rhenum habet fluuium, ex veterum præſcripto duæ ſunt Germanicæ prouinciæ.

Germania prima ſeu ſuperior has ciuitates complectitur.

Moguntiacum metropolim, Maience. Argẽtoratum, Stratzburg.

Ciuitatem Nemetum, ſeu Spirenſium, vulgò Spire.

Ciuitatem Vangionum, quæ nunc VVormacia eſt, VVorme.

Huc accedũt complures aliæ cathedrales eccleſiæ, ſcilicet Pragenſis Bohemiæ caput, erecta in archiepiſcopatum per Clementẽ ſextũ.

Matouienſis, aliàs Olonienſis. Herbipolenſis, ſeu vt alii, Vurcemburgenſis, non VVircemburgenſis: quæ & Muſtopolenſis, à vino, non ab herba.

Conſtantienſis.	Curienſis.	Verdenſis.
Auguſtenſis.	Halberſtatenſis.	Paderburnenſis.
Linthomilenſis.	Olumicenſis.	Bambergenſis exempta.

Prouincia Germaniæ ſecunda ſeu inferior metropolim habet

Vbiorum Agrippinenſium, ſeu Colonienſem, Colongne. Cui paret Leodienſis, Liege: quæ Tungrenſi ſucceſsit eccleſiæ.

Traiectenſis, Treƈt.   Monaſterienſis, Monſter.
Mindenſis.   Oſemburgenſis, ſeu (ſi mauis) Oſnaburgenſis.
Fiſtetenſis.   Hildeſemenſis habuit epiſcopos 45. Crantzio.
Hamburgenſis metropolis defluxit in Bremenſem, habuitque præſules. 40. hucuſque an. 1546. præter tres ſeparatim Bremenſes, & duos Hamburgenſes.
Halberſtatenſis habuit epiſcopos 40. à Crantzio deſcriptos.
Mimigardenonenſis, poſtea Monaſterienſis dicta, habuit præſules 47. ſub priore nomine 14.
Mindẽſis habuit præſules. 52.   Paderburnẽſis habuit epiſcopos. 36.
Haldemburgenſis habuit præſules. 25.
Magdeburgenſis metropolis, aliàs Parthenopolis, quod ſignat puellarum gynæcium, ciuitatémve puellarem, habuit præſules. 39.
Sucrenẽſis habuit epiſcopos. 31. ſucceſsit autem Mekelburgenſi, quæ habuit. 3. epiſcopos, ſede vacua per an. 84.
Raſeburgenſis poſt primum Ariſtonem, & ſedis vacationem per an. 84. habuit epiſcopos. 29.

ET in his completur Hierarchiæ Gallicæ Ciſalpinæ catalogus. Nec hic audiẽdus eſt Meyerus falſo Germaniæ adſcribẽs Neruios, Morinos & Flandros. Nam huius cõmenti vanitas liquet ex prædictis. Alioqui iidẽ ipſi & Germaniæ & Belgicæ ſecundæ adſcriberentur.

NEque extra rem fuerit hoc loco ãnotare multis ante hæc tempora ſeculis vulgo edita archipræſulum epitheta.

Remenſis antiſtes nobilis acclamatur ob inaugurationem regiæ maieſtatis.
Bizuntinus dignitate clarus ob miraculum ab eo perpetratum: vnde carmen prodiit: quod appellant Sotadicum.

Signa te ſigna, temere me tangis & angis.
Roma tibi ſubito motibus ibit amor.

Cum ſcilicet adiuratus dæmon archipræſulem deferret Romam.
Tertio ſequitur Rothomageus antiſtes locuples appellatus.
Narbonenſis verò principatu decorus, vtpote Galliæ Narbonenſi præfectus
Cæterum Auxitanus, Vaſconię vertex.
Bituricus verò ob viſitationes quas exercet innumeras, Polycarpus à multis cenſetur.
Senonenſis minimè negotioſus, vtpote in centro ſuorum ſuffraganeorum conſtitutus.
Turonicus ob tenuem prouentum, & malè parentem olim Britanniam, tenuis fortunæ dictus eſt.
Pelagiarcha verò Burdegalenſis, ac ripenſis maritimus.

FINIS LIBRI PRIMI DE RE GALLICA, QVINDECIM PERIOCHAS COMPLECTENTIS.

REVERENDI IN CHRISTO PATRIS, DIVINA CLEMENTIA EPISCOPI Arboricenſis, D. Roberti Cœnalis, Doctoris Theologi ordine & origine Pariſienſis,

DE RE GALLICA LIBER II.

De cœli ſoliq́ue Gallici chorographica ratione, perioche prima.

COELI ſoliq́ue Gallici ſymmetriam aggreſſurus, nonnulla habeo præfari. Reiecta primũ in eos qui altioris ſunt ocii, controuerſia, quæ oboritur ex ſententiis Ptolemæi, & Eratoſthenis, atque Hipparchi, aliorũque qui in commenſurandis cœli gradibus, & ſtadiis terræ, longo à ſeſe interſtitio diſsident: ex vulgata recentiorum ſententia vni gradui cœli ſexaginta in terra milliaria ad præſens deſignare ſufficiet. Perficitur autem milliare, ſtadiis octo. Stadiũ verò, centũ & vigintiquinque paſſus in ſe recipit: qui octies ducti, paſſuum chiliadẽ complent. Eſt autem milliare, id terræ ſpacium, quod funiculo ad quinque pedes protenſo, inq́ue longum millies prorogato abſoluitur. Nam cum paſſus, pentapeda perficiatur: neceſſe eſt vt quinque pedum millia, mille paſſus perficiãt. Inde ſequens eſt, vt ex decapeda in chiliadem prorogata, leuca bimilliaris compleatur, atque adeò trimilliaris ex pentadecapeda, quæ eſt apud Cenomanos leucæ menſura vulgatæ. Idem dixeris ex rotæ circũductu millies repetito: cuius circunferentia aſſurgat ad eas quas prædiximus menſuras. Armorici Britones ita ſuas leucas componunt, vt funiculo centum viginti pedum centies vicies repetito, eam abſolutam putent. Huiuſmodi dimenſio à trimilliari leuca non multis paſsibus inferior eſt, nempe centum viginti per defectum, hoc eſt vnius ſtadii menſura, paſsibus quinque exceptis. Vtcunque ſit, conſtat magnam partem Galliæ vti leucis trimilliaribus, aliquando etiam quadrimilliaribus, quocunque perrexeris ad extremas Galliæ partes. In ipſius autem Franciæ vmbilico leucæ occurrunt bimilliares quandoque, nonnunquam tamen tantum ſeſquimilliares. Id quoque ſcias velim, non poſſe dari in his præciſionem, ita vt cœli terræq́ue milliaria ſibi ex æquo obuient, propter anfractus viarum, pontium, montiumq́ue ac fluminum diuerticula. Vnde fit vt vni milliari ad rectam lineam cœli minimè ad amuſsim reſpondeat ſua itineris dimenſio in terra.

Magni nihilominus nominis (quod ſatis conſtat) authores leucã Gallicam ſeſquimilliari non amplius menſura concludunt: haud ſcio an paſſuum pedúmve exteriore mẽſura. Sic enim habet Ammianus Marcellinus lib. 16. Cum à loco vnde Romana promota ſunt ſigna ad vſque vallum Barbaricũ quarta leuca ſignabatur & decima, id eſt vnum & viginti millia paſſuum, ſuos Cæſar cuneatim circunſiſtens alloquitur. Eſt autem vicenarius mònadicus numerus ad teſſeradecadem ſeſquialter, vti leuca ad milliare. Idipſum teſtatur in rebus Geticis Iornandes:

Cum venitur (inquit ille) in campos Catalaunicos, qui & Mauricii nominantur, centum leugas (vt Galli vocant) tenẽtes in longum, & ſeptuaginta in latum. Leuga autem Gallica mille & quingẽtorum paſſuum quantitate metitur. Ita ſuo quæque natio arbitratu, hæc longiori, illa breuiori ſpacio definit. Et hæc quidem dimẽſionum varietas facilè conciliare poterit varias quæ obrepere ſolent inter chorographos de leucarum quantitate numeróve coniecturas.

Neque id annotatu dignum præteribo, quod ad Hydraulicam rationem pertinet de eleuatione poli per capita terræ continentis, ex Aſtrolabio certiſsimè calculata.

Caput Anglicanũ Hydraulicè appellatũ Lõguechippes, gra. ha.		50.
Hantonna caput aliud gradus habet		51.
Breſt habet gradus	48.	minuta 15.
Cap. finis terræ gra. ha.		43.
Cap. Sanvincentianum gra. ha.		27.
Cap. viride gra. ha. 14. cum $\frac{2}{3}$.	Diepa	gra. ha. 50.
Rothomagus diſtans leucis plus minus duodecim gra.		49. cum $\frac{2}{3}$
Cæſarisburgum gra.	49.	minuta 20.
Apud Guineam Aphricæ vertex tricuſpis gra.		4
Cap. de Ras apud Molucas gra.	46.	40. minuta.

Pro polo Antarctico.

Caput Sancti Auguſtini in America gra. ha.	8.
Caput Friæ ſub Capricorno gra. ha.	23. cum

Obſeruatio alia.

Mane orientale habet horas 6.

Mane ad occidentem inchoat hora. 9. reſpectu orientis.

Ad meridiem. ho. 12. mane incipit au ſur.

Poſt meridiem hora tertia au ſuroueſt.

Sexta hora ad veſperam mane incipit a oueſt.

Hora nona poſt veſperam mane incipit au noroueſt.

Nocte media mane incipit au nort.

Hora deinde tertia mane incipit au Nordeſt.

Hactenus de obſeruatione Hydraulica.

Id quoque obſeruabis, cum variæ ſint graduũ latitudines, variare etiã numerũ correſpondẽtium in terra milliariũ. Nam gradibus longitudinis in variis parallelis deſignatis, varius correſpondet numerus milliarium. Nos autem ſequimur menſuram graduũ paralleli longiſsimam, vtpote eam quæ eſt ad quadragintaquatuor gradus latitudinis, vbi ſub vno gradu comprehenduntur ex tabulari ratione millia paſſuum quinque & quadraginta. Verùm huius rei anxia diſquiſitio parum facit ad id in quo verſamur negocium, vt qui contenti ſimus duabus longiſsimis dimenſionibus, vna quæ eſt ab extremo Galliæ limite ab occaſu ad ortum, non ſolùm à continente, imò verò ab adiacentibus continenti Galliæ inſulis, vt ſi quæ adiaceant

Gobeo promontorio vſque ad Rubiconem fluuium, quæ eſt linea vtrãque Galliam comprehẽdens, Tranſalpinã inquam & Ciſalpinam.

Aliam imaginamur lineã, quæ eſt à mari Auſtrali per inſulas Maſſiliæ adiacentes, vt Stœchades; Agathopolis, & aliæ nonnullæ, vſque ad Hollandicũ limitem, retruſaſque illi adiacentes inſulas in Boreali Oceano: quæ in tabulis coſmographicis delineari ſolent. Porrò ſuper graduũ numero ac poſitura inter ſe diſceptant coſmographiæ Ptolemaicæ interpretes. Nam & apud eos Ptolemæus ipſe in ſe diuiſus eſt. Sunt enim qui Galliã Auſtraliorẽ faciant duorũ graduum extẽſione, quàm communis tabularum vſus ſtatuere ſoleat. Vulgus enim interpretũ deſignat latitudinis gradus à quadrageſimotertio ad quinquageſimumquartũ numero duodecim: gradus verò longitudinis à decimoquinto per inſulas adiacentes ad trigeſimum vſque per medias Alpes, atque adeò Adulam montẽ per gradus ſedecim: & id quidem pro Gallia tantũ quã Tranſalpinã vocant, ſemota ad partẽ Ciſalpina Gallia: quæ eſt ab Alpibus ad Rubiconẽ fluuiũ. Ita enim ſuam telam texuit Nicolaus Germanus ad Paulum ſecundum Venetũ. Cæterum Bilibaldus author paulo recentior ſtatuit ex Ptolemæo (ſuo quidem arbitratu) latitudinis gradus à quadrageſimotertio ad quinquageſimumtertiũ cum ſemiſſe, vt numerentur in totum gradus vndecim ab Auſtro in Boreã, & paulo amplius. In longum verò à decimoquarto gradu ad vigeſimumnonũ numerum proponit graduum ſedecim per inſulas Gobeo promõtorio adiacẽtes vſq; ad vmbilicũ mõtis Adulæ. Aliàs Gobeũ promontoriũ vix attingit gradum decimũquintum. At longè alia eſt poſitura quam Bernardus Syluanenſis Venetus ex Ptolemæo ſuæ (vt videri vult) integritati reſtituto deſcribit. Sed neque bene inter ſe conueniunt tabularũ veteris & recentioris dimẽſiones, atque ordinis poſituræ. Recens tabula gradus longitudinis ſilentio præteriẽs, gradus latitudinis numerat à quadrageſimotertio ad quinquageſimumquartũ, interceptis gradibus numero duodecim. Ab his dis diapaſon diſcrepat Bernardus. Dicas nonnullos in multis quæ pro ſuo arbitrio commenti ſunt, non tam tabulas nobis quàm fabulas reliquiſſe: dum ab eorum commentis pendentes ſecuri in vtranque aurem dormimus. Sic animum lector pictura paſcit inani.

Bernardus certè Syluanus Venetus coſmographus in eis quas depinxit, Galliæ Italiæque tabulis, longiore q̃ cæteri interuallo Gallias prorogauit. Nam Gobeum promontoriũ occiduũ Galliarũ limitem gradui longitudinis vndecimo ſuppoſuit: Rubiconem verò fluuium (qui Gallias omnes ab oriente claudit & terminat) gradui longitudinis ab inſulis fortunatis trigeſimoquinto ſuppoſitũ eſſe docuit. Interſunt ergo tota Galliarum longitudine gradus vigintiquatuor, qui in ſe complectuntur milliaria ſeptingenta viginti, & duplares leucas trecentas ſexaginta. Quæ hac ratione totã à Gobeo promontorio, quod eſt apud diuũ Matthæũ in Britannia, ad Rubiconẽ qui in Adriaticũ pelagus defluit, interuallum deſcribunt. Nec maiorẽ viatores diſtantiam experiũtur, qui Galliarũ intima peragrarunt: ſi modò deduxeris fluuiorum diuerticula, ciuitatúmque ac montium imperuios anfractus: nec amplius ſpacii patet ſi recta viatori linea pateret.

Porrò idem author in ipſius Galliç latitudine ab aliis quoque diſcrepat. tribus enim gradibus magis meridianam facit quàm cæteri, initium ipſius latitudinis ſumens in gradu ab æquatore quadrageſimoſecundo vſque ad gradum latitudinis quinquageſimumtertium. Alii verò vno gradu minus tribuunt. Verùm hæc differentia parui æ-

ſtimanda eſt. Quis enim præciſionem ſeruare poſsit in omnibus?

Orontiana (vt ne id etiam omittam) tabula omnes in ſe Gallias comprehendens, vtpote Ciſalpinam & Trāſalpinam, à decimoſexto gradu ad trigeſimumſeptimum Galliam prorogat, videlicet à Gobeo promontorio in Armoricis ad Rubiconem fluuium Adriatico mari atque Arimino adiacentem. Iam ſi ſingulis gradibus milliaria ſexaginta adnumeraueris, ſeu leucas bimilliares triginta, trimilliares vero viginti: occurrent tibi in vniuerſum in longum milliaria mille ducenta ſexaginta, bimilliares verò ſeptingentæ triginta, trimilliares autem quadringentæ viginti. Hac enim ratione Gallia protenditur ad gradus cœli vnū & viginti, nempe à decimoſexto ad trigeſimumſeptimum. Latitudinem verò metitur à quadrageſimo ſecūdo gradu ad quinquageſimumtertium, partium vndecim interſtitio, nempe ad milliaria ſexcenta ſexaginta: quæ perficiunt bimilliares leucas triginta ac trecentas, trimilliares vero ducētas viginti. Erit hac ratione longitudo Galliæ ad eius latitudinem penè dupla. Eſt autem ea latitudo à mari Gallico mediterraneo ad Hollandiæ ſumma littora protenſa. Sic fit, vt ab Auſtrali ad Septentrionale pelagus ſummæ æſtatis dies tribus horis accreſcat. Eſt enim pars Galliæ ſub parallelo vrbis Romæ horarū quindecim, pars altera in medio parallelo ſexdecim horarum: in ſummo autem creſcit ad horas ſeptemdecim. Reliquæ Germanicæ tabulæ nonnullæ ſic à recta exorbitant, vt nec fideliter gradus enumerent, nec omnes Gallias comprehendant, modò Longobardiam, modò vero bonam Belgicæ partem ab area Gallica reſecantes. Sicque fit vt dum proprijs quiſque ſeruit affectibus, ſibiipſi fidem adimat. eos itaque longum valere ſinamus.

Nicolaus Germanus in ſua coſmographia, quam Paulo ſecundo pontifici dicauit, vir minime inuidioſus, planè candidus, nihil de liuoris fermento apud ſe retinens, Gallicam chartam iuſtis limitibus circunſcribit: eūcta quæ Rheno Varoque fluminibus clauduntur, Ciſalpinæ adſcribens, à decimoquinto gradu ad trigeſimumſextum vtriuſque Galliæ aream dimetiens, Ciſalpinam inquā & Trāſalpinā. Nam iuxta coſmographicā recēns editā tabulam, trigeſimoſexto gradui longitudinis Ariminum ſubiacet, Galliæ limes Italicæ.

Non facit ad rem iſtā (vti nec noſtro obſtat inſtituto) quod Eutropius lib. 6. ait omnē ferè Galliā quæ inter Alpes & flumen Rhodanū Rhenúmque & Oceanū concluditur, ſuo patere circuitu ad bis tricies centena paſſuum millia: hoc eſt ſex millia milliarium. Hoc enim ambitu detruncatur Gallia quæ eſt à Rhodano ad maritimas Alpes. Quin & extra ordinem comprehenditur Hiſpania, quæ extra Galliā à Pyrenæis ad Gaditanum fretum protenditur.

Propius ad rem noſtrā facit Tranquilli Suetonii ſententia, quo authore Galliæ ambitus Tranſalpinæ, à Pyrenæo, alpibúſque, & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano circūſcriptus, bis ac tricies centū millia paſſuū comprehēdit: hoc eſt, milliaria ter mille ducēta. Cuius ambitus ſi diameter requiritur, ablata vna vigeſimaſecunda, quæ eſt 145. decem milliaribus ad partem ſepoſitis, reſtabit numerus milliarium 3155. cuius tertia pars erit diameter Galliæ Tranſalpinæ: comprehenditque milliaria 1051. neglecta fractione: quæ reddunt ad ſubduplum leucas bimilliares 525. cum ſemiſſe.

Nec te moueat vulgaris calculus ab hoc numero diſcrepans, vtpore inferior: nam varia eſt menſura leucarum in partibus Galliæ extremis. ſunt enim quædam trimilliares, quædā quadrimilliares. Tri-

milliares verò hac ratione numerabantur leucæ 350. paucis omiſsis.

Vaſconia Aquitaniæ pars pro leucis habet paraſangas ſtadiorum triginta, ſtadiis duobus milliaribus quatuor breuiores.

Ptolemæi interpolator Bilibaldus, minus quàm vellem conſideratè, nō tam ex Ptolemæi verbis, quàm proprio arbitratu negat ea in Græco exemplari contineri, tertiæ tabulæ Europæ dimenſionem exponens. ſic enim ait: Europæ tertia tabula à partibus 15. vſque ad partes 29. ½ ſitque longitudo partium 14. ½ Latitudo verò à partibus 42. vſque ad partes 54. ita vt latitudo partium fiat 12. Nos autem ſecus ſuprà retulimus. Vtcunque ſit, iuxta hunc calculum habes lector milliaria 790. bimilliares leucas 370. trimilliares verò 263. quæ eſt longitudo ad parallelū medium Galliæ noſtræ Trāſalpinæ à Gobeo promontorio ad ſummum mōtem Adulam protenſa longitudo: cui adiunge longitudinem Galliæ quam Ciſalpinam vocant, per leucas trimilliares 120. & ecce tibi leucarum numerum 383. cuius rei ſuprà meminimus. Id conferre libet cum vulgato communique viatorū calculo. ij enim omnes penè ad vnum ita ſuum deſcribunt abacum:

A Gobeo promontorio ad Cœnonem fluuium qui Vrſonis pontem alluit, leucæ plus minus	70.
A ponte Vrſonis ad Lutetiam Pariſiorum leucæ plus minus	75.
A Pariſiorum Leucotetia ad Lugdunum leucæ	100.
A Lugduno ad Adulam montem leucæ plus minus	60.
Ab Adula monte ad Rubiconem fluuium leucæ	120.

Euadit numerus leucarum 425. quæ eſt ſumma tabulæ Orōtianæ. Abundat hic numerus in leucis 42. Hæc autem dyſcraſis facilè conciliatur ex leucarum varia dimētione, vt dicamus eos qui plures numerāt, ad leucas ſeſquimilliares bimilliareſve reſpicere: qui verò pauciores, in trimilliaribus, aut triginta ſtadiorū paraſangis ſuo calculo modum impoſuiſſe.

Exigit chorographica Gallici ſoli deſcriptio, vt reliqua quæ ad eius decorem illuſtrationemque pertinent (id quod ordo narrationis poſtulat) proſequamur. Et de chorographia hactenus.

SEQVITVR PERIOCHE SECVNDA, de vetuſtis Galliarum Regibus.

FOELIX Gallia ſemper regibus, nunquam non fœcunda fuit multis regiæ maieſtatis titulis, & floruleata coronis. Habuit Gallia reges variis nominibus & ornamentis inſignes: quos omnes titulos rex hodie Francorū vno ſuo principatu complectitur. Fuit regnū quondā Auſtraſianū ſub Dagoberto rege florentiſsimū, cuius regia fuit Metenſis aliquādo ciuitas: quam hodie ciuitatem hac noſtra ætate rex Hēricus eius nominis ſecūdus potenti manu obtinet. Verùm latius tum patebat Auſtraſia, quàm noſtris diebus, vtpote in Lotaringiam, Brabantiā atque Alſatiā protenſa, omnē denique regionē quæ Moſa & Rheno fluminibus à Colonia vſque ad Alſatiam latiſsime diffunditur: ab Auſtraſo rege ſic appellata, cum necdum Franci Belgicæ Galliæ limites aut attigiſſent, aut vidiſſent. quæ & Auſtria dicta eſt, hoc eſt Orientalis Gallia, ad differentiam Neuſtriæ, quæ hodie Francia Occidentalis communi omniū conſenſu appellatur. Proinde falluntur qui hoc nomen Frāciæ Occidētalis in vnius regionis anguſtias retrudunt, Normaniam & Neuſtriā pro eodē ſignificatu habētes. Eſt enim Marchia

Neuſtriæ Normania, limeſque ac ripa Occiduæ Franciæ. Vnde & Hugo quondam ille magnus marchio Neuſtriæ, hoc eſt Occidentalis Franciæ appellatur. Regni ſedes Neuſtrici atque archiſolium fuit Lutetia Pariſiorum: teſtis Munſterus ſuæ chorographiæ libro. 2. Habes itaque duo hæc in Gallia regna, antiquatum vnum Auſtraſiæ, aliud verò hodie extans longè florentiſsimum, cui etiam magna ex parte paret Auſtraſia. Habes & aliud, quod vaſtum regnum appellatur priuato nomine VVeſtrich, duobus cõcluſum fluminibus in Treueris fluuium confluentibus à monte Vogeſo. Fuit & in media Gallia regnũ Arelatenſe, cuius ditio Sabaudiam, Heluetiam, Delphinatum, omnemque Allobrogum oram complectitur. Finem tandem inuenit regii diadematis titulus in Boſone rege, vel ob id potiſsimum exauthorato ab imperatore Ottone, quòd manum ſceleſtã iniicere auſus ſit in Arelatẽſem ſuum præſulem in ſacratiſsimo natalis dominici præuigilio, cum pontificalibus indutus ornamentis ſub noctem mediam ſacra tractaret: nec ob aliam cauſam, niſi quòd populo iam ad ſacra audiẽda congregato, longaque expectatione fatigato, ſacer ille antiſtes officiũ, cum nondum Boſo aduenißet, inchoandum duxerit. Hãc iniuriam multis nominibus atrocem clerus & populus indignè tulit, adeò vt extremo adiudicatus ſupplicio Boſo tyrannus necem euadere non potuerit, niſi ipſius qui læſus fuerat interuẽtu, cuius obnixis precibus conuerſa eſt mors illa corporalis in ciuilem. Tonſus enim Boſo in arctum monaſterium detruſus eſt, ſuppreſſo in poſterũ regii diadematis titulo. Paret nihilominus Arelatenſis tractus regni olim Burgundiani regia ac primaria ſedes regi Franco vnà cum Burgundiano clariſsimo potiſsimoque ducatu.

Vnum hoc (vt illud obiter dicam) nequeo ſatis demirari, vnde in mentem venerit Burgundiæ olim principibus, inſigne illud crucis, quod falſo diui Andreæ appellant, vſurpaſſe, vbi interſectio fit ad angulos obliquos, partim obtuſos, partim vero acutos: cum ex ipſius crucis ex qua diuus pependit Andreas proſpectu, quæ eſt apud ſanctum Victorem in Maſsilia, plane conſtet lignum ligno fuiſſe adfixum non niſi ad angulos rectos, eadẽ cum cruce Chriſti figura. Itáne licuit in re ſimili diſcordiæ teſſerã affectu magis quàm ratione duce peruestigare? Sed id parergon, nunc ad reliqua.

Habuit & ipſa ſuos ciuitas Aurelia reges, ab Aureliano imperatore ſic appellata, cum antea Genabum diceretur, vbi aliquantiſper perſtitit regia in Celtis ad Ligerim fluuium. Alia item regia ſedes perdurauit in Belgis, ſedes inquam regni Sueſsionici, ad flumen Axonã, vbi nonnunquam regnatum eſt ſub Romanenſi titulo per Ægidium quendã, Siagriúmque Ægidii filium. Quem tamen Clodoueus protochriſtianus & regno cedere compulit & vitæ. Quin & id quoque ſecutum eſt, vt aucta regum Francorũ ſobole, ne vlli ex filiis deperiret regii diadematis titulus, omnéſque regiis inſignibus fruerentur, quod vnicum erat regnum Francorum, in tetrarchias ſecerneretur. Vidit hoc ætas ſtatim à morte Clodouei proxima, cum Childebertus regiam Pariſiorum teneret, apud diui Germani templum à ſe erectũ tumulo conditus: Lotarius verò Sueſsionico regno inaugurаretur, Clodomirus Aureliano, Theodoricus apud Mediomatrices ſceptrũ teneret. Nec tamẽ ita multò pòſt in vnam monarchiã Clotarii Sueſſionum regis huiuſmodi coiere tetrarchiæ. Nec defuit par euentus Clotarii liberis, apud ædem diui Medardi (quam ſuo ære exrruẽdam curarat) ſepulti. Hi inquã liberi tetrarchico vſi ſunt principatu, Che-

rebertus apud Pariſios,Chilperic⁹ apud Sueſsiones,apud Aurelianos Guntrãnus,apud Mediomatrices verò Sigibertus. Et hi tandẽ riuuli in vnũ monarchiæ alueum coierũt in vnius Chilperici perſonã:tãdẽque euaneſcentibus tetrarchiis, vna Frãcorum ſuperfuit monarchia. Habuerunt nihilominus Gallicæ aliæ regiones nonnullæ vt olim ita & poſtmodum reges ſibi peculiares. Fuit enim quando diceretur rex Biturigum ſub patre Bellouefi ante Senones Gallos:id quod ſupra attigimus,quare nec verbum amplius addam.

Fuit & regnum Aruernorum, qui vt animoſè ita & verè auſi ſunt Latios ſe dicere fratres ſanguine ab Hectoreo. Regnatum enim eſt in Aruernis ſub Vetcingentorige heroe,qui ſe vnum pro Gallis tuendis oppoſuit aduerſus Iulium Cæſarem Galliarum prædonem. bellando tamen magis fatigatus quàm victus,Iulii Cæſaris, quod illi vnum ſupererat,gladium euaſit.

Præter has regiorum ſtemmatum notas inſigniores, fuit & alius in Eremorica Britannia minori regiæ maieſtatis titulus,à Maximo Romanorum imperatore quidẽ vocato, re tamẽ ipſa imperij tyrãno, inſtitutus. Fuerunt itaque ad multa tempora perſeuerantes in hac Britannia Eremorica reges, qui tãtiſper perdurarunt vſque dum tumultuantes inter ſeſe Britannici proceres,ditionem illam quo minus pacificè imperaret,excitatis turbis impediuerunt. Verſum demũ eſt regiæ maieſtatis nomen in ducalem titulum,qui & in hunc vſque diem conſtanter perſeuerat,niſi quòd ſub Franciſco primo his paucis antè diebus & annis regiæ coronæ ex procerum edicto ſic adhæſit, vt iam deinceps ab eius vſu & dominio nequaquam dirimendus ſperetur. Quando autem deſierit in Britannia titulus iſte regius:varij varia tradiderunt.Bernardus Guidonius in ſuo põtificali catalogo ſub Sergio primo hæc ad verbum retulit,ſub annum à virgineo partu 688. anno Iuſtiniani ſeptimo:Per idem tempus Ethoal rex Britonum cum per decem annos multis Regulis obuiaſſet, & plura mala illis irrogaſſet, randem ipſis in pacem deueniẽtibus, ſuper Occidẽtales Saxones regnauit annis duobus.Videns autem Britanniam multis miſeriis contritam, regnum ſpreuit terrenum propter æternum: & Romã veniẽs, à papa Sergio baptiſmum recepit, paucíſq; diebus tranſactis lãguore correptus adhuc in albis exiſtens migrauit ad Chriſtũ.hîc ex toto illud regnum antiquiſsimũ Britonum corruit: quod ferè omnibus regnis diuturnius fuit. Nam à tẽpore Heli ſacerdotis vſq; ad hoc tempus per annos 180.concurrit.Porrò reliquię Britonũ in Galliis reſidẽres,non iam Britones,ſed à quodam duce Gallone dicti ſunt Gallenſes:qui nunc Britones appellantur: & eorum regio iuxta Oceanum ſita dicta eſt Britannia minor. Hæc ille.

Qua de re Sigibertus:Maximus in Gallias tranſit: partem Galliæ ſibi ſubditam Britonibus tradit:vnde vſque ad hunc diem minor Britannia appellatur.Maximus quoq; apud Treuerim ſedem imperij ſui ſtatuit, & Gratianum imperatorem Lugduni perimit: fratrem verò eius Valentinianum ſimulato pacis fœdere per triennium Italia expellit.Idque à parta ſalute 385. Idem rurſum ad annum à Chriſto nato 413. Britannorum vires hac tẽpeſtate aſsiduis hoſtium irruptionibus plus ſatis erant attenuatæ,& quia à Rhodanis vndique bello laborantibus nihil ſubſidij habere poterãt, ſubtrahunt ſe ab eorum dominatione,& per annos circiter 78. multis calamitatibus laborauerunt.Inito autem conſilio miſerunt Lundonienſem archiepiſcopũ ad regem minoris Britanniæ Aldroẽnũ vt eis ſuccurreret. At ille tra-

didit eis fratrem ſuum Conſtantinũ cum armata militum manu, ſicque Conſtantinus erectus eſt in regem: regnauitque decem annis. habuit autem tres filios: Conſtãtem, qui monarcha factus eſt, Aurelium Ambroſium, & Vtherpendragon. Hæc ille.

Nõnihil ab his diſsidet Armoricæ, (aut ſi malis, Eremoricæ,) compilator hiſtoriæ: qui telam ita texuit, vt ſtatuat in ea principes regio diademate decoratos tres & viginti. Quibus poſt annos 633. exactis verſum eſt regnum in ducalem principatum. Eorum autem nomina hæc ſunt:

Conanus Meriadocus, quem Maximianus tyrãnus rerũ in Britannia maiore potitus, minori Britanniæ regio titulo præfecit. Erat enim illi arctiſsimo ſanguinis vĩculo attiguus, ac magna neceſsitudine iũctus.
Dictus eſt alter rex, Gradlonus.
Cui ſucceſsit Salomon ea appellatione primus.
Subinde Auldranus. Budicus.
Hoelus deinde Magnus, quem ponè ſecuti ſunt
Hoelus ſecundus. Alanus primus. Hoelus tertius.
Poſt quem pietate & ſãctitate claruit Gilquellus, aliàs Iudicaelus.
Salomon deinde ſecundus.
Cui proximè acceſsit Alanus ſecundus, cognomento Longus.
Poſt hos Conobertus. Budicus item ſecundus.
Theodoricus. Rouuallonus.
Daniel deinde cognomento Drenruſt: hoc eſt rubicunda facie.
Quem mox ſequuntur Aregſtanus, Poſtea Maconus.
Inde vero Neomenius, cuius meminit Sigebertus, in quem animaduertiſſe diuum Maurilium Andegauorum olim præſulẽ ait. quòd ſcilicet clerum hoſtiliter inſectaretur, non aliud quàm prædam ſpe deuorans. Vidit ille in ſomnis diuum Maurilium baculo paſtorali eum ferientem, ex cuius attactu non multò pòſt expiraſſe legitur.
Sequuntur Heruſpogius,
Et Salomon tertius, omnium poſtremus regio titulo illuſtratus, qui à ſuis immaniter cæſus, apotheoſi tandem à poſteritate donatus eſt.

Cui, regno in ducatũ verſo, proximè acceſsit dux Alanus: qui Normanorum ferocia domita eos potenter abegit.

Pontificalem Nanetẽſis eccleſiæ ſedem per id tempus tenuere alter alteri ſuccedentes, Landeranus, Fulcerius, & Adaldrus.

Comprehendit Armorica Britannia ſedes pontificales nouẽ: Dolenſem olim archiepiſcopalem, Rhedonenſem, Nanetẽſem, Macloujenſem quondam Aletenſem, vt Sigisbertus narrat. Cornubienſem, verius Cornugalliæ, Cornouaille. G in V liqueſcente. Venetenſem, Briocenſem, Leonenſem, & Trecorenſem.

Barones totidem numero recipit, Cœnobiarchas vero quatuor & triginta complectitur.

Secernitur autem Armorica Britannia in Gallenſem, Britonizantem, mediámque inter vtrunque idioma communem.

Gallenſes ſunt Dolenſis, Rhedonenſis ſeu Aletenſis tractus ac ciuitates.

Contra verò phraſim Britonicam mordicus retinẽt plebs Cornuvvalliẽſis, Sampaulina & Trecorenſis. Porrò Nanetenſis Venetenſis & Sambriocenſis regionum populi polyglotti ſunt, vtraque lingua familiariter vtentes.

Crediderim (quod pace omniũ dictum ſit, ſuo cuiq; reſeruato iudicio) à brutis alendis Brutaniã dictã. Eſt enim paſcualis terra: & multa

ob eã cauſam oppida nomẽ inde ſumpſerũt:cuiuſmodi ſunt Pulliniacũ à pullis equinis,vulgo Pollignac.Filiceriç,Foulgeres.Qua de re alias.Illud ſatis cõſtat,Rhedones à rhedis nomen habuiſſe,bigis inquã aut quadrigis. Patriam vero Eremoricam dictam ob ſoli in pleriſque locis parũ fœlicis ſterilitatem, alioqui opulẽtam ob paſcuorum vbertatem,ac nauigiorum copiam, merceſque aduentitias: vt quæ penè tota ad peninſulæ modum mari alluitur.Habet ſiquidem formam ſoleæ equinç pelago circũcluſç: niſi ꝗ ea parte qua Andegauos,Cenomanos ac Neuſtrios attingit, terreſtri itinere aperitur.

Ego verò mihi facilè perſuadeo non defuturos pleroſque qui ea quæ mox relaturus ſum, pro paradoxo habituri ſint,plus ſcilicet pendere Angliam ab Armorica, quàm Armoricam Galliam ab Anglia: etiam ſi ex vſu potius quàm ex iudicio receptum ſit Armoricam minorem Britanniam vocari,Angliam verò maiorem. Id autem quod dicimus, nequis inficiari iure queat: ex probatiſsimorum authorum teſtimonio liquet primæuam originem Britannos inſulares à continentis Galliç indigenis habuiſſe. Vrbinatis Polydori de hac re ex probatis authoribus contractum teſtimonium referam.

Britanniam qui mortales ab initio coluerint,indigenæ ne, an aliũde adducti,parum compertum. Quo factum eſt vt iam inde vſque ab antiquis temporibus de ea te authores inter ſe minime conſenſerint: ſuper qua vt ne aliquid affirmãdo, temere fidem meam obſtringam, vel aliquid refellendo, inuidiam mihi patem, hic commodùm illorũ ſententias ordine reperam, ob oculóſque legẽtium ponam,quò aliorũ iudicio, ſicuti in eiuſmodi quæ incerta ſunt,fieri decet,omnia ſubiiciantur: quia hiſtoria rerum geſtarum narratio eſt, non item diuinatio. Caius itaque Iulius Cæſar antiquiſsimus rerum ſcriptor, libro ſuorum commentariorum quinto de bello Gallico, tradit Britanniæ partem interiorem ab iis incoli,quos natos in inſula memoriæ proditum eſſet: & maritimam partem, ab iis qui prædæ ac belli inferendi cauſa ex Belgio in inſulam tranſiſſent, ac eos vbi illuc peruenerunt, bello illato,ibi permãſiſſe,atque agros colere cœpiſſe. Cornelius certè Tacitus in Iulio Agricola id non obſcurè docet,ita inquiẽs:In vniuerſum æſtimanti,Gallos vicinum ſolum occupaſſe credibile eſt. Eorum ſacra deprehẽdas ſuperſtitionum perſuaſione.Sermo haud multum diuerſus.in depoſcendis periculis eadem audacia,& vbi aduenere,in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociæ Britanni præferunt,vt quos nondum longa pax emollierit.nam Gallos quoque in bellis floruiſſe accepimus.mox ſegnitia cum ocio intrauit, amiſſa virtute pariter ac libertate:quod Britannorum olim victis euẽnit.cæteri manent quales Galli fuerunt.

Hanc perſuaſionem augent Bedæ venerabilis commentarii planè aſſerentis lib. eccleſiaſticæ hiſtoriæ primo, Britannos ex continente Oceani accolas tractu Armoricarum ciuitatum Albionem aduectos inſulam primitus occupaſſe,illique nomen dediſſe, cum Albion necdum Britannia appellaretur.A quibus nec ad latum vnguem diſsidet Pomponius Lętus.

Porro quanta inter ſeſe Galli olim & Britanni fuerint neceſsitudine iuncti, ac frequenti commerciorum commutatione vnanimiter concordes,ex Ptolemęi placito promptum eſt elicere:qui tres Gallis cognomines regiones vnà cum ſuis ciuitatibus ad oculum deſignat. Belgarum primùm regionem nõ longe à Vecte inſula ſtatuit,nec procul ab Antona diſsidentem ſub longitudinis gradum vndecimum,la-

titudinis vero quinquageſimum ſecundũ, ex Belgarum cultura & cõmunione ſic appellatam. Quæ eodẽ authore abſorbet Iſcalim, Aquas calidas, & Ventam, haud dubiũ quin ex Belgarũ frequenti cõmunione ſic appellatam. Deſignat pręterea Atrebates Gallici participes nominis, Polo Boreali viciniores, nempe ad gradum tertiũ & quinquageſimum, deſignata illis ciuitate Calcua. Idémque ad ſinum portuoſum, vbi legio victrix à Romanis denominata eſt, Pariſiorum pecuariam ciuitatem primum inſpicientibus offert. Antonam verò oppidũ non procul à Rothomago ſitum, nemo eſt qui ignoret. Vnde & elicere promptum eſt Gallos nonnulla in Britannia oppida condidiſſe, ſedéſque illic diutius tenuiſſe, coniunctis ob mutua conſortia animis. Quæ omnia obliterata ſunt Angloſaxonum odio & æmulatione, ac nimiæ vetuſtatis latebris, cuiꝰ edacitate ipſa etiã monuměta fatiſcũt. Ex his colligere promptum eſt, non tam ab inſularibus Armoricos, q̃ à Gallis Eremoricis Albiones Britannos primæuam traxiſſe originẽ. Quid autem pluribꝰ opus, cum vel ex ipſo nomine Galliam (quã Britanni VValliam vocant) inſulam ipſam, inſulæ pluſquam dimidiatæ iura legéſque dediſſe, atque in hunc vſque diem in ea, ditione perſeueraſſe conſtet? Teſtis proprius Britanniæ encomiaſtes non vno tantum loco Polydorus. ſic enim ille ait:

VValia tertia pars inſulæ iuxta vmbilicum Angliæ ad læuã iacet, quæ inſtar ſinus, quaſi peninſula intra Oceanum excurrit, à quo circunquaque cingitur, præterquam ab ortu, vbi Sabrina flumine terminatur, quod VVallos ab Anglis ſeparat. Quanuis nonnulli recentiores ſint ſcriptores, qui ponant Herefordiam vrbem terminum, vti ſuprà diximus, inter VValliam & Angliam, velíntq; VValliam initium capere apud oppidum quod Chepſtoium vocant, vbi loci amnis nomine Veius, Logo fluuio auctus, ac Herefordiam præterlabens, in mare influit. Is in parte VValliæ mediterranea ex eodem monte, haud ſcio an in eodem etiam fonte, atque Sabrina oritur, quem Cornelius Tacitus, ſicut alibi oſtendemus, Antonam appellat. Nam illuc vſque pertinet ingens maris brachium, quod ab occidente terram intrans, ad dextrã Cornubiam, ad Læuam VValliam abluit. Quam quidẽ topographiam, etſi recentiorem, ſequi nõ piget. Igitur VVallia à Chepſtoio oppido, vbi initium ſumit, recta ferè linea, parum ſupra Salopiam vſque Ceſtriam oppidum, in aquilonem verſus extenditur. In hanc Britannos illos qui poſt amiſſam patriam cędibus ſupetfuerant, ſe ad extremum recepiſſe memoriæ proditũ eſt, illícque partim montium, partim ſylueſtrium locorum ac paludum (quibus ea regio maximè conſtat) perfugio tutos, ſedes ſibi locaſſe, quas etiam nunc tenẽt. Hanc terram deinde Angli VValliam, & ipſos Britannos eius incolas homines VVallos dixerunt: nam apud Germanos VValſman, ſignificatur exoticus homo, hoc eſt qui aliam à Germanis habeat linguam: VVall enim eorum lingua vocatur alienus, qualis eſt Italus, vel Gallus, qui lingua differunt à Germanis: Man vero homo nuncupatur. Angli igitur Germaniæ populi Britannia potiti, Britannos qui patriæ excidio ſuperfuerant, patrio more appellarunt VVallos, quòd aliam à ſua haberent linguam: & ipſam terram quam habitabãt VValliam: quod nomen deinde tam genti quàm terræ remanſit.

Sequitúrque ex eodem: Quarta & vltima pars, quam Cornubiam appellant. Hæc ab eo latere inſulæ incipit, quod vergit ad Hiſpaniam atque occidentem ſolem, & in orientem verſus patet millia paſſuum 90. parúmque vltra Fanum Germani extenditur, qui quidem pagus

eſt ad dexterã in littore non incelebris,vbi loci eius maxima latitudo eſt 20. millium paſſuum. Nam hæc particula terræ ad dexteram littore Oceani, ad læuam illo brachio maris, quod,vt diximus, terram intrat vſque Chepſtouum, diſtinguitur, & formam cornu accipiens, primò anguſta, deinde latior excurrit parum vltra ipſum Germani Fanum. Ab oriente finitima eſt Angliæ, ab occaſu auſtro, à ſeptentrione Oceanum circunfluum habet. Terra admodum ſterilis, fructum magis ex cultorum induſtria, quàm ex ſua bonitate præbet: ſed fert vbertim plumbum nigrum & album,hoc eſt ſtannum, in quo effodiendo maximè conſiſtit vita incolarum. In ſola hac inſulæ parte etiam ad hoc tempus perdurat natio Britannorum, quæ à principio ex Galliis aducta inſulam occuparat, ſi illis credimus, qui vt infra oſtendetur, memoriæ prodiderunt ex Armoricis ciuitatibus primos Britanniæ habitatores eſſe oriundos. Huius rei argumẽtum eſt, quòd qui Cornubiam incolunt, eandẽ habent linguã, atque vtuntur etiam nunc in Galliis illi inter Britannos, quos Britones Britonantes vocitant. Facit etiam fidem antiquiſsimus annalium codex, in quo inueni ſcriptum, non Cornubia,ſed Cornugallia, vt inde compoſitum ſit nomen,à cornu, cuius, vti demonſtrauimus,hæc regio formam habet, & à Gallia, à qua primos accepiſſet incolas:cuius quidem nominis ratio neutiquam diſplicet. Lingua autem ipſa lõge alia eſt ab Anglica,cum VVallica vero nonnihil affinitatis habet: quoniam multa ſunt rerum vocabula in vtraque lingua communia.

His Polydori in ſua Anglia prologumenis ſi adhærere facias Britannicam tabulam recèns editam ſuis dimenſam gradibus, planè inuenies inſulam illam plus dimidio eſſe Gallicam, comprehenſis nimirum duabus partibus, Cornugalliæ ſcilicet, quam Cornubiam vocant, quæ & ipſa eſt Britonizanti noſtræ Britanniæ homonyma, & VValliæ, aut, quod idem eſt, Galliæ Anglicanæ regionibus. Porrò Gallia ſiue VVallia in duas ſecernitur partes, videlicet Suthvvalliam, quæ Auſtralis, & Nortvvalliam, quæ Borealis eſt Gallia. VVallia iſta ab Herefordia ad Dauidis Fanum in longum protenditur, authore Vrbinate. Cornugallia verò eodem teſte ab inſulæ vmbilico ad Samburianum templum in longum protenditur quatuor graduum cœli prorogatione: hoc eſt à decimoquinto gradu longitudinis, ad decimum nonum,& gradibus penè quinq;,nempe à decimoquatto: cum tamen extenſio tota totos decem gradus attingere nequeat ab ortu ad occaſum. Quo fit vt ad inſulæ totius medietatem Galliæ cornu citra ambiguum perueniat. Iam ſi vtranque Galliam ab Auſtro in Boream metiaris, nempe à Croceſtria ad Ceſtriã, habes deintegro gradus quatuor, hoc eſt à quinquageſimoprimo excluſo ad quinquageſimumquintum. Ex quo promptum erit Galliæ illius Anglicanæ longitudinem latitudinémque metiri, ita vt cuiq; gradui ſexaginta milliaria reſpondeant. Patet enim ſeu in longum ſeu in latum vtriuſque Galliæ area ad trecenta paſſuum millia: leucas videlicet bimilliares centum quinquaginta: trimilliares verò ducẽtas ab ortu ad occaſum. Ab Auſtro in Boream tribus extenſa gradibus: & paulo amplius centum octoginta paſſuum millia, vt minimum ſequamur, continet, leucas vero bimilliares nonaginta, trimilliares autem ſexaginta. Cum igitur proprio eorum idiotiſmo Man virum ſignificet, Land vero terram: vt cum dici ſolet Scotman, intelligendum eſt homo Scotus: & Scotland, Scoticam terram ſignificat: vnde & Normanus, ſeptentrionalis homo eſt: & Gotlandia terram ſignat Gotthicam: ita

Vvallandia ſuo idiotiſmo nihil aliud ſignat quàm terram Gallicam. Vnde & illius terræ cultores, Guallandi meritò appellari debent: qui noſtro vſu dicerentur Gaulloys: quos, vſurpato ab eis vocabulo, dicimus Gallandz, terræ apud eos cultores Gallicę ſeu Vvallicæ.

Habet & ipſa ſuam ſeiunctim gens Vvallica linguam, cuius ſolum his veluti lineamentis in ſua coſmographia Munſterus ad hunc deſignat modum:

Vvallia quæ Cambria, & populi Vvalles, in Cornubiam ſiue Cornuvvalliã, quæ ab ipſis Cornouaille dicitur: Nortvvalliam, Suthvvalliã, & Vveſtvvalliam. Nortvvalles ſunt qui verſus ſeptẽtrionem habitant, dicti ab aliis Nortgalles: Suthvvalles vero qui in meridiem vergunt: Vveſtgalles, qui ad occidentem. Addit etiam Anglicam linguã mixtam eſſe ex multis, Germanica inquam & Gallica. Quod planè atteſtatur Gallos etiam populariter inhabitaſſe Britanniam illam veterem. Neque id mirum videri debet, cum vix vlla ſub cœlo reperiatur regio in qua ſui incolatus manifeſta veſtigia non reliquerit. Fuit enim quãdo Francogręci dicerẽtur imperatores Cõſtantinopolitani, multi ſanè è Gallica gente apud Byſantium. Hieroſolymis item non pauci rerum potiti ſunt imperatores. Id palam agnoſcit in rè Gallica Æmilius, hæc apud Ioannem regem pronũtians in perſona Heduardi Angli Vvalliæ principis:

Maiores tui terra marique præclara facinora geſſere. Tota Europa, totus Oriens, omnia propinqua, omnia longinqua, referta ſunt tro phæis victoriiſque Francorũ. Pietatis religioniſque cauſa, & nominis Chriſtiani dignitas amplitudoque, à vobis aduerſus validiſsimos opulẽtiſsimoſque duces impiorum Imperatoreſque defenſa adauctaque eſt. Nulla monumẽta non inciſum habent tuorũ nomen. Nulla ætas non prædicabit grata recordatione laudes veſtras. Nulla gens non fatetur, Francis ſe aliquando debuiſſe. Nulla nõ ſperat ſe aliquando beneficio incrementoque accepto debituram. Nec à recta aberrauerit qui Gallicum nomen in omni quę in Europa eſt natione aliquando regnaſſe dixerit. Regnat enim in Luſitanis Portugallia, in Heſperiis, Gallicia in Pyrenæis olim Cantabria, in Italia Ciſalpina Gallia, Aſiæ parte Gallogræcia, atque adeò in Germania Celtogalatia vſque ad regia ſtemmata triumpharunt, inque his hodie partibus magna ex parte triumphant. Gallouidia in Scotis, in Galliam inclinans, diui Amiani præſulis è media Gallia nati patrocinio gloriatur. Proferrem in medium regnorum in Gallia noſtra diademata duodecim quę ſub Arthuro illo ſuo Britannię nõnulli encomiaſtę audentius forte quàm verius numerarunt, niſi quòd illic aſſeruntur nõ pauca ſupra cõmunẽ hominum fidem, & contra quàm vulgo credatur enarrata. Neque id quidẽ immerito, cùm rerum geſtarum immenſam penè copiã ætatis breuiuſculæ anguſtiis concludi poſſe, communem hominum ſenſum fidemque ſuperet.

Illud itẽ reſtabat, regnorum illorũ duodecim quæ Arthuro in Gallia ſeruiiſſe dicebãtur, limites certos ciuitateſque & archiſolia ſpeciatim deſignare. Quo fit vt nõ abs re Anglię illuſtrator Vrbinas ex Neu burgo authore, recte in literas retulerit: Quidã noſtris tẽporibus pro expiandis iſtis Britonum maculis ſcriptor emerſit, ridicula de eiſdem figmenta contexens, eóſque lõge ſupra virtutẽ Macedonũ, & Romanorum impudenti vanitate attollẽs: Gaufredus hic eſt dictus, cognomine Arthur⁹, pro eo quòd multa de Arthuro ex priſcis Britonũ pigmentis ſumpta, & ab ſe aucta per ſuperductum latini ſermonis colorem

rem, honeſto hiſtoriæ nomine obtexit. Quinetiam maiore auſu, cuiuſdam Merlini diuinationes falſiſsimas, quibus vtique de ſuo plurimum addidit dum eas in latinum transferret, tanquam approbatas, & immobili veritate ſubnixas prophetias vulgauit. Hæc ille. Hoc igitur loco præſenti inuitatus occaſione, mea intereſſe putaui, vt vana quædam quæ de Armoricis proceribus nonnullis commenta circunferuntur, leui manu refutarem. Primũ (vti animaduertit Polydorus) delirio perſimile eſt quod quidam audentius, quàm verius euulgarũt, Arthurum Britannum, Saxonum domitorem, Scoticæ ſubactorẽ gentis, Galliæque totius ex vnica per duellũ parta victoria, dominum ac poſſeſſorem fuiſſe. Quin & vrbis Romæ imperium ſpe deuoraſſe. Denique quòd Dacos, Noruegos, cæteráſque ad ſeptentrionem ſepoſitas gentes, regni in ſe recepto titulo ſub iugum duxerit. Non enim illi ad hæc tam ardua perficienda negocia iuſti menſura temporis ſupereſſe potuit, quem in primo ſuæ iuuentutis flore periiſſe conſtat. Pari nota inurendus eſt Eremoricę encomiaſtes Britãniæ plus quàm mythologicus, qui reſtagante temporis ratione, Brennum quendam natione Britannũ; ac non potius Senonem Gallum eum fuiſſe dicat, qui Gallorum ſtipatus exercitu, ſub cuius ſignis ſtipendia longo tempore meruiſſet, vi ſuperatis Romanis tributum imperarit. Hunc errorem à Polydoro Vrbinate refragante temporis ratione confutatum lego. Nam quòd alio loco ex vnico Gallo duos Brennos facit, vnum qui Romanis, alterum verò qui Græcis negocium fecerit: id extra fidem eſt: quandò nullus aut chorographus, aut cuiuſuis ante eum ſcriptor hiſtoriæ, fictitium tale commẽtum vel de ſomnio cogitauit vnquam.

Id quoque nec ſilentio prętereundum cenſui, inſulares omnes Albionenſes primum, deinde à Bruto Britannos, demúmque Angloſaxones, aut Gallos fuiſſe, aut Galligenas. Neque enim ex inſula ad continentem, verùm potius ex continente terra ad inſulam potuit eſſe tranſitus. Primi itaq; cultores qui Albionem incolerẽt, Galli ex Eremorico littore fuiſſe credendi ſunt. Id quod nec Beda ipſe Anglicæ gentis illuſtrator audet diffiteri: Quo fit vt poſteritas omnis Galligenarum nomine cenſeatur. Dicendi itaque veniũt ex primæua origine VVallmani: hoc eſt, Gallici homines: non (vt diſsimulãter Polydorus ait) alieni homines. Et terra VVallandia dicenda venit, id eſt Gallica: vt quam primi poſt homines natos Galli incoluerint. Non negauerim tamen Albionenſes Galateos in Britannorum ac deinde Anglorum nomina degeneraſſe, vnde & Eremorici poſtea Britones dicti ſint, vetuſtis ſcilicet colonis demigrantibus in hanc de qua ad præſens agitur Britanniam, cum eos, Angloſaxones, iure violato hoſpitalitatis, ſolo cedere cõpuliſſent. Quin, quod magis mireris, bona inſulæ pars, etiamnũ Galliæ, atque adeò Cornugalliæ titulum nomẽque retinet: id quod ex ſuprà recenſitis notius euadit.

Quandò vero hanc de recipiẽdis refutandíſve hiſtoriæ præſertim Gallicanæ enarratoribus aream ſumus ingreſsi, cogor ipſe ego, mecum nonnulli, in Æmilio Paulo deſiderare eloquentiæ ſuæ terſæque dictioni reſpondentem animi aut candorem, aut ſyncerum affectum, aut certè (quod credere malim) accuratiorem in Gallicæ gentis primaria inueſtiganda origine diligentiam, parémque in topographica ratione deſignanda curam ac ſolicitudinem. Veniet (ſpero) qui neglecta ſupplebit. Nec minus deſiderari iure poteſt in Robерto Gaguino, vt ad fluorem eloquij dictioníſq; latinæ facilitatem acceſſerit

etiā recta chronographiæ ratio: quam neglectam non abs re in locis quibuſdam deſideraſſe legitur vnà cum Æmilio Bochetus. Cui nimirum Bocheto ſi ſuā de re Gallica enarrationē accuratiſsimè contextam,& magna fide fultam,adhibitis in ſuā rem certiſsimis ad faciēdā fidē indiciis ac teſtimoniis, venuſto quodā latinæ elocutionis ornatu veſtire & expolire cōtigiſſet,adiecta inſuper Galliæ topographia: vix aptius quicquam atq; abſolutius gēs ipſa Gallica in ſuo ære (quod ad rem de qua agitur pertinet) conſequi potuiſſet. Quod quidem bona omnium venia dictum,acceptúmq; velim.Neque enim tantillo mihi licere auſim de his tam grauibus reconditiſsimæ lectionis authoribus temere quicquam iudicare: ne id vel inuitus cogar audite: Aduena huc acceſsiſti,nunquid vt iudices?Et rurſum: Quis te conſtituit iudicem ſuper nos?Habeāt ergo hæc,monitoris potius, quàm iudicis aut cenſoris apud lectoris animum vicem, ſi quis tamen erit qui iſtæc legere dignabitur.Sed vnde abetrauit digreſsio, redeundum eſt.

Gene.19. Exo.2.

Habuit & ipſa Gallia in Aquitanicis partibus olim ampliſsimum in ſuo ordine regnum,non minus ſoli fœcunditate, rerúmque opulentia omnium quæ ab homine quopiam deſiderari poſſunt, atque ingeniorum fœlicitate, artiū inſuper omniū ſcientiarúmq; varietate, ac(vt ſic dicam)copiæ cornu,quàm ipſa etiam veneranda antiquitate nobile. Bochetus (vir certè in eorū ſtatuēdus numero, qui cum lectione multa,clariſsimi etiam argutiam iudicij coniunxerunt) author eſt,à primæua nominis Gallici memoria, Aquitaniam regij honoris diademate expolitam fuiſſe, & magnifice decoratā. Habuit ſuos Aquitania reges ex quo Romanorum iugum à ſeſe excutere cœpit,numero quatuor & viginti, quorum nomina hoc ordine ſubſequuntur:

VValhas. Theodoricus. Tutiſmundus.
Theodoricus 2. Foricus.

Alaric⁹ 2.ex genere Viſigotthi ab orthodoxa fide deuij, & Ariana labe contaminati.Alaricū non ſine certiſsimo numinis afflatuvnà cum Arianæ ſectæ delirio Clodoueus protochriſtianus & regno & vita priuauit.Ex quo tēpore nulla vnquā hæreſeos labe laborauit Aquitania.

Fuit igitur Clodoueus Aquitaniæ rex ſeptimus: quem hi hoc ordine numeróque ſequuntur:

Clodomirus. Clotarius.1. Guntrannus.
Sigibertus. Childebertus, Et cum Theodorico
Theobertus. Subinde Clotarius 2. Heribertus.
Dagobertus. Clodoueus 2. Clotarius 3.
Carolus Tutides ſiue Martellus. Pipinus Puſillus.
Carolus re & cognomento Magnus. Ludouicus Pius.
Pipinus 2.

Carolus Caluus:quo duce & authore,Aquitaniæ regnum in ducalem principatum defluxit.Incidit autem iſtud in annum ab orbe redempto 852. Quo ſcilicet tempore rex Francorum Carolus Caluus, nepotum Pipini & Caroli domita ſubactáq; ferocia, bello captos detōſa capillatura in arctum monaſterium detruſit: versóque in ducatum regno,Ranulphus (ita rem texente Caluo)ſub titulo ducis Aquitaniç præfuit pro ea potiſsimū parte,quà Garumna in mare delabitur:quæ Guienna ceu Aquiemna ab aquatum lacunis appellata eſt: aliàs Vaſconia.Indicio eſt oppidum vocatum Capdeſtan, hoc eſt,lacuū ſtangnalium caput.Eſt & aliud oppidum vulgo appellatū Capſieux,quaſi ita dixeris, caput ſyluarum.

Seſe nouiſsimè offert regij diadematis in Gallia titulus, quod yue-

toti regnum appellant, ex atroci Clotarij regis in eum quem diximus yuetotum virum ſua ætate rerum geſtarum memoria nobilem illata iniuria præter ſpem quæſitum. hic cũ egregiis ſuis in ſacro bello præclarè geſtis facinoribus, Clotarij ex falſa opinione ſubortum furorem mitigare ſtuduiſſet, impetrato commendatitio à ſede apoſtolica ob eam cauſam diplomate ad mitigandam vetuſti rancoris memoriam, penitúſque obliterandam: poſthabita diei qua Chriſtiani agonis toto orbe Chriſtiano recenſetur memoria, ac omnibus piis communi reuerentia: eo ipſo die tantum abfuit vt eorum quæ dicta ſunt rationem Clotarius haberet, vt ſupplicem yuetotũ inermem arrepto ſtatim gladio confoderit. Permouit pontificem indignum horrendúmque facinus, adeò vt in ſceleris à rege commiſsi vltionem edicto caueret: vt in poſteras retro nationes tractus ille ditioni yueoti dũ viueret ſubiectus ac ſuppoſitus, regio deinceps titulo decoratus permaneret, liber in poſterum futurus ab eaquæ regibus de more debetur operarum tributorúmve præſtatione. & hoc eſt quod hodie vocant yuetoti regnũ. Hactenus de regiorum in Gallia titulorum diſtributione dictum ſit.

DE GALLIAE TOTIVS PER FLVVIOS QVIBVS alluitur diſſectione ſelecta perioche, libri huius ſecundi numero tertia.

HVCVSQVE diſtinximus vniuerſam olim in regios titulos diſtributam Galliã, vt diſſecari ſolet corporis caput humani in verticẽ, frontẽ, cilia, oculos, auréſque & labra, & quæcunque caput circunſtãt organa. Nunc veluti corpus in neruos ac venas & etiam ſanguinis humorúmque ſubtiles tenuéſque alueolos diſſecanda nobis eſt per ſuos (vt ſic dicã) nauales portus, aquarum ſcaturigines, ſtagna, lacunas, aquæductus, ac fluuios. Qui cum ab ortu in occaſum magna ex parte, vario tamen tramite decurrant, in Borealem partim Oceanũ, partim vero in Auſtralem plagã mediterranei plagi, hoc eſt in mare ſuperũ & inferũ: ab orientali ſcaturigine ſumendum nobis videtur exordium.

Extenditur Gallia à mari vſque ad mare, nempe à ſeptentrionali ad Auſtrale: à littore ſcilicet Belgico ad Narbonenſis Galliæ oram in longum protenſam: & à flumine Varo, qui ſuo alueo Italiam à Tranſalpina noſtra Gallia diuidit, vſque ad terminos orbis terrarũ. Terminos voco, Gobeum in Armoricis promontorium ad Boream, & templum quod Veneris appellãt, ac montium Pyrenæorum crepidinem: ſeu (ſi mauis) à Saliuncano portu, quod hodie vocant Sainct Pol de Leon, ad Salſuſas, vulgo Saulces appellatas.

Vt autem vetera noſtro vſu conſuetis nominibus quantum anniti poſſumus reddamus, templum illud Veneris dictũ, id eſſe nunc intelligitur, quod vulgo Capdecreux nautæ appellant: quaſi dicas caput crucis. Idque obiter dicã, Galliã noſtrã concludi Adula mõte, qui & Diaduella dicitur, diui Gothardi mõtem Cineſiũque dextra læuáque complectẽte, ab ortu, & Pyrenæis mõtibus ab occaſu. Cui & illud adiungã, cõmuni virorũ expertorũ ſententia duos eſſe in tota Gallia ciuitatũ limites, Eburodunũ inquã ſummo loco in tota Europa conſtitutã ciuitatẽ, vulgo Embrun: idque apud Brigantios, aliàs Brixãtes, vulgo Briãçonnois. Alterã, infimo in tota Gallia loco ſitã Narbonã.

Pars autẽ fluuiorum omnium (vt ad rem veniamus) in Oceanum ſe exonerat, pars altera in mediterraneũ mare defluit. Dextrá tenent Rhenus totius Galliæ ab ortu fluuiorũ princeps, eiúſque limes extre-

mus,in quē decurrunt,Moſa,Moſella,quæ aliàs Obrinca dicitur, gal. le Rhin, Meuſe, Moſelle:& ad Oſtia Rheni VVallis,non obſcuri nominis fluuius. A Vogeſo mōte Lotaringiæ Moſa Moſellaq; ſcaturiūt, Rhenus vero à Rheticis Alpibus, non procul à fonte Rhodani, contrario tamē aluei progreſſu. Rhenus enim ad Boreā, Rhodanus autē ad Auſtrū ſeſe exonerat. Eſt item Rhenus lacuū vicinia mirè fœcundus,nempe Conſtātienſi, Turegienſi,& Bernenſi, & eo qui Lucernæ lacus vulgo dicitur,præter eum quē appellant Valdeſtadiū. De Rhodano ſuo loco diſſeretur. Huius Rhenani excellentia fluminis cum ex aliis plurimis, tum verò ex hoc potiſsimum deprehenditur, quòd quas alluit ciuitates, magnificis titulis exornat. Eſt enim epiſcopatus Curienſis ſummus, quòd fontibus Rheni proximè hæreat: Baſilienſis amœniſsimus, nobiliſsimus Argentinenſis, quòd nemo illic in ſacrū ſodalitium admittatur niſi princeps,comes,aut baro,ex auis aut proauis ſedecim nobiliter progenitus. Spirenſis religioſiſsimus, auctoritate præſtantiſsimus Moguntinus, opulentiſsimus Colonienſis, Treuerenſis vetuſtiſsima antiquitate nobilis. At verò amplitudine Conſtantienſis ſuperat reliquos,longo etiā interuallo, vt qui mille octingentas parochias,monaſteria quadringēta vno captu abſorbeat. Sed & Rheni in Conſtantienſi tractu ſupra communē hominis captū gloriam auget lacus Conſtantiēſis,qui & Podamicus, & Brigantinus appellatur. Immenſa amplitudo ſeptem milliaribus extenſa in longum: in latum vero propemodū tribus. Nam præter ſuā amœnitatē,caſtellis,oppidis, vicis quamplurimis ambitur, ita vt neſcias amœniór ne ſit,an fœcundior,aqua perſpicua,omnis generis piſcium copia ſcatēs. Si de profunditate requiras,ad orgias trecentas ſubſidere deprehēditur. Inſulas alluit,Diuam inquam,& maiorē Augiam. Dicitur & Acronis lacus, ab aëris temperie. Sunt qui Acronium lacum dictum putent,quòd nuſquam in obliquitatem deflectat. alioqui Cronātzee aquam obliquam interpretantur,& Lantgenzee aquā lōgam. Sic fit vt dicatur Acronius,obliquitate carens. Vincit opinio dicentium Acronium potius quàm Acromū dici debere,ꝙ maximè ſit incōgelabilis. Dicitur itaq; lacus partim Podamic*, partim vero Brigātinus: deinde Conſtantienſis,pro altera parte Venetus: & ab adiacēte oppido Cella,lacus Cellenſis. Vt ne illud omittā,quòd decē in ambitu fluuiis vndecunq; augeatur æſtiuo magis tempore ꝙ̄ hyberno,ad nouē cubitos præter morē cōſuetū,haud dubiū quin ob liqueſcētes æſtate niues. Et ob eā cauſam Rhenus illuſtrior euadit, ꝙ ſuis vndis oppida & caſtra penè innumera alat & foueat. Augetur idem Rhenus à parte Gallica Elzate fluuio: qui Argentinā pertingens, à Rheno abſorbetur. Vnde & Elzatia dicta eſt inſignis Lantgrauiatus, in quem fluuium innumeri penè amnes decurrunt ex Vogeſo monte ſcaturientes. Tribus autem oſtiis in Gallicū pelagus ſuas euomit vndas: quorum primum occaſum verſus,referente Ptolemæo,ad longitudinis gradus 26. cum tribus penè quartis ſitum habet: aliud ad gradus 27. Tertium vero 28. Sed hinc digrediendum eſt,& ad alia properandū. Moſam ac Moſellam flumina per ſe quidem nobilia, ſuo carmine egregie illuſtrauit Auſonius Gallus. Locupletatur autem Moſella fluminibus magnitudinis minimè contemnendę,Sella inquam à Lindio lacu prodeunte, ſale piſcibúſque ditiſsimo,Saráq; fluminibus. Qui duo ſuis alueis vaſtum regnum intercipiunt. Moſellæ etiam occurrunt Morta Mortanáque fluuij: quibus aucta,apud Confluentiā in Rhenū ſeſe magno exonerat impetu. Eſt aūt Confluētis appellatio multis ſeu oppidis ſeu

ciuitatibus communis:id quod cernere eſt Baſileę, Argentorati, Moguntiæ,& Vlmæ: quin & apud nos in Sequanæ Matronęque fluuiorũ coitu oppidũ Confluentiæ viſitur,vulgari noſtro Conflans appellatũ. Operoſum nimis foret,reliquorum quæ Moſellam fluuiũ ingrediũtur recenſere nomina.hæc igitur digitis extremis deſignaſſe ſufficiat.Sub his fluminibus Occidẽtem verſus enumerat Ptolemæus Thabudã & Phudrim,ſub quorũ tecto velamine recẽtiora nomina ſi quis fortè requirat,ex graduũ cœli poſitura facilè agnoſcet Thabudę nomine Scaldim,Phudris vero Sabim, aliàs Sambtã Samarámve intelligi, à cuius alueo medio dictum ſit Samaracũ : quod nunc Camaracum vocant, & Sambray potius quàm Cambray:niſi quòd quidam alludunt ad cameram principis ex etymo.

Hic interim ſeſe offerunt nõnulla digna notatu vocabula, obitérque occurrentia oppida,priuſquam eorum quę enumeranda ſunt fluminũ alueos proſequamur. Flandria(vt hinc ordiar)à Flandeberto priſco nuncupata creditur : quæ poſtmodum Ruthenia dicta ſit, pars ſyluæ olim Carbonariæ:quam etiã Meierus Menipiſcum appellatam autumat,aliàs Menapiſcũ,à Menapiorũ gẽte, ſeu à Menapo Morinorũ pręfecto.Idẽ Scarbũ fluuiũ in Attebateſio cõſtituit: Anchinũ verò ad littus Scaldis fluuij.Auxiacum autẽ vulgò Auchi,ad littus Vellulę. Corteriacum ad Legiæ fluuij ripã. Guiſnas vero maritimas facit gal. Guiſnes.Cantianum Gandauum appellat: à Caio Antonio, cuius loci accolæ priſco vocabulo Gordunij vocabantur. Viroujacum, corruptè Veruiacum, Veruain.Arenacium, Aire.Niuigellã, Niuelle. Pontemſcaldis,Valentianas. Helnoniam ſyluam, quæ nunc appellatur Kerci.Centelæ cœnobium, nunc Phanũ Richarij. Broyllum monaſterium,Bruel.Monaſteriolũ caſtrũ,Monſtreul.Othonianam foſſam, imperij quodam limitem, Othonne. Cæterùm de Hiſdinio caſtro illud occurrit dicendum, quòd non admodum pridem Philippus audax appellatus, Carolo quinto Francorũ regi fraterno ſanguine iunctus illud extruxit, non tam in propugnaculi formam,quàm in amœnitatis domicilium.Id quod antiquæ ruinæ teſtantur, luſtrúmque ferarum proximè illi adiacens.Inter hoc & oppidum Hiſdinienſe, vulgò Hedin,interiacet tenuis quidam fluuius, molaria ſaxa circumuoluens, oppidanorum multuræ deſeruiẽtia.Riuúſque appellatur Haltenſis, vulgò Haultie:cui hæret Haltenſis comitatus: qui vulgato nomine dicitur Hauſi.

Illud penè omiſerã, quod de ſylua vulgo Carbonaria dicitur, exactius diſcutiendũ,quòd ſcilicet verius appellari debeat à Cãbrone vetuſto duce Cambronaria,hoc eſt, Cambroniere,non item Charbonniere, quæ aliàs Hercynia ſeu nigra ab obſcuritate appellata,ſyluã in ſeſe Arduenã comprehendit : aut certè pars eſt Hercyniæ ſyluæ. Alia enĩ eſt trãs Rhenũ Hercynia dicta,Germanicè Schufvvoart. Cui pręfuerunt ſub Pipino principe ij qui tũc tẽporis Arduenі foreſtarij vulgo dicebantur,poſtea à Flandeberto Flandri,aut certè à Flandra Clotarii Francorũ regis filia.Prius autẽ appellabatur Menipiſcus, & quadantenus Ruthenia ab aduenis Cimbris, qui maris Oceani littora tenebant,aliàs Rutilii.Fuit autem Flandebertus littoralis Flandrus,qui pulſo Holdino, eius nomen ſuppreſſit & germen.

De nomine Gãdaui varia referuntur.quidã Gottheos dictos fuiſſe credunt, VV gemino ſonãte pro G,hoceſt, VVant pro Gant:& Gãtoys pro Gotthoys,vt iidẽ cenſeantur Gantenſes & Gotthenſes. Alii ſuſpicãtur dictos Gãdẽſes à Caio Antonio : idq; ominãtur ex vetuſta

ſculptura,in qua legitur.C.Ant.trūcatis vocabulis Caium Antonium deſignantibus.Aiunt inſuper eos qui hodie Cleuēſes dicuntur, ſic appellatos à clauis quas geſtabāt Guinenſes iuſſu Rodolphi, quaſi dicas Clauenſes,qui clauas geſtarēt: nunc verò Cleuenſes. Hæc de priſcorum nominum energia.

De Scaldi fluuio nunc differendū. Vulgus Leſchault vocat. Pōte traiicitur apud Valentianas:quas pontem Scaldis Meierus appellat. Eā vrbem nonnulli Vallē dixere Senonū,quaſi ita dicas Valſene. Quidā Vallem antiquā dici coniectant, vt ſi quis diceret Val anciēne. Vallē alij cygnorum augurantur. Valentinianam vero ciuitatē, rei narrator Hannonicæ pleno ore pronuntiat. Vtcunque ſit,conſtat Scaldim ſub Valētiniana ciuitate à parte occidua augeri flumine Scarpeto nō admodū procul à Bouinis,vulgo Boins, diuiq; fano Amādi. A meridiano cardine Enderus fluuius in eū delabitur tribus penè comitatꝰ fluuiolis. Ab ortu Zymia in eū defluit,Bruxellam alluens. In quem etiā Dela, Machliniam mediam ſecās, ſeſe præcipitat. Burnia vero amnis his ex diametro oppoſitus Scaldim ſubintrat. Letha, Mæādro admixtus, vnà cum Lieua Caltaq; fluminibus non procul à Gādauo Scaldi admiſcētur,non tam fluuiū q̄ ingentem lacum conſtituētes, mediam ſuis vorticibus alluentes inſulam. Adnumerat inter fluuios Flandriæ Teneram Meierus fluuium:vnde & Teneramunda dicta eſt. Vnde & Alloſtenſis ager Scaldi Teneráq; concluditur. Idémq; Scarbi meminit Meierus fluuij,Marcianenſis cœnobij alluuione clari. His ad Occiduam plagam ſubiacet in Atrebateſio Liſa,aliàs Legia, vulgato nomine le Lis,in Gandauum decurrēs, qui Scaldi iunctus foſſam quandam vaſtam potius quàm fluentū aliquod cōſtituit. Eſt ſuper hæc omnia,Noua foſſa, extremus Flandriæ limes: ne facilis è Cameraco in Flandriam pateret acceſſus. qua de re ita ſcripſit Meierus:

Timore huius Henrici Baldouuinus (ſic enim ſcribūt) princeps in Flandria occidentali magnam duxit foſſam pertingentē à Comitatu Lenſenſi vſque ad mare, ne poſthac tam facilè alicui Imperatori in interiorem Flandriā pateret irruptio. Eam foſſam à nomine ſuo Boulanam appellaſſe dicitur. Foſſam nouā nūc vocant Flandri, quā tamē in nonnullis memoriis haud ſpernendis dictam reperio Foſſam veterem. Ipſa hodie Atrebates ea parte à Flandris,linguámque Gallicam à Teutonica diſterminat.

Secernit autem Teutonicam à Gallica Flandriam:in cuius Gallicę tractu ſunt Tornacum in Neruiis, in Aduaticis Duacū, Orchiarúmque & Inſulenſe oppida. Habet autem Flandria maritima, pro lacubus portus:vti Germania pro portubus lacus. Inter portus enumerātur Scluſa,Oſtenda,Neoportus,Dunkerka,Grauelingua,Guyne,(vulgo Guynes) & Mardico.

Eſt & Damum ſiue Damenſis portus (ſi Meiero creditur) nil aliud quàm foſſa manufacta, inque milliaria duo Flandrica prorogata,nēpe à Damo vſque ad Scluſam:nec niſi concitato æſtu nauigabilis.

Adiacent huic flumini Virouiacum, nunc Veruiacum, gal. Veruain. Minoriacum item, quam minorem villam iure appellare poſſis,Moindreville. Ariam nunc nuncupatam Meierus autumat, gal. la ville D'ayre.

His adiacet Enula, Vatano cœnobio attigua, Fanóque Audomari: quod olim Sithiuenſe oppidum dicebatur, nunc Sambertiniacum: antea vero Sithieu.

Porrò hi quos enumerauimus portus,vnà cum Antuerpia,totáque

ferè zelandia æſtu maris agitatæ, multis non infrequenter ſubiacent incommodis: quæ cum alias, tum verò annis antea non paucis pars Flandriæ non modica pertulit, rerũ videlicet hominúmque ſtragem iacturamque grauiſsimam: idque ſub annum 1530. Quod autem mirum videri poſsit, imminentem cladem euaſit, præter totius viciniæ expectationem Bitflet inſula. Quæ cum æſtuoſiſsimo mari alluatur quod ab inſania nomen ducit Dullatt (quod nomen, veſanum ſignat) ſola tamẽ periculnm euaſit: vt diſcant omnes, mirabiles quidem eſſe elationes maris: magis vero mirabilem in altis dominum.

De Geſſoriaco Morinorũ portu rectè cum Meiero dixerim verè dici Boloniam maritimam, à qua ad Douerium portum Angliæ breuiſsimus eſt traiectus. Geſſoriacum autem nauale (quod falſo Gandauum Bilibaldus affirmat) potius crediderim eſſe Caſtellum, nunc Caſletum. Sunt qui alio nomine Petreſſam vocant, & Scalas vulgo Scales. Porrò ex Boloniæ ſitu facile eſt coniectare an Iccius portus dici debeat. Qua in re ne quis hæſitet, illud ex Strabone ſciendum, interiectum maris ab Iccio in Angliam, trecenta viginti nec amplius ſtadia complecti: quæ ex æquo cõſtituunt milliaria 40. Porrò tabulæ recentiores deſignant à Bolonia ad Douerium milliaria Anglicana 16. nempe Italicis longiora. A Caleſio vero 18. Quo liquidò conſtat, à Bolonia in Angliam traiectum eſſe breuiſsimum. Differunt itaqne portus Geſſoriacus, & Geſſoriacum nauale: quod noniſsimum ſi quis Caſletum dixerit, nolim cum eo contendere.

Eſt (vt ne illud omittam) in ditione Flandrenſi Hãnia fluuius: vnde & Hannioniæ nomen detractum eſt: vti ex annalibus loci illius deprehẽditur, octo paſſuum millibus à Belga ſeu Bauaco ciuitate vetuſta ſemota. Fuit autem Bauacum ſeptem viarũ ſtraturis nobile: cui templum hærebat Fanum Martis appellatum, vulgo Faumats. Hodie itaque ab Hannia dicuntur Hanniones: in quorum præcipuo oppido Montenſi cernere eſt fluuium vulgò dictum Le Troulle de Mons, nomine deducto à Trullo Romanorum legato, loci illius incolis beneuolo & benefico.

Eſt & Ronciuallium flumen non procul à Valentianis. Illud memoratu dignum, quod in aperto apud eos eſt & in confeſſo, Hannoniam totam non amplius quàm leucarum 17. ſpacio in longum latúmve patere: eo tamẽ ambitu comprehendi oppida tria ac viginti: Signiferos notæ inſignioris vulgò Bennetetz dictos, duos ac viginti; ac cœnobia totidem: Villulas bis mille ducentas, ſua quamque turri campanaria inſignitas. Quibus præſunt inſignioris notæ Pares duodecim: comites quatuor: quos omnes dignitate ſuperat Chimaius princeps. Sed id parergon.

Annotauit, quod minimè prætereundum cenſui, Gerardus Leodienſis Haniam amnem apud oppidum Condatum, quod hodie vocant Conde ſur Leſchault, in Scaldim fluuium præcipitari, oramque illam totam Hanigau dictam, hoc eſt Haniæ agrum: nũc interceptis literis Hanau, latinè Hananiam, corruptè verò Hannoniam Palatino nomine adornatã. Quod autem in ea olim dicebatur Bauacum, hunc etymon habet, vt pro eodem habeantur Bellus, Bau & Beau. Gau vero diximus agrum ſignificare. Eſt ergo Beluacum ſeu Belgiũ idem vt ſi dicas Bellus ager. Nec ſolum id quod eſt apud Hanniam, imò & in Neruiis Bellouacum. Sunt & amnes alii à Meiero in Flandrico tractu nominatim deſignati. annotat enim Fleternã Niepámque fluuios in Menapiſco, quo nomine Flandriã vult intelligi. Idémque

que Haſnonienſe cœnobium Scarbo flumini adhærere videri vult: qui & Vellulam ad Taruanam conſtituit. Agnioniam verò cœnobio Vaſtinenſi coniūgit: qui olim ager Vaganus ſeu Vaſtanus dicebatur. Eſt autem cœnobium illud ſepulcho Theodorici Flandrorum comitis, poſteris memorabile. Haud ſcio an fluuius ille dicatur Anguien: vnde hodie dicitur princeps Vaganeus nunc Anguineus. fides ſit penes authorem. Demū occurrit Sommona fluuius, alii Somiam vocant, ſed corruptè, vulgo La riuiere de Somme. Trifidus iſte amnis vrbem Ambianenſem ingreditur, & inde bifidus exit, inque riuulos varios diſperſus vias nōnullas perluit vſque ad domuum limina pertingens. Vnde & qui Ambianenſes vulgo appellantur, eos rectius Ambiaquenſes dixeris, hoc eſt ambitos aquis, quaſi dicas interamnenſes ſeu interaquenſes, ſiue meſopotami. Sic in Aruernis caſtrum Interaquenſe dicitur, vulgo Anrraigues: & apud Briates Meldenſes vulgo Meaux, quòd ſcilicet forum in mediis Matronæ fluentis conſtitutum ſit. Dicti ſunt & alio nomine Ambiliates, detortis nonnihil huius dictionis ſyllabis: id quod eſt vſu hominum frequens. Multus eſt in Samarobrinæ vocabulo ſuo loco reſtiruēdo Leodienſis Hubertus, eouſque vt Ptolemæi authoritatem eleuet, Samarobrinam ciuitatem Ambianorum facientis, cum verius (id quod ſuprà indicauimus) Samaracum ſeu Camaracum dicenda ſit Samarobrina, quæ eſt apud Italos Samberai, apud nos Cambray, à fluuio Sabi ſeu Samara. Reſtat vt potius credatur Sommonobriga ciuitas ſeu Sommonobrina, ea quæ eſt apud Sommonam ſita Ambianenſis.

Eſt & in Sommonæ fluento medio Piquiniacum, aliàs Pinciniacum inſula, Gulielmi Longoſpathenſis Normanorum ſua ætate Ducis interitu memorabilis, quem publica fide vocatū, ſemelque ſuſceptum, ſpecie iterati colloquii nihil hoſtile meditantē reuerſum Flandri trucidarunt. Aiunt cædis authorē fuiſſe Balduinum Curtum Cameracenſis Comitis filium: qui (vt varius eſt belli euenrus) in prælio cui præſens Longoſpathenſis fuerat, dicebatur occiſus: fœdo ac pudendo apud poſteros exemplo: cum nemo neſciat turpe eſſe bellicū euentum proditoria circunuentione, poſthabita etiam fidei publicæ reuerentia, retaliare. Sed iſtud obiter.

Proximus Liſa occaſum verſus non obſcuræ notæ fluuius à Caſtello nouo (vulgo Neufchaſtel) per Arquenſe oppidum, Fanúmque Audomari in Grauelinguam defluens, Archiæ nomen ſortitur.

Inde verò ſequitur non procul ab Iccio portu Scalenſe æſtuariū & promontorium aduſque Arderam arcem æſtuans, vulgo Eſcales. Nec deſunt æquorei riuuli duo, Marquiſianus ſcilicet & Boloniacus. Iam inde ſequitur Cauchiæ flumen, à Sampaulino Fano ad diui Iudoci oppidum in pelagus defluens.

Ponè ſequuntur Pontiui à pontium frequentia nomen habentis paludoſa fluenta, Auſacenſi Creſiacoque agris penè arrigua, in mare tandem ſeſe exonerantia. Secundum quas paludes, interclusis Hamio caſtro, (vulgo le chaſteau de Ham) Perona, Dorléco, & Crotoio oppidis, Sommona ſequitur, a Viromanduis per Ambiaquenſes ad San valerianum Fanum in mare ſeſe exonerās: cuius ſuprà meminimus. Secundum quem fluuium & Abauilla non ignobile oppidum ſitum eſt. Eſt & Alchumnus fluuius (Heu vulgò appellatus) adiuncto illi cognomine oppido: vti & de Diepenſi tum flumine, tum etiam adhærente illi æſtuario, omnibus eſt in confeſſo. Nam à Diepa fluuio oppidum ſuam ſortitur appellationem, vti & de Pontiſara vulgo cir-

cunfectur, quòd ſit vrbs anonyma niſi à ſuo ponte nomen ſortiretur.

Porrò inter Diepam,& cadentis in mare Sequanæ oſtium,Caletenſis ager viſitur: vſque dum peruenias ad eius capitale promontorium, vulgo Chef de Caux. Vbi ſecundum littus Sequanæ ab Arfluto ad Aulercos ad Auſtrum metropolis Rothomagenſis occurrit: Belgica partim,partim vero Celtica. Quod autem ad Belgicā oram pertinet, hæc ad Auſtrum flumina ſuperſunt: Epta ſcilicet fluuius, Vulcacinum Normanicum dirimens à Francico, à Claromonte in Bellouacis in Sequanam defluens: vulgo Vexin le Norman, in quo eſt Andeliacum. Rurſumque Vexin le Frāçois, quod à Giſortio in Pontiſarā protenditur. Qui deinde ſequitur amnis, Iſatæ nomē habet: qui Pontiſaram alluens, Sequanam auget. Aliqui Oſam dicunt ſeu Oiſam, Iſarico emporio nobilem, vulgo La faire ſur oiſe: per Nouiodunos in Sequanam vſque decurrens. quo Auſtralior Axona fluuius à Veliaco per Sueſsiones apud Compēdium Iſaram ingrediens, Matronamque à tergo relinquens, huic, quod ad Belgas pertinet, enarrationi finem imponit. Matrona ſiquidem & Sequana, Belgicam à Celtica(vt omnibus in cōfeſſo eſt) citra omne ambiguum ſecernunt. Porrò Axonum meminere poëtæ Lucanus & Auſonius. huius hoc encomium eſt, quòd dicatur Axona præceps. Apud Lucanum carmen hoc legitur.

Gaudetque amoto Sanctonis hoſte:
Et Biturix, longiſque leues Axones in armis.

Vt intelligantur Sueſsiones in finibus Rhemorum ſiti, armigeri indefeſsi,& ad id oneris ſuſtinendum agiles: quos etiam Plinius in Belgica ponit.

Hactenus de Belgicæ Galliæ, quantum quidem ad rem ſatis eſſe viſum eſt, non obſcuris fluminibus dictum ſit. Eſt autem Belgicus populus (de Belgica ſecunda loquimur, quæ à Scaldi vſque ad cadētem in Oceanum Sequanam protenditur) à Cæſare authore in quindecim gentes(hoc eſt toparchias, nomóſve, quod ad ius audiendū olim pertinebat) diſtinctus. Hos vero nomos, quos præfecturas populareſve conuentus ſeu comitatus ex vſu authorum rectè dixeris, ciuitates, ſeu ciuiles, vt ſic dicam, communitates dixere Cæſar & Tacitus, agrum totum intelligentes ſuis concluſum villis, caſtris, oppidiſque: quorum incolæ in capitale ſuum oppidum coëuntes, ſibiipſis ius dicebant, deque arduis rebus tractaturi conueniebant, ita vt agri Rhemenſis incolæ omnes conciues dicerētur, vnámque ſimul ciuitatem conſtituerent: vrbs autem Rhemenſis, Rhemorum oppidum diceretur. Idem dixeris de agro ac Lutetia Pariſiorum. Alia autem eſt hierarchici ordinis obſeruatio: iuxta quam, ciuitatis nomine intelligitur id omne oppidū cui affixa ſit ſedes cathedralis. Hic igitur eſt extremus Belgicæ Galliæ limes. Nam quæ deinde ſequūtur ad ſolem occiduum aduſque Gobeum promōtorium mari Oceano Ligerique flumine, parte etiam Sequanæ hinc inde concluſæ regiones, non tam ad Belgicam quàm Celticam pertinent Galliam. Deſignandi igitur veniunt(id enim ordo narrationis exigit) Galliæ Celticæ fluuii, altius ad orientem Solem repetito principio, vſque ad extremum Armoricarum promontoriū, quotquot inter Ligerim ab Auſtro, Oceanúmque à Borea in mare delabūtur: in quibus ſunt æquorea flumina, quæ retēto nomine in mare decurrunt: qui vero in alios defluunt amnes intercepto curſu, aut mutili, aut fluuiatiles tantum, non item æquorei dicendi veniunt. Ex his quidam nauigabiles, quidam non vix etiam

piſcoſi, qui tamen à circumiacentibus oppidis non prorſus ex hominum memoria expuncti ſua retinent nomina. Huius ergo ordinis hoc initium eſt à Matronæ partim, partim vero à Sequanici ductu fluminis, ab eius inquam ortu vſque dum variis variè emenſis & ciuitatib⁹ & agris, in mare tandem præcipitat.

Lego apud authores, Sequanam fluuium, à quo Sequani populi, à ſecando dictum: c elemento pro q litera vſurpato. Diſſecat enim fluuius ille Belgicam à Celtica. De qua, quod ad rē fluuiaticam attinet, diſſerendum eſt: vt in omnibus magnificetur dominus, & in monarchia præſertim Gallica: quam ita dotibus innumeris locupletatam ampliſsimè ac ornatiſsimè eouſque dilatauit, vt poneret in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Defluit itaque Sequana à Sequanis Lingonibus in mediterranea terra conſtitutis, augeturque altius ad ortum repetita ſcaturigine, nempe ex Vogeſo monte nobilibus fluuiis.

Hinc Martana, ſeu (ſi mauis) Matrona (gallice Marne) in quem etiā Marta diffunditur: inde verò Albi (quidam Obam vocant, vulgo Aulbe) Ionaque fluminibus. Illud è Barrhenſi oppido cum Sequana coit in Campano tractu: hoc vero apud montem Regaliolum in eum ſeſe exonerat; vnde prodiit adagium: A Montreaul fault Ione. quod fortè rectius appellaueris Monaſteriolum.

Matrona verò quotidianæ prædæ appetens fluuius, non prius ſeſe exonerat, quàm ſuo amplexu vnà cum Sequana communi, Gallicam partim Campaniam, partim vero Brienſem tractū nauigio littoribuſque foueat, vſque dum ad pontis Carentonii Confluentiā perueniat (vulgo Conflans) non procul à Braia Comitatenſi Robertina (vulgo Braye conte Robert) Augent præterea Matronam vulgo ſatis cogniti, nec prorſus in ſua claſſe ignobiles Sedana Rizibaque fluuii (vulgo Sedane, Rebes) cui adiacet Rizibenſe cœnobium non obſcuri in toto illo Brienſi tractu, nec modici aut prouentus aut nominis, magnis grauiſsimiſque impenſis auctum & locupletatum ab Odoeno eiuſque Germano Radone Odoneque fratrib⁹: qua de re plura in Rothomagenſium catalogo pontificum. Cui etiam Hybernium adiacet oppidum, gal. Hyuerni. Cæterum ſuo alueo ſupernè fluuios non paucos excipit vnda Sequanica, Orgiam videlicet ad Sauigniacū caſtrū decurrentem abſorbet, gal. Sauigny ſur Orge. Vti & apud Coruolium Stampenſem excipit vndam: quæ Eſſonica vocatur, vulgo La Riuiere Deſſone. Inque ſua recondit viſcera Loinium fluuium, gal. La Riuiere de Loin. non procul à fonte Bellæ aquæ Moretoque diſtantem, gal. fontaine Belleau & Moret.

Quantum verò cæteris præluceat vnda Sequanica, ex multis argumentis colligere promptum eſt. Ea enim veluti lapis angularis quibuſdam in locis ita Belgicam Celticæ vnit & adglutinat, vt principes in tota Gallia ciuitates Belgicas partim, partim Celticas medias interſecet. Eſt enim Lutetia, ex parte vna in tractu Belgico, altera vero in Celtico. Quodque magis mireris, media eſt inter vtranque Galliā inſula Pariſiorum, omnium quæ in orbe ſunt inſularum, ſeu tu ſanctitatem attendas, ſiue authoritatis maieſtatē, ac rerum opulentiam, excellentiſsima: ſic in medio conſtituta, vt nihil cum Celtis aut Belgis habeat commune. Gallica quidem illa, ſed quæ nec Celtica nec Belgica ſit. Nam inter eas conſtituta vmbilicum tenet, ita vt dicenda ſit Gallica neutra. Quid quòd templum habet toto orbe venerabile, cui facilè cedat Dianæ olim Epheſiæ ædes inter cætera orbis miracula

non infima parte locãda. Quod ne quis inficiari poſsit, vtriuſque inter ſe operis collatione facile erit demonſtrare.

Id primum cunctis in aperto eſt & confeſſo, Dianæ Epheſiæ non tam phanum quàm prophanum templum in longum patuiſſe ad pedes non amplius quinque ac viginti ſupra quadringentos: in latum verò ad centum viginti: in ſublime autẽ columnas erectas pedes nec amplius ſexaginta. Cõtrà verò experietur qui volet, Mariani templi longitudinem ſeſe extendere ad hexapedas ſex & ſexaginta, ſi ab externa templi facie lineam duxeris in extremum eius ſtructuræ limitem, comprehenſa nimirũ & interni operis & murorum circunſtantium craſsitudine. Eſt autem (vt ad oculum cernere eſt) templi latitudo Mariani hexapedarum quatuor & viginti: ſublimitas autem, decẽ & ſeptẽ. Conficiunt enim ſex & ſexaginta hexapedæ, pedaneas menſuras 433. Qui numerus dyadecade vincit phani Dianæ longitudinem: quæ tum erat quadringẽtorum quinque & viginti pedum, duabus minor hexapedis. De latitudine verò ſatis conſtat, quatuor & viginti hexapedaneas menſuras, pedes abſorbere centum quatuor & quadraginta, ſuperantibus menſuris quatuor. Iam cum columnarum Epheſii templi altitudo, ſexaginta tantum pedibus compleatur, nemini dubium eſt duplo penè altius erectam eſſe ædem Marianam.

Quod autem ad ſtructuræ magnificentiam attinet, ſat ſciunt omnes ædificij totius molem ſuper ſtagnãtes lacunas ſiſtucatim ſubſtratis innumeris pedamentis fuiſſe fundatam. Cuius quidem laboris opera & impenſa, humanæ ſeu artis, ſeu ingenii facultatem penè excedit, præſertim ſi accedere facias, quam in immenſum creſcere vides, turris vtriuſque campanariæ celſitudinem. De aſylo vero, cuius meminit Plinius, ad ſtadiũ vſque protenſo: cunctis perſpicuum eſt, clauſtra Mariana ad duo penè ſtadia, (ſi longitudinem cum latitudine confeſtas) iuſta dimenſione extendi: & eo fœlicius, quo aſylum illud prophanum nihil aliud quàm ſcelerum licẽtiam, flagitiorúmque impunitatem pollicebatur: adeò vt neceſſe fuerit, Auguſtum Cæſarem huiuſmodi licẽtioſæ impunitatis expectationem prorſus extinguere, memoriamque delere. Illud verò Marianæ ædis aſylum non aliò ſpectare dignoſcitur, quàm vt liberius ſacra tractẽtur, promptiuſque tam diurnæ quàm nocturnæ preces, omni iniuriarum timore ſepoſito, ab his quibus ex officio incumbit, iucundè hilaritérque perſoluantur. Habeat igitur locum hæc aduerſus epigrammatarium Martialem antitheſis:

Huic tam magnifico veterum miracula templo
  Ceruicem inclinent, victaque ſubiaceant.
Impia Cæſarei cedat laus amphitheatri:
  Cedant & Triuiæ marmora celſa deæ.
Omnia in æquoreos diſcedant irrita ventos:
  Cuncta hæc Lethæis merſa ferantur aquis.
Sed quid opus multis, quando id res ipſa fatetur,
  Quæ cecidiſſe olim vãſta ruina docet?
Viſitur hæc hodie ſublata in ſydera moles
  Integra, nec minimo decrepita indicio.

Hactenus de templo medio Sequanici fluminis gurgite vtrinque interclusо pro data occaſione dictum ſit: nunc ad alueum redeundum eſt: cuius ſi quem dotes reliquas explorare delectat, experietur amnem (vt ſi quis alius) lenem, tranquillum, quietum, minimè voracem, prædæve inhiantem, aut veluti ex inſidiis ſuos viatores intercipien-

tem,quo tamen nomine Matrona infamis dicitur,ob eam potiſsimũ rationem,quòd profundis gurgitibus ſcatēs vorticoſus ſit, natatuque pernicioſus,ac incautè prætereũtibus formidabilis.Contrà verò plano plenoque alueo Sequanæ leniter vnda fluit, ſeq́ʒ ipſam ſic mature volutat, vt quaſcunque merces æqua facilitate aut vehat aut reuehat ſeu prono ſeu aduerſo alueo, ſitque pro animi deſiderio veliuolum iuxtà ac remigabile fluentum. Id nullatenus pateretur Rhodanus,in quo pronus quidē deſcenſus:ita tamē vt hic nec curſum ſiſtere liceat, ſed nec reuocare gradum,ſuperaſque euadere ad auras. Eſt etiã hac vna dote clarior amnis, quòd ſe ſuis quietè ac placidè cōtineat limitibus:non vti Liger littoris impatiens, ſuaque riparũ repagula aut intus arrodens,aut ſupra diſsiliens, ſemper aliquid abſumens terræ, ſolito nunquam contētus alueo: ideoque latior quàm profundior perpetuò exiſtens.Nauigia quandoque ſiſtit minus iuſto profundus amnis, vt nullus aliquando ſuperſit aut progrediendi aut egrediendi locus:qui & quandoque ſupra communē morem ſeſe in ſublime erigit, mox vero ita ſubſidit,vt vadabilem ſe cuiuis vel puero reddat. Cōtrà verò ſuo ſe alueo continens Sequana,in vtramuis velis partem ſe nauigabilem præbet, vtcunque ampla ſint ac onuſta nauigia:ſed neque plus iuſto aut ſegnis eſt aut velox:cum ſegnitiei nomine Arar fluuius (qui & Sagona) malè vt ſic dicam audiat, vtpote adeò lentus, vt vix iudicare poſsis vtram in partem fluat:id Silio atteſtãte hoc carmine:

Quorum ſerpit Arar per rura pigerrimus vnda.

Conrrà verò Rhodanus ſiſtere loco neſcius,moræ impatiēs, modico temporis momento curſum cuiuſuis hominis etiam volucris nimia velocitate præuertens,& ſata & domos miro furore proſternit. Inter vtrunque Sequana medius,non ſegnitie tædioſum, nec velocitate odioſum pernicioſūmve ſe exhibet. Cuius aluei clemētia,ac commerciorum vtilitate, fluuiorũ principis nomē meretur potius quàm Eridanus (quod pace Maronis Vergilii dictum ſit) nam & hæc aſſertio noſtra, non alterius quàm ſuo ipſius teſtimonio comprobatur. Sic enim ille ait:

Eridanus,quo non alius per pingua culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

At minimè decet regem violenta huiuſmodi immanitas,quin potius iudicium veros decet & clementia reges. Id quoque à parte noſtra ſtat,quod idem profitetur ingenuè:

Proluit(inquiens)inſano contorquens vortice ſyluas.
Fluuiorum rex(tyrannum rectius dixiſſet) Eridanus. Quod vel ex eo probatur quod ſequitur:

Campoſque per omnes Cum ſtabulis armenta trahit.

Non ergo is eſt quem veluti parētem cæteri colere debeant amnes: quin potius tanquam ſæuũ aliquem tyrannum auerſari. Contrà verò de Sequana cenſendum videtur: quem æqua temperatura nec velocitate nimia, nec tarditate notanda reddat & clementia regem: contrà quàm de Atheſi Mincioque apud Claudianum legitur:

Et velox Atheſis,tarduſque meatu Mincius.

Quid quòd in rege ſerenitas inter cætera commēdatur? contrà verò præceps in ſæuo principe moræque impatiēs petulãtia, atro carbone notatur? Eſt autē iſte fluuius noſter anauros,omnis auræ caliginoſę expers:illi nulla in re diſsimilis, quē his coloribus Lucanus depingit:

Quique nec humentes nebulas,nec rore cadentem
Aëra,nec ventos tenues expirat anauros.

Vides vt nulli fluuiorũ aut vtilitate, aut fluoris maturitate, lenitatéve cedat clementiſsima huius fluminis vnda. Non Albulæ cinereæ ac nigricanti aquæ,ſuptaque modũ lutoſæ:cui id accidit,vt ſuppreſſo nomine in Tyberis appellationẽ degeneraret. Sed neque obſcuram habet originẽ ignobilémve,quam ob cauſam malè audit Nilus apud authores,& ſi qui ſint alii ignotæ ſcaturiginis amnes:cum ſit huius origo nobilis,cũctiſque perſpicua, ac diui Sequani nomine ac numine illuſtrata. Qua in re tametſi in aliis quibuſdam,in hoc tamẽ minimè cedit. De Danubio amne binomio, de Rheno & Rhodano fluminibus,bona omnium venia id mihi dicere liceat, ꝙ nullis Sequana metuendus veniat cataractis: quarum in his quos ſupra meminimus fluuiis horrorem ac ſtuporem vix auris humana ferat.Furor enim ille in procliui ex alto deſcẽſu ruens potius quàm defluẽs,feruidus omnino ac ſpumoſus,nullo velorum remorúmve præſidio aut domari poteſt, aut mitigari. Contrà verò eodẽ fluxus tenore Sequana procedit, ſeu ingreſſum ſpectes,ſeu progreſſũ mediũ,ſiue nouiſsimũ egreſſum. Enipeum Theſſaliæ fluuium referũt ſibi quidem relictum mitem eſſe ac lentum,niſi cum alteri vndæ admiſcetur,id atteſtante Lucano:

Nunquámque celer niſi mixtus Enipeus.

Vnda verò Sequanica, ſeu aliã quamuis excipiat,ſiue cum altera miſceatur,nulli parẽs,ſuum fluoris tenorem cæteris imperat. Latiſsimè patent Nili,Danubii, Padique oſtia. Numerantur enim ſeptẽ diuitis oſtia Nili: Rhodanus duobus oſtiis in Tyrrhenum mare delabitur. Multifidus ac binomius Iſter, ſexaginta fluminibus auctus,ſex oſtiis ſeſe in mare præcipitat. Præceps Eridanus verius quàm princeps,vtpote cum ſtabulis armenta trahens, per ſeptem oſtia ſeſe effundit in mare, ex imis radicibus Veſuli montis paruis deinde fontibus adoleſcens, in quem multifidi fluunt. Sequana verò vnico ſuo latiſsimè patenti alueo,vbi ſe proripit in pelagus,ſua fœcũditate duo non contemnenda alit fouetque oppida: hinc Hunflutum, inde Harfletum: neutri noxius amnis vtrunque fœcundat & alit. Hæc autem eſt veri principis vnica dos, prodeſſe cunctis,obeſſe nemini. Sua ſemper littora Rhodanus arrodit,vna nunquam contentus ſemita.

Horrendis cataractis ſtatim à ſuo ortu Rhenus metuendus planè furit: vno mihi in hac re teſtimonio accedente Munſteri, quem ita loquentem profero. Inquit ille in ſua Schafauſia.

Rhenus variis montiũ impedimentis incitatus cum rupibus coartatur,terribili fremitu eluctat, tandéque ingenti impetu per præceps altitudine quadraginta aut quinquaginta cubitorum ruit. Habet tamen cataracta illa primùm in rupibus gradus quoſdam, ac deinde tanta vehementia in imum delabitur, vt tota aquarum moles in ſpumam & nebulam reſoluatur. Ego nũquam ſine horrore potui videre ſtupendam iſtam Rheni præcipitationem. Incolæ vocant cataractã illam,den Laufen,quod ſignificat curſum. Ibi nullæ poſſunt deſcendere naues,aliàs in mille frangerentur partes: nec poſſunt huius ſaxi altitudinem ſuperare quicũque piſces, etiam ſi eſſent Morſi aut Roſmari, qui aduncis ſuis naribus nullam non poſſunt conſcendere petram. Hic enim obſtat aquæ impetus. Cæterum Rhenus ſub oppido Laufemberg petris artatus, ſpuma apparet albiſsima præ fremitu & colliſione. Tandem atrox ſpumans, amplo gurgite ad Auguſtam Rauricam deuoluitur. Hæc Munſterus.

De Danubio norunt omnes multis paraſangis, ſeu eius ortum ſeu exitum attẽdas,prorſus eſſe imperuium & intractabilem, id atteſtãte eo quẽ ſupra citauimus Munſtero in ſua Auſtria. Danubius(inquit

ille) fluens per Auſtriam habet infra Lintzium duos periculoſos gurgites,ſeu cataractas,vt Strabo vocat, in quibus naues facilè abripiuntur.Primus vocatur germanice Seroriiſſel, id eſt, proboſcis ſuilla, vbi aqua Danubiĩ horrendo ſtrepitu illiditur ad ſaxa ſub aquis latẽtia, & niſi nauta expertus ſit,& caute nauẽ ducat,in periculum incidit. Deinde poſt medium milliare infra oppidũ Gryn occurrit alia charybdis, vbi aqua in modum turbinis per gyrum agitata, plurimas agitat procellas,eaſque tam inſanas, vt naues vix ſine periculo tranſire poſſint. Pereunt multi homines, abſorbenturque in tantam profunditatem,vt nunquã emergant. Tentauerunt aliquando ingenioſi viri voraginis illius inueſtigare profunditatem, ſed inuenerunt tam magnũ hiatum illum eſſe, vt bolis nullum inuenerit fundum. Quicquid ibi mergitur,manet ibi,nec vnquã emergit. Emergit itaque,vt vides, infœliciter, ſed horribilius multo ſeſe immergit pelago.

Non diffiteor(quod nec diſsimulari poteſt)heptaſtomum eſſe Nilum: Danubiũ verò pentadichon,quinque ſcilicet alueis (ſunt qui ſex illi tribuant)in Ponticũ mare defluẽtem:trifidum Rhenum : Rhodanum vero bifidum, gemino ſcilicet in mediterraneum pelagus alueo decidentem : Sequanam vero monoſtomũ, alueo vnico ſeſe in mare effundentẽ.Ea tamen parte Danubiũ excelli,quòd cum quadraginta millibus ſuas in Ponticum mare nondũ à dulcedine deficiẽtes extrudat aquas,ſalſedinis adhuc expertes: id tamen experientia duce cernere eſt,quòd cum à ponte arcuato (vulgo pont de l'arche) vſque ad Hunfleutum,vna ac viginti leucæ interſint,hoc eſt ſexaginta duobus amplius milliaria:ſitque primus limes æſtuarii marini pons,quẽ diximus,arcuatus:non tamen à ſua dulcedine cadit Sequana fluuius toto ſuo alueo, lõgiore nimirũ terræ quàm Danubius interſtitio.At at hic ego bella mihi video,mihi bella parari . Dixerit enim riualis quiſpiã: Túne es homo lepidus, qui cõtra ſenſum hominum communem incomparabiles illos amnes Nilum,Danubiũ,Rhenũque ac Rhodanũ, atque ipſum etiã fluuiorũ regem Eridanũ, cum anguſto tuo Sequanæ alueo conferre audeas, vt ne etiã dicam Sequanã ipſum extollere & efferre ? Támne vano labore conſumeris, vt credas aliquos tuæ huic tam vanæ ſententiæ acceſſuros ? Ad hæc ego,bona verba quæſo quiſquis es qui hæc legere dignaberis.Non ad præſens agitur de tota fluuiorũ quãta quanta eſt amplitudine . Hac enim in parte facilè cedimus arena, hoc tantùm contẽdimus,ꝙ nullus ſit in orbe inter æquoreos fluuius (Æquoreos voco,qui continuo tractu in mare decurrũt) aut alueo temperatior,curſúve maturior,aut vtilior vectura,commerciorúmve genere quouis fœcundior atque opulentior.Id quo minus negari poſsit, argumento eſt Lutetiæ Pariſiorum admirabilis potius quàm imitabilis opulentia,rerumque abũdantia omniũ,atque (vt ſic dicam) copiæ cornu : vt mirũ ſit,ac propè miraculũ,vnde fruges ſuppetere poſsint,quibus tot cẽtena hominũ millia ſatiẽtur , quibus alẽdis vix vlla quantũuis latiſsimè patẽs regio vel diei tantùm vnius morula ſufficere poſsit . Cõtrà verò amnis iſte vnicus nullo nõ die tantũ annonæ præſtat, vt habeãt incolæ domeſticatim ſinguli vnde vſq; ad redũdantiã ſolẽni epulo hominũ chiliadẽ excipere poſsint apparatu etiã lautiſsimo. Quin & illi dei munere cõceſsũ eſt,vt dum Pariſiorũ finib'illabitur,adeò videatur gyrouagus ac ſinuoſus,& anguino more flexuoſus,vt videatur vndecunq; emendicare & fruges & cibos,quos in almã ſuam aduehat Lutetiã.Id autẽ argumẽto eſt,ꝙ cum recto itinere è Lutetia ad Dionyſianũ phanũ proficiſcẽti vix tria ſeſe offerãt peragrãda milliaria, vnda illa Sequanæ ſuo anfractu milliariũ teſſera

decadem abſorbeat. Hoc ego (ſi cætera deſint) nixus argumēto, contendere auſim hunc fluuiū toto ſuo decurſu innoxiū, omnibus ſupra modum vtilem vehendis reuehendiſque onuſtis vſque ad redundantiam nauigiis accommodū, omni ex parte portuoſum, fluuiorum numero innumero auctū, nullis cataractis formidabilem, rupiúmve aut ſcopulorum occurſu metuēdum, nullis quos ſol iſte videt fluminibus hac in parte cedere. Iam ſi teſtimonium huius rei quæritur, erunt in hac re noſtri etiam æmuli iudices, Architrenius inquam Quintianus in ſua Cleopoli, qui vrbem vrbium Lutetiam appellare audet, & Petrarchæ veſaniam retundens, totum ſe in eius laudibus enarrādis effundit, non tam fluuialem quàm æquoreā piſcibus vndā appellans. Quin (vt amplius dicam) arboream plus quàm æquoreā æſtimaueris vndam: vt quæ Malorum plena ſit arboribus. inquit enim:

Iamque vale, fœcunda ſolo, celeberrima doctis
Ingeniis, iucunda ſitu, præclara fluento,
Illuſtris domibus, cinctu mira, ardua templis,
Celſa tholis, diffuſa ſinu, firmiſsima portis,
Magnipotens opibus, variis radiata coloſsis,
Candida imaginibus, multis ſpectata figuris,
Recta viis, numeroſa focis, armata catenis,
Et foueis munita, pio gratiſsima cœlo,
Enſe ferox, facunda ore, & pietate renidens,
Conſpicua arte, frequens populo, lucroſa carinis,
Maieſtate nitens, & turribus ardua, diuis
Dedita, ſceptra tenens, conſpectu clara, trophæis.
Splendida, porticibus ſublimis, opima ſenatu,
Pontibus irradians, pia legibus, alta feneſtris,
Mercibus effulgens, virtutibus inclyta, tectis
Aurea, ſancta foris, humilis prece, culta plateis,
Diua fide, ſyncera animo, grauitate ſeuera,
Pace vigens, plena officiis, antiqua triumphis,
Clauſa malis, adaperta bonis, mitiſsima cunctis,
Cincta herbis, repleta auibus, circundata ſaltu,
Farcta apibus, dulcata fauis, landata metallis,
Plena vitro, muris latiſsima, lncida gemmis,
Vinida roboribus, pratis variata, roſetis
Nobilis, armentis pinguiſsima, lactis abundans,
Læta hortis, conſepta iugis, generoſa racemis,
Meſsibus accumulata, colonis dines, amœna
Ceſpitibus, ſyluis frondoſa, ignara draconum,
Caſſa rubis, expers tribuli, procera ſalictis,
Clara leguminibus, venatibus apta, ſalubris
Aëre, corrutilans ceris, ornata tapetis,
Florida patriciis, clariſsima ciuibus, ingens
Regibus, ingenua & pueris, formoſa puellis,
Vndique matronis caſtiſsima, plurima tædis,
Culta aris, deuincta deo, ſanctiſsima myſtis,
Ignaris parcens, vi fortis, aperta petenti,
Exulibus ridens, iure optima, mente ſerena,
Vultu hilaris, prælarga manu, numeroſa monetis,
Fronte placens, inarata ferax, vberrima pomis,
Carne opulens, & honora cibis, & aquoſa lauacris,
Arcibus ætherea, & vaſis precioſa, refulgens

Veſtibus,ornatu ditiſsima,torquibus ampla,
Piſcibus æquorea:& libris Ægyptia,lanis
Serica,picturis Actæa,Cydonia telis,
Perſica aromatibus,validis Germanica fabris,
Romula relliquiis,& Achaica moribus,aruis
Appula,philoſophis Gangetica, Lydia ſertis,
Roma armis,Carthago manu,curuamine Memphis,
Imperiis Babylon,Lacedæmon claſſe,theatris
Parthenope,muſis Parnaſsia,Pella tyaris,
Troia viris,Epiros equis,animalibus Argos,
Inda ebore,argento Sardinia,& Attica melle,
Fertilitate Samos,Paros inſula marmore,ferro
Norica,principibus Nilotica,Thracia Marte,
Nobilitate Pharos,Phœnicia murice,cultu
Sidonis,infectu plaga Betica,& ære Corinthos,
Frumentis Libya, & dulci Campana Lyæo,
Vatibus Italia,& medicato Caſtore Pontus,
Cariaque exeultis ſemper memoranda ſepulchris.
Dum caneret lepidas Venuſinus Horatius odas,
Dixerit an meritò,nihil omni ex parte beatum,
Hac merito in parte,hoc meritò poſsis ſubdubitare loco.Deinde & illud ſubiungit:
At quum proſpiciam tantarum culmina rerum
Vrbs tua pacato trutinor ſub pectore nullam
Eſſe vrbem, in ſuperas quæ ſe fœlicius arces
Erigere,& cœli poſsit ſpectare cacumen:
Et melius primæ diademata ferre coronæ.
Vrbem qui referunt,(vrbs) te quàm verius orbem
Dixiſſent,ſi tanta tui ornamenta fuiſſent
Nota ſitus,ſi tantarum pulcherrima laudum
Gloria mortaleis animos tetigiſſet:& omnes
Priſtina conſpicuæ tetigiſſent carmina dotes.

Vides quanta vehemẽtia nunc vrbem nunquam pro rei dignitate ſatis laudatam,peregrinus nihil minus quàm domeſticus teſtis encomiaſtes laudibus proſequutus ſit ſola veritate duce, eloquentia vero comite. Accedit ad hæc locupletiſsimum in eam rem atque adeò minimè ſuſpectum nempe peregrinum Euſtathii Knobelſdorphii Pruteni Lutetiæ encomium, qui inter cætera ſic ait:

Si ſpacium videas, vrbem non eſſe, ſed orbem,
Congeſtas mundi dixeris eſſe domos.
Sin cœtum populi, certè mirabere,quænam
Terra queat tantum ſuſtinuiſſe gregem.
Tot iuuenes,tantam quoties conſidero turbam,
Huc reor humanum penè coiſſe genus.
Quingenti quanuis ſcindant hæc oppida vici
Quos aliquo dignos nomine fama putat,
Perpetuo cunctos videas trepidare tumultu.
Omnis multiuagum ſemita murmur habet.
Præ turba vix eſt homini via peruia, ſegnes
Cogimur hærendo nectere ſæpe moras.
Parriſis vrbs cœtu veteres excellit Athenas,
Non Epheſo cedit,non tibi clara Rhodos.
Nec quanuis gemino ſis æquore clauſa Corinthus,

Accumuletque tuas plurima claſsis opes.
Deficiunt nunquam Cerealia munera turbam:
Hic velut in cornu diuite cuncta fluunt.
Quicquid auent oculi, quicquid mens optat ementis,
Illecebræ quicquid maximus orbis habet.
Quicquid enim tellus, labor, ingeniúmque parauit,
Huc velut in certum confluit omne penu.
Eſt aliquid tantum populi vidiſſe tot vrbes.
Ingenio ſummos conciliaſſe viros.
Fertilis ipſa ſuas vix nouit Gallia vires:
Tantum præ reliquis illa vigoris habet.

Quòd ſi necdum etiam rerum tam copioſè enumeratarum te capiat ſaties, ſi encomiaſtæ Textoris elegãtiſsimè contextam officinam ingredi voles, in promptu habebis vnde tuam (quanta illa cunque fuerit) implere queas ingluuiem.

Hactenus vaſta Lutetię area peragrata, pro data occaſione digreſsi ſumus: iam ad alueum Sequanicum vnde digreſsio facta eſt, redeundum erit. Priuſquam ingrediare Lutetiam, in Sammarcellino ſubmœnio obuium habebis Biberam amnem (gal. Bieure) qui poſtquam Gentiliacos agros perluit, Victorinum cœnobium medium ſecãs, ſalicetumque proximum inundans, Sequanæ flumine abſorbetur. Qui & ponticulo quem Buridani vocant, traiicitur, & Campellos perluit agros, vbi nunc ſuburbanæ ædes vicatim diſſectæ viſuntur: vt iam Cãpellorum ſuppreſſo nomine Villanoua dici poſsit, ſuburbiúmve Sanuictorinum. Eouſque enim aucta eſt vetus Lutetia, vt merito iam dicenda veniat Neapolis Lutetiana, aut Seſquipariſina, ſi ad vetuſtam conferas menſuram. Deficiet me vnà cum numero tempus, ſi in catalogum redigere velim omnes qui in Sequanam ſeſe exonerant infimæ claſsis alueolos. nam præterquam quòd pauperis eſt numerare pecus, inopem laſſúmque me copia redderet.

Priuſquam Belgici agri limites tranſgrediamur, à Sommona fluuio ſecũdum littus maris infra Sequanicum limitem aduſque præcipitiũ Sequanæ in pelagus, tres ſeſe iunctim conſequuntur terrarum tractus ſuis diſtincti nominibus. Primus à Sommona ad Alchunũ porrectus Vimeuſius ager appellatur, gal. Pays de Vimeux, Phanum Valerici Abauillęque oppidum complectẽs, vnà cum Treſportu, ſeu, ſi mauis, Vltraportu. Treſport. Iam inde Alchunenſis ager continuò ſequitur, vulgo Eu: cuius eſt inſignis Comitatus Pontiui, vulgo Pontieu, vſque ad Diepã fluuiũ. cui iunctim adhæret tertii ordinis ager marinis concluſus fluctibus, quem vulgò Caletẽſem vocant, vbi Harfleutum Caudebecũque viſitur, & extremus continẽtis angulus, vulgo appellatus Chef de caux. Inter hæc medium locum tenet Fiſcanẽſe oppidum. Papienſis Cardinalis non Fiſcanum, ſed Fiſcicampum à Fiſco ducali appellandum inſinuat, aliàs Ficicampum, quaſi dicas Figuechamp. fides ſit penes authorem.

Neque id ſilentio præteriri velim, Arquenſe caſtrum, (vnde Normania tota liquorum ſuorum menſuræ rationem accepit) in Taloutiani comitatus vmbilico ſitum eſſe, vulgus appellat La conté de Talou. nec procul ab amne Shia. quem pone ſitum eſt phanum diui Albini ſuper Shiã: labitúrque in Breuia comitis, vulgo Le Bans le conte. Eſt autem regio illa tota Sequanica maritima, Calcheia dicta, vulgo pais Cauchois: quæ ab ortu alluitur flumine Caucheio, vulgo Cauche: qui ortus à phano diui Pauli, deſinit in ædem diui Iudoci. A quo

ſecundum littus maris per Pontinum Sanualericum portum, Fiſcanumque ac Chalceium roſtrum, vulgo Chef de caulx, ager denominationem ſortitur. Proximè in mare corruit Pontinẽſis riuus, ac ſubinde Sommona, vbi Piquiniaca inſula Gulielmi Longoſpathẽſis cæde inſignis. Quem fluuium ſequuntur in mare ruentes riuuli Sanualericus & Alcunẽſis, vulgo Sainct Valier & la riuiere Eu. Rothomagi riuulus in Sequanam defluit, quem Robecum incolæ vocant, priuato quodã genio tincturæ commodus, vulgo Derobec. Eſt & Adela fluuius in Sequanam defluens, vnde Andeliacus ager nomen ſortitur, Adelle & Andely. Ager inquam Vulcaſsini Normanici. Vexin le Normãn. Porrò ab Epta fluuiò diui Clari phanum alluente aduſque Iſaram amnẽ per Gizortium & Pontiſaram area tota Vulcaſsini Gallici nomẽ ſortitur. Clauditur itaque Belgicæ pars non infima his fluuiis duobus, Iſara & Sommona, aut paulo latiùs fluuio Axona, vulgo La riuiere d'Aiſne: inter quem & Sommonã comprehenduntur partim Sueſsiones, Lauduni, Nouiomi, Bellouaci, & Ambiquenſes, ſeu Ambiani: vti inter Matronam & Sequanam intercludũtur Campani & Brienſes: qui tamen ad Celticam Galliam, vti & Senones, pertinere videntur: vti ſelecto chorographiæ loco amplius differetur.

Eſt igitur ora illa Sequanica, Belgica tota: vſque dum amnis ille ſeſe in mare præcipitat: & id quidẽ authore Marcellino, prope Conſtantia caſtra, videlicet inter æſtuaria duo Hunflutum vnũ, aliud Harflutum: vt intelligas Sequanam primum influere, ac deinde in oppidum aliud retrogradè reuerti. Crediderim Hunflutum ſic appellatum, quòd pronum Sequanæ fluxum in mare excipiat. Harflutum vero, quòd retrogrado vortice reflui amnis per æſtuarium maris flagelletur. Eſt & aliud iunctim adhærens Ficflutũ, arte potius quàm natura conſtans fiſtucatis trabibus occurrenti fluuio obiacens: vulgo Ficfleut: Secundum quam ætymon Barflutum appellatum eſt, quòd fluxum maris ex tranſuerſo excipiat.

Meminit huius fluuii Ammianus Marcellinus his verbis: Matrona (inquit ille) & Sequana amnes magnitudinis geminæ fluentes per Lugdunenſem ſecundam poſt circumcluſum ambitu circulari Pariſiorum caſtellum Lutetiam nomine conſociatim meant, meantéſque protinus prope caſtra Conſtantia funduntur in mare. Vnde & geminæ Conſtantiæ nomen prodiit. Fuere enim Conſtantia caſtra in Normanico tractu. Alia item ad Rhenum, vbi Venetus lacus emergens abſorbetur. Conſtantia autem caſtra dicta ſunt non tam à Conſtantio imperatore, quàm à fixa caſtrorũ ſtatione, firmoque Romani exercitus præſidio his duobus locis ſtabilito, hinc aduerſus Britannos, inde verò ad retundendum Alemanorum ſæpenumero occurſantium impetum.

Hactenus in Belgicæ chorographiæ tela texenda laboratũ ſit, quæ trigoni formam habet: cuius baſis ab ortu Rhenus fluuius: latera gemina mari oceano à Septẽtrione, ab Auſtro verò Matrona & Sequana: in mare tandem coëuntia flumina, in Calletenſis agri angulum vergunt.

Proximum eſt Galliæ Celticæ tractum ampliſsimũ, limitibus primò, ac deinde riuis fluminibuſque vndecunque ſcaturiẽtibus, quoad fieri poterit, deſignare. Clauditur ad Boream Celtica plaga, Matrona partim Sequanaque fluminibus: partim verò Occiduo pelago aduſque Gobeum promontorium: ad Auſtrum vero Ligeri, & quadam Oceani parte circunſcribitur, Britanniam minorem amplectens: ab

ortu verò habet Alpes, Vari quoque fluminis amnem,qui Ciſalpinã quam vocant Galliã ſecernit à noſtra,quæ Italiæ tranſalpina eſt.Vnde & Euroalpeæ nomen accepit ea regio,quæ vulgo (corrupte tamẽ) dicitur Hurpois:quo nomine intelligenda venit Gallia Euroalpina. Porrò in diſtinguẽda ab ortu inter Celtas Belgáſq; Gallia, inter Ptolemæum & Cæſarem Iulium non admodum cõuenit. Qua in re præcellere cenſetur Cęſaris iudicium(qui totam non ſemel Galliam peragrauit) ſententiam Ptolæmei,qui Galliam ipſam vix à limine ſalutauit vnquam.Super quo Glareani verba referam,quæ ſunt huiuſmodi.

Hic lectorem admonere volumus, in deſcriptione Galliæ, quod ad loca attinet,plus tribuendum C.Cæſari,quàm Ptolemæo.Quippe Cæſar regionem peragrauit ac vidit. Fuit enim diligentiſsimus in locis deſcribendis Cæſar.Porro Ptolemæus id non egit,vt omnia priuata loca ad amuſsim pingeret,ſed vt regionum in genere veram phantaſiam ac formam oculis ſubiiceret.Sequani igitur,Rauraci,Heluetii, Leuci,& Lĩgones,viciníque populi,nequaquam Belgis ſunt aſſcribẽdi,ſed Celtis:etiamſi aliter tradidit ptolemæ⁹.Item Dubis,quem Cæſar Alduaſdubin vocat, Arar,& Rhodanus,non ex eiſdem montibus originem ducunt.Nec Auenticum,aut ciuitas Equeſtris, Sequanorũ ciuitates ſunt, etiamſi ita nobis exhibuit Ptolemæus: ſed Heluetiorum,vt de Auentico Cornelius Tacitus lib.17. Hoc idem de ciuitate Equeſtri ſatis patet ex ſitu Heluetiorum à Cæſare deſcripto. Gallorũ omnium fortiſsimi(ait Cæſar)Belgæ,maximæ famæ Celtæ.Cæſar totam Galliam decennio ſubegit, ait Strabo.Flumina Gallia habet opportuniſsima in vtraque maria, & noſtrum & Oceanum. Hæc ille.

Quæ quidem verba cordatum quenque nõ parum inuitant ac penè vrgent in Cæſaris articulatam topographiam, quàm in Ptolemæi diffuſam nimis,nec ſatis digeſtã coſmographiã propenſius inclinare. chorographicè enĩ depingenda eſt Gallia Celtica,ea ſcilicet textura vt quẽadmodũ arbor in ramos, ramiq; dẽſiores in ramuſculos,qui & ipſi ĩ virgulta diffundũtur,particulatim ſecernitur:ita & Galli in partes primũ craſsiſsimas,deinde in toparchias,modò hierarchicas,modò verò prophanas(quæ & ipſæ in agros,agri in caſtra,ciuitates & oppida,ponteſque ac flumina,lacus,ac ſtagna prorogantur)ſi tamen rei difficultas id admittit, ſecernenda ſit.Sic fontes in alueos,aluei in riuulos,riuuli in aquæductus quandoque calamiſtrantur. Tripartitam itaque eſſe prima ſectione Galliam, nec ipſi quidem ignorant analphabeti,Celticam videlicet,Belgicam & Aquitanicam: niſi quòd ea ſectione minime contentus Cæſar Auguſtus,Narbonenſis Galliæ orã ex parte vna maritimam ad Auſtrum ab occaſu, à Narbone metropoli caput erigentem à Borea & Celtica diſtinctam, ad Alpes vſque maritimas,tranſcurſo etiam Rhodano diſtinguendam cenſuit. Porrò Celtica Alpibus & flumine Varo atque ab ipſo monte Adula, qui hodie eſt ſancti Gothardi,primo limite exordiũ ſumit: quæ deinde per Sequanos fluuio Ligeri interclusa vſque ad mare Oceanum Gobeumque promontorium porrigitur.Quod autem eſt reliquum à Ligeri ad mare inferum Gallicum Pyrenæis interclusum montibus, Aquitaniæ tribuitur.

Id primum de Varo flumine differendum occurrit, quòd ad Galliæ Narbonenſis limitem potius ſpectare videtur,quàm Celticę:cuius limes ab ortu eſt mons Adula: ex cuius vertice Europa vniuerſa inſignioris notę fluminibus alluitur. Vnde fit vt Celtica totam irriget Europam.Ab Adula enim monte Rhenus ſcaturigine geminus in vnum

randem alueum coit, vno ſupra ciuitatem Curienſem milliario, ita vt à Rheni prioris riuo aduſque fontem Rhodani diſtantia tantum interſit trium horarum itineris, ſi per verticoſos mõtium tractus glacie niuéque obductos rectà pergere liceret. Montis vertex Furca appellatur. Inter Rhodani Rhenique ſcaturigines vertex medius eſt montis Gothardi: quem veteres ſummas dixere Alpes. Vnde meridiem verſus Ticinus fluuius in Italiam defluit. Nec procul hinc oritur Vrſula fluuius, Germanicè Rus appellatus: quo ſcilicet amne prærupto Lucernenſis lacus intumeſcit: ita vt Vrſula in Aquilonẽ vergat. Rhodanus rectà fertur in Occaſum, deinde deflectens in Auſtrum. Rhenus vero decidit in Oceanum. Danubius autem magna ſcaturigine ebulliens curſum detorquet in orientem ad mare Ponticum ſexaginta auctus fluminibus. Ex his itaq; Alpibus ſummis inſignes fluuij quatuor in quatuor cardines mũdi vergunt, omnes à prima origine Celtici: in progreſſu vero Belgicus eſt Rhenus, Rhodan⁹ ex Celtico Narbonenſis, Ticinus vero Italicus eſt Galliæ quam Ciſalpinam vocant fluuius. Nec procul à fontibus Danubij ſcaturit fluuius Necarus, aliàs Nicrus. Vt inde ſcias è Gallia Celtica iſigniora Europę prodire flumina. Nã ex Vogeſo mõte, paruo inter ſe interſtitio prodeũt Moſa, Moſelláque & Obrinca, quæ in Rhenum defluũt flumina. Sed & Mattona ſeſe in Sequanam exonerat, cuius ortus eſt apud Lingones, & eos quos hodie vocãt Sequanos. A parte verò altera Alduasdubis in Ararim delabitur, qui etiam Sagona dictus influit in Rhodanum ad arã olim Lugdunenſem: quæ nunc Attenatenſe cœnobium dicitur, vulgo Ænay. Huius rei locupletiſsimi teſtes ſunt Lucanus primo, tertio vero libro Silius Italicus, Ammianus inſuper Marcellinus ſuæ hiſtoriæ 15. Sic autem habet Lucanus ad verbum:

Vangiones, Batauíque truces, quos ære recuruo
Stridentes acuêre tubæ: quà Cinga pererrat
Gurgite: quà Rhodanus raptum velocibus vndis
In mare fert Ararim: quà montibus ardua ſummis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Rhodanum in ſua Valeſia Munſterus ex vulgi ſententia à rodẽdo dictum refert. Cui etymo non ſatis conuenit primæ quantitas ſyllabæ: res tamen ipſa indicat ſuas plerũque rodere ripas, præſertim à primo ſui ortu à monte Furca vſque ad Agaunũ. Sæpius enim omni numero ſua littora rodit, non vno contẽtus alueo, & huc illucque vagatur, ita vt multis aggeribus ad ſedandum furorem vt in ordinem redigatur opus ſit. Id ipſum eidem accidit apud Auenionem fluuio, non procul à Surgia fonte: vulgo Sorgues. Idem de Varo fluuio dixeris: cui ob hoc id nomen inditum eſt, quòd ſæpe variet. Initiũ habet exilo ex reſoluta niue & glacie: ſtatim autem ab exitu vndecunque affluẽto riuulorum copia furit & turgeſcit, miro irrumpens impetu vſque ad Octodurum, hodie Martinache, & Agaunum, donec decidat in lacũ Lemanum, qui ab initio Loſanenſis, à fine verò Geneuenſis lacus appellatur, longitudinis milliariorum ſex Germanicorum, in latum vero ad tria ſeſe extẽdit milliaria, idque in medio gurgite. Eſt autẽ miliare Germanicum quadruplo longius Italico.

Hic iam audiendus eſt Silius Italicus ſuis coloribus Rhodanum depingens, his Hannibalis verbis:

Accedit Rhodani feſtino milite ripas,
Aggeribus caput alpinis, & rupe niuali
Proſilit in Celtas, ingentémque extrahit amnem

Spumanti Rhodanus proſcindens gurgite campos,
Ac properè in pontum lato ruit incitus alueo.

Sed & Araris notas inſigniores percurrit,hæc ſubiungens.

Auget opes ſtanti ſimilis,tacitóque liquore
Mixtus Arar:quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago,raptúmque per arua
Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.

Druentiæ quoque meminit, paribus penè cum Rhodano indiciis, ſi non atrocioribus:

Iam (inquit ille) faciles campos iam rura Vocuntia carpit,
Turbidus hic truncis ſaxiſque Druentia lætum
Ductoris vaſtauit iter:nanque alpibus ortus
Auulſas ornos & adeſi fragmina montis
Cum ſonitu voluens fertur latrantibus vndis:
Ac vada tranſlato mutat fallacia curſu:
Non pediti fidus,patulis non puppibus æquus.

Sed his omnibus apertius appoſitiúſque Rhodanum ob oculos ponit Marcellinus lib.15.ita diſſerens:

Quoniam ad has partes opere contexto peruenimus, ſilere ſuper Rhodano maximi nominis flumine,incongruum eſt,& abſurdum. A Pœninis alpibus effuſiore copia fontium Rhodanus fluens, & procliui impetu ad pleniora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi ſeſe ingurgitat nomine Lemano,eámque intermeãs nuſquã aquis miſcetur externis,ſed altrìſecus ſummitates vndæ præterlabẽs, quæritans exitus viam ſibi impetu veloci molitur. Vnde ſine iactura rerum per denſa paludium fertur, & Sequanos, longéque progreſſus Viennenſem latere ſiniſtro perſtringit, dexter Lugdunẽſem, & emẽſus ſpatio flexuoſo Ararim, quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem,ſuum & nomen adſciſcit, qui locus exordium eſt Galliarum. Exindéque non millenis paſsibus, ſed leucis itinera metiuntur,vbi auctus Rhodanus aquis aduenit locupletior: vehit grandiſsimas naues, ventorũ flatu iactari ſæpius adſuetas:finitúſq; inter valles, quæ ei natura præſcripſit ſpumeus,Gallico mari concorporatur per patulum ſinum quem vocat ad gradus, ab Arelate octauo decimo ferme lapide diſparatum.

Hoc loco Ararim Saucõnam vocat:non vt vulgus putat, à ſanguine Sagonam.

Illud obiter obſeruatione dignum eſt,quod à paucis (quod ſciam) animaduerſum video,eſſe in Gallia Celtica tres potiſsimum montes è quibus flumina prodeunt toto orbe clariſsima, amplitudine ac numero memorabilia: quibus nõ ſolum Galliæ omnes,Narbonenſis inquam,Aquitanica & Belgica, ipſáque potiſsimum Celtica, vberrimè irrigantur:imò & Germania ipſa,totáque Ciſalpina Gallia. Dicas eos eſſe quendam aquarum dulcium Oceanum. Scaturiũt enim ex Adula monte,ingẽs ille fluuius Danubius,totam alluens Germaniam,ipſam quoque Thraciã penetrans:in quẽ inde prodeũtes Licus Enúſq; fluuij ſeſe exonerant. Rhenus item & Rhodanus,Belgicã ille,Celticã partim iſte,partim Narbonenſem alluens. Sed & ex eo mõte defluũt in Italiã,Ticinus,Padúſq; mediã interſecãs Italiã vnà cũ amnibus nõ paucis,videlicet Arno,Goſna,Morco, Galona,Sãbro, Aganáque fluuiis:quibus intumeſcit Padus,qui mediam interſecat Lombardiã. Vt ne etiam omittamus Vrſellam,qui non procul à Rhodano ſcaturiens apud Heluetios lacũ Lucernẽſem conſtituit. Ex mõtibus autẽ Ceme-

niis, qui aliàs montes Genebæ vocantur (mons de Geneſue) flumina non pauca decurrunt. Ex Cemelio (hoc eſt paruo Cemeno) Varus fluuius. Ex ipſo verò Cemeno, Iſara, aliàs Iſola, à quibuſdam Sicarus Grarianopolim alluens, Druentius Argentiúſque amnes, vulgo Liſaire, la Durãce, Argẽtaire: quibus accedit Dracceus amnis, vulgo Le Drac.

Cæterum ex Vogeſo Auſtraſiæ ſeu Lotaringiæ monte, mira fluminum copia ſeſe in totam Galliam proripit, Moſa inquam monoceros, & Moſella bicornis, exitu Belgici, ortu verò Celtici amnes. Ad Auſtrum verò ab huius Vogeſi montis ſcaturigine prodeunt Arar, qui & Sagona, Dubíſque fluuij, vulgo le Doulx, qui & Alduaſdubis. Sequana item & Matrona non procul inde ſcaturientes. Cùm itaque Moſella in Rhenum, Arar in Rhodanum defluant, mens aliquando fuerat principibus, inter Obrincum & Ararim foſſam ſtruere, vt coëuntibus vtrinque aquis nauigio via pateret à Rheno in Rhodanũ, ac perinde in vtrunque pelagus, Oceanum inquam, & mediterraneum, niſi quòd mutata poſtea ſententia, altius conſiderantibus periculum imminere viſum eſt, ne Barbaræ vtrinque inſulæ mediam Europã interturbarent, ſi à fluuiorum oſtiis in medias Gallias nauigio iter pateret. De his igitur fluuiis, ſuis locis ſermo habendus eſt. Sunt tamẽ qui loca ex his non pauca extra Celtas, Belgas, & Aquitanos ſepoſita eſſe contendant: quos Dionyſius geographus perſpicuæ arguit vanitatis, ita in ſitu Europæ inquiens. Deinde vero ad Pyrenæos montes verſi vſque Eridani fluenta colunt, vbi ferunt Heliades ſorores dolore afflictas Phaethontis fratris interitum deploraſſe, vſque dum mortuæ in alnos tandem arbores lachrymantes adhuc conuerterentur: earũque lachrymas à Celtis qui ea circumhabitabãt loca, ſæpenumero emungi. Vides vt Celtas vocet ille Eridani accolas. Addit ille Rhenũ ex alpibus erumpentem, Germanos à Celtis interſecare. Sunt igitur Alpini Celtæ. Quid? quòd eodẽ authore Apenninus ab Alpibus inchoans, citeriorem Galliã ab vlteriore ſeparat: quod intelligi nequit de Aquitanica aut Belgica: reſtat igitur vt id intelligatur de Celtica. Id ipſum Solinus pro cõperto habendum docet, qui ait: Ex iſto ſinu, nempe Gallico, quoquo orbe velis exeas, in Hiſpanias, in Italiam terra marique, in Africam mari tantum. Si Thracia petenda ſit, excipit ager Celticus (ſic enim legendum, non Creticus) optimus frugibus & ferax, Brigantino lacu nobilis. Vides vt mons Briga ad Celticum agrum pertineat.

Huius affinitas argumenti vrget ac propè impellit, vt tranſalpinæ Galliæ, quæ Ciſalpinæ attigua eſt, locos aliquos ex vetuſtis nomenclaturis in noſtræ ætatis appellationem tr ſmigrare faciamus. Ptolemæus tabula 3. Europæ ſub Deciatiis reponit Antipolim Forumiuliũ inter Varum Argentiúmque flumina: vulgo le Var & Argente. Vt autem ab his locis me expediam, hanc ſemel ingreſſus chorographiam Narbonenſis Galliæ, cùm ex Mela, tum ex aliis authoribus reddẽdo vetuſta recẽtioribus, populos ex ſuis metrocomiis deſignabimus. Eſt igitur Allobrogum, qui & Delphinates potius quàm Sabaudi, Dicæarchia Vienna, Arecomicorum Nemauſus, vulgo Nymes. Cauarum Auenio, vulgò Auignon. Toloſa Tectoſagũ, Arauſio, aliàs Auraſicenſis, ab aura ſicca ciuitas appellata, vulgo Aurenge, ſelectus principatus in colonia Secundanorum, in Sextanis verò Arelate, in Septimanis Biterra, vulgo Beſiers. In Segalaunis Valentia, vulgo Valentinoys. In Tricaſtenis Neomagus, vulgo Nion prope Gebẽnã. Ab hoc autem quadãtenus deflectit prouinciale Romanum Tricaſtinẽſe op-

didum propè Arelatam, à tribus caſtellis dictum. hodie Sampaulinā diœceſim vulgus appellat. Sunt & foſſæ Marianæ, vulgo dictæ Aquæ mortuæ, Mottegues. Et præter has Aquæ Sextiæ, vulgò Aix en prouēce. Taurenſium, hodie Talon. Cabellionum Colonia Caualicēſis, Cauaillon. Taruſcium Taraſcō, ager diuæ Marthæ veneratione nobilis. Ceſſero hodie appellatur Caſtres. Carcaſſo, Carcaſone. Porro apud Salies ſunt Arelatum, Taruſcum ſuprà memoratæ ciuitates, & cum his Glanum ſeu Glandatēſis ciuitas, hodie Glandeſue. In Seneſiis populis vulgo Senes, ciuitas Epiſcopalis Dinia, Dine. In Mimatenſibus forum Neronis, In Vocuntiis Vaſio. Agatha inſula aliàs dicta bona fortuna, vulgò Agde: à qua ciuitas Agathopolis, hodie Mons peſſulanus, aliàs Mons puellarius, Mōtpellier, ſeu ſi mauis Puellier. Lego tamen apud aliquos montem piſciculanum. vocāt enim incolę loci piſcem, peſche. Ciuero hodie Chamberi. Sebuſiani vulgo Bourg en breſſe. Vnde & Sabaudiæ nomen prodiit potius quàm à Sabatiis vadis, vulgo Sauoye. Salaſsi ſeu Saluſsiani, forte apud Liuium Salluuii, in alpib⁹ Cottiis ſiti, hodie Marquiſat de Saluſſes. Auguſta Taurinorū, Turni. Ebrodunum ſeu Eburodunum, Embrun. Brigantii, Brianſonnoys. Scingomagus aliàs Seguſium Seuſe. Ocellum oppidū Oulx. Trophæa Auguſti, hodie Villafranca. Monechus portus Monegue, quòd illic ſolitariè Hercules coleretur. Lucanus lib. I.

Quáque ſub Herculeo ſacratus nomine portus
Vrget rupe caua pelagus, non Corus in illum
Ius habet aut Zephyrus, ſolus ſua littora turbat
Circius, & tuta prohibet ſtatione Monechi.

De Ingaunis vero Blondus ſic ait: Albio Ingaunum vrbs vetuſtate nobilis, nunc Albiuga, Proculo imperatore Romano alumno & ciue memorabilis, Alluitur flumine Merula, quod & Tēta appellatur, centenis torrentibus aucta. Eſt & portus Delphini in maritimis alpibus, hodie corruptè Portofino. Eſt & portus Venerius, non tam à Venere quàm à diuo Venerio pontifice hoc nomine venerabilis, vulgo Portoueno. Qui quidem portus Varo concluditur & Macra fluuiis, Macra diuidente Hetruriam à Liguria, quam Varus ſecernit à Gallia. Auguſta prætoria, Valdouſte. Seduni, Sion. Veragri, Sainct Maurice, ſeu Octoduri in Centronibus, Tarentaſia ciuitas. In Salaſsiis Eporedia ab equis & rhedis dicta. Quidam appellant Hiuree. haud ſcio an potius nomē iſtud conueniat Iberi in radicibus Alpium, cuius ſuprà meminimus. Sunt qui vocent Antuales, pays de VVault. Eſt & mōs Sēpronū, vulgo mont Sempion. In Lepontiis vallis Leuentina. Eſt etiā Belinſona ſeu Belliſiſio caſtrum. Sunt & Latobrigi vocati hodie Lauzanenſes. Caturiges verò forte Cadurci, Cahors. Ciuario autem vnde Ciuarienſes, hodie Viuarienſes dicti Viuiers. Carpentoratæ, hodie Carpentras, aliàs Carpentoratum. Hæc obiter hoc loco recenſere dignum duxi, alioqui parerga. Iam ad id quod de Rhodani progreſſu egreſſuque differendum ſupereſt, accingamur. Perſpicuum cūctis eſſe debet tam præcipitem eſſe hunc amnem, vt aduerſo flumine nauigium minime admittat. Quòd ſi qui ſalarium onus deferentes, contra niti magno labore contendant, neceſſe fuerit ad huiuſmodi onus cōtra fluminis impetum ſubuehendum, equorum iungere cēturiam priuſquam aduerſum flumen nauigari poſsit. Occurrunt nonnunquam in alueo medio, niſi quis ſibi prouidè cauerit, ſcopuli latentes, quibus illiſa nauigia nonnunquam pereunt. Quin & quibuſdam in locis tenuis vadoſuſque fluuius onerariam quandoque nauim ſubiacenti

arenæ immerſam ſiſtit. Cui effugiendæ ſalebræ vnicum remedium eſt, exoneratæ naui iuſtum quærere alueum. Hoc autẽ habet fluuius ille, vt clara nõnũquã caſtra aut oppida altrinſecus ſuo cõtingat alueo, vti de Turnone caſtro, déque Thynea ciuitate vulgo celebratur adagiũ: Entre Thyn & Tournon, ne paiſt ne brebis ne mouton.

Idem de Auenione dixeris vrbe pontificia, & e regione oppoſita Neapoli, ſeu Villa noua regia. Vbi vero ad Sancti ſpiritus teſtudines deueniẽdũ eſt, nauta, niſi ad amuſsim è longinquo ſui nauigij curſum direxerit, præſentiſsimum illi reſtat naufragium: dum neque nauim ſiſtere poteſt, neque ſemel acceptum impetum diuertere. Qui igitur prono deſcendunt alueo, vectorias ſuas naues vbi ad portum venerint Rhodani extremum, eas precio diſtrahere neceſſe habent: cũ nequeant reuocato gradu contrario reniti flumini. Vbi vero in mare prolabitur, quanto impetu in ipſo littore cum marinis vndis luctetur, nõ obſcurè docet Solinus his verbis. C. Marius bello Cimbrico factis manu foſsis inuitauit mare: pernicioſámque feruẽtis Rhodani nauigationem temperauit. Qui amnis præcipitatus alpibus, primum per Heluetios ruit, occurſantium aquarum agmina ſecum trahens, auctúſque magno ipſo quod inuadit freto turbulẽtior: niſi quòd fretum ventis excitatur, Rhodanus ſæuit & cum ſerenus eſt, atque ideo inter tres Europæ maximos fluuios & hunc computãt. Aquæ quoque Sextiæ eo loco claruerũt: quondã hyberna Conſulis, poſtea exculta mœnibus. Quarum calor olim acrior exhalatus per tempora euaporauit, nec iam eſt famæ prioris.

Compenſantur nihilominus ea quæ diximus Rhodani metuenda pericula, quibuſdam fœlicioribus notis. habet enim ſuos lacus, nempe Lemanum multis nominibus nobilẽ, cuius ſuprà meminimus: habet & ſibi adiunctas Thermas in Curienſi agro, ad tuendam valetudinem morbóſque pellendos multifariam vtiles, enarratore Munſtero in Thermis Valeſianis, nempe Brigenſem & Leucenſem ſalubres admodum & efficaces ad pellendas corporis plagas, & corroſiones ſcabiéſque excutiendas, catarrhúmque compeſcendũ, ſpaſmúmque vitandum. Cuius rei gratia frequens eò loci populus accurrit.

Nolim præterire ſilentio, quæ de mulabus Rhodanicis ſuo carmine luſit Claudianus, qui in hæc verba cecinit:

Aſpice morigeras Rhodani torrentis alumnas,
  Imperio nexas, imperióque vagas.
Diſſona quæ varios flectant ad murmura curſus,
  Et certas adeant voce regente vias.
Quanuis quæque ſibi nullis diſcurrat habenis,
  Et pateant duro libera colla iugo,
Ceu conſtricta tamen ſeruit: patiénſque laborum,
  Barbaricos docili concipit aure ſonos.
Abſentis longinqua valent præcepta magiſtri,
  Frenorúmque vices lingua virilis agit.
Hæc procul anguſtat ſparſas, ſpargitque coactas,
  Hæc ſiſtit rapidas, hæc properare facit.
Læua iubet, læuo deducunt ordine currum:
  Mutauit ſtrepitum, dexteriora petunt.
Nec vinclis famulæ, nec libertate feroces,
  Exutæ laqueis, ſub ditione tamen.
Conſenſúque pares, & fuluis pellibus hirtæ
  Eſſeda concordes multiſonora trahunt.

Miraris

Miraris ſi voce feras pacauerit Orpheus,
Cum pronas pecudes Gallica verba regant?

Quocirca vnus iſte eſt (vt ſiquis in tota Europa alius) clariſsim⁹ amnis, inque omnium ore & aure ita frequens, vt vix vnum aliquem offendas claſsicum authorem, ſummúmve, medium, aut infimũ, à quo non magnificis ſupra cõmunẽ modum titulis epitheiíſve, vnà cũ his qui in eũ ſeſe exonerant, ampliſsimè celebretur. Quando nõ quoties ſe materia offert, à Virgilio, Horario, Naſone, Martiale ornatiſsimè excolitur? Prodeãt Lucanus, Claudianus, Propertius rei huius de qua agitur locupletiſsimi teſtes. Sic enim præter ea quæ ſuprà tetulimus, Lucanus ait:

Stridentes acuêre tubæ: qua Cinga pererrat
Gurgite: quà Rhodanus raptum velocibus vndis
In mare fert Ararim: quà montibus ardua ſummis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Heſiodus, teferente Volaterrano, hunc alterum dicit Eridanũ: Qui ſi cum Pado aut æquaſſet, aut in quibuſdam prætuliſſet: nihil eſt, ſi quis me iudice certet, in quo aut incuſari deberet, aut poſſet: cum ſupra cõmunem modũ inſignes metropolitanas ciuitates ampliſsimis cumulet beneficiis: nimirum præter Curienſem Loſanẽſemq; diœceſes, ingentémq; illũ Lemanũ lacũ, Viẽnã, Lugdunũ, ac proinde Allobrogas omnes ſuo alueo ſinúq; alit & fouet, ipſumq; Burgũdiani ſoli archiſoliũ Arelatẽ, Volcarúmq; metropolim Auenoinem præterfluẽs, Viuarienſe ſolũ obiter trãſeũdo fouet. Tibullus lib.1. de ea te ita cecinit:

Teſtis Arar, Rhodanusq́ue celer, magnúſque Garumna,
Carnoti & flaui cærula lympha Liger.

Claudianus non vno loco miris hunc amnẽ laudibus effert, primúmque in Ruffinum lib.2. hæc cecinit ad verbum:

Inde truces flauo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Ataris quos tardior ambit,
Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.
Quoſque rigat retro pernicior vnda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æſtu.

Idémque in Eutropium ſic habet:

Inuectæ Rhodani Tyberina per oſtia claſſes
Cynipheiſque ferax Araris ſucceſsit ariſtis.
Teutonicus vomer, Pyrenæíque iuuenci
Sudauere mihi, ſegetes mirantur Hiberas.
Horrea, nec Libyę ſenſerunt damna rebellis.

Idem in Stilicone:

Vltorem videant, ſeruatorémque Quirites.
Vt populus quem ductor amas, quibus Africa per te,
Nec prius auditas Rhodanus iam donat ariſtas:
Vt mihi vel Maſsyla Ceres, vel Gallica proſit
Fertilitas, meſſéſque ferar nunc humidus Auſter,
Nunc Aquilo, cunctis diteſcant horrea ventis.

Hunc inter Alpinos fluuium commemorat Auſonius in ſua Moſellã ita inquiens.

Te Druna, te ſparſis incerta Druentia ripis
Alpiníque colent fluuij, duplicémque per vrbem
Qui meat, & dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.

Sed hæc omnia abſolutiſsimè veluti penicillo quodã depingit Strabo ſuæ geographię lib.4. Reliqui vicatĩ ętatẽ agũt, clariſsimi verò Viẽnã

prius quidem vicũ habitantes,gentis tamen metropolin appellatã, in ciuitatis formam appararunt.Sita eſt ad Rhodanum:qui ſuper Alpes tãtus tãmq; impetuoſus fertur,vt per magnũ egreſſus lacum ad multa ſtadia manifeſtum oſtẽdat curſum,ad planos deinde Allobrogum & Ergoſianorum deſcendens agros penes Lugdunenſem Ergoſianorũ vrbem,Ararim influit. Verũ Arar quidẽ ex Alpibus labitur,Sequanos & Eduos & Lincaſios diſcernens,& Dubin poſtmodũ aſſumens,iiſdẽ è mõtibus nauigabilem delatum,victórque nomine factus, ex ambobúſq; Arar effectus Rhodano cõmiſcetur.Rurſus autẽ ſuperans Rhodanus Viennã defertur. Tribus his fluuiis euenit vt initiò in aquilonẽ, dehinc in occidentem deferantur. Iámq; in vnum tandẽ amnẽ confluens,in auſtrũ iterũ curuatus excurrit,quoad erumpat aliis acceptis fluminib⁹: & hinc reliquum in mare curſum perficit.Ipſa igitur inter Alpes & Rhodanum talis eſt regio. Secundũ hæc tam multa támque egregia Rhodani fluminis encomia,ſubiicienda venit Pomponij Melæ chorographica deſcriptio, vnà cum fluuiorum nomenclatura, qui ſeſe in huiuſmodi amnem exonerant,ſi prius tamẽ Rhodani etymon,ſi non per apodixin, augurio ſaltẽ aliquo (quantũ res ipſa permittit) expedierimus.Sunt qui Rhodanum à rodendo dictum vulgato potius vſu, quàm certa ratione pronunciẽt. Sunt quibus rectius videtur, veróque ſimilius,Rhodano nomen inditum à Rhodia quam præterfluit colonia. Vbi tamen nobis locus dabitur coniecturæ, bona omnium pace dici poterit,quòd à rupibus natum ſit flumen Roſchene:hoc eſt,à rupibus natum:qui nunc colliſis aliquot elemẽtis vocatur le Rhoſne.Quis non aliquando fando audiit quotidiano iam vſu penè detritam ſententiam ex ſatyrico de Athenatenſi fluminum con fluentia Rhodani & Araris,Aut Lugdunẽſem rhetor dicturus ad arã?

Hoc expedito negotio, Põponij verba recẽſebimus. ſic ille habet, Inter eam,ſubaudi Maſsiliã,& Rhodanũ maritima Auaticorũ ſtagno aſsidet foſſa Mariana.Partẽ eius amnis nauigabili alueo effũdit: alioqui littus ignobile eſt lapideum (vt vocant) in quo Herculem contra Albionem & Bergiona Neptuni liberos dimicantem, cũ tela defeciſſent,ab inuocato Ioue adiutũ imbre lapidũ ferũt:credas pluiſſe, adeò multi paſsim & late iacent. Rhodanus nõ longè ab Iſtri Rhenìq; fontibus ſurgit,deindeLemano lacu acceptus tenet impetũ,ſeq; per mediũ integer agẽs,quãtus venit egreditur.Inde cõtrà in occidẽtẽ ablatus,aliquandiu Gallias dirimit. Poſt curſũ in meridiem abducto, hac intrat,acceſſúque aliorum amnium iam grandis, & ſubinde grandior inter Volcas & Cauaras emittitur. Vltra ſunt ſtagna Volcarum, Ledum flumen,Caſtellum Latara,Maſua collis incinctus mari penè vndique: ac niſi quòd anguſto aggere contineñti annectitur,inſula.Tum ex Gebennis demiſſus Arauraris iuxta Agatham, ſecundum Bliteras Obris fluit. Enumerat Mela fluuiorum aliquot nomina, non tamen omnia, quæ in Rhodanum delabuntur.

Iam quot fluuiis intumeſcat Rhodan⁹ à prima ſua ſcaturigine,primóq; ſui ortu in Occaſum,hoc eſt à monte Furca in mare mediterraneũ,vix enumerari poteſt. Ex multis tamen colligẽdo pauca flumina deſcribam,omiſsis niualibus lacunis, quæ ex Seduſiorũ ſiue Sedunorũ oris,vulgo Sion appellãtur,emanãt,Gomeus in primis fluuius, Vſderus alter, VViſtacus tertius,Sargináq; in Sedunis Rhodanũ implẽt, authore in Valeſia Mũſtero priore tabula. Hos ſubſequũtur Borneus, Scitta, Morſúſq; amnes nõ ꝓcul à Seduno in Rhodanũ ſeſe exonerã tes.Quib⁹accedere faciam⁹ Aronã & Scloſũ nõ procul ab Agauno &

Octoduro,hodie Martinac appellato.Quorum nihil meminerunt au thores,inſigniorũ fluuiorũ nomenclatura contenti. Hinc protẽditur Rhodanus ad lacũ Lemanũ,qui à capite Lauſanẽſis,ab extremo verò Geneuenſis appellatur:vbi Arba fluuius ex mõtibus emanans abſorbetur.Inſigniores ſequũtur Arar,qui & Sagona,à ſummis alpibus ſcaturiens:quarũ vertex eſt Adula,aliàs ſancti Gothardi. Sunt qui dicãt Ararim Sagonam appellatũ à ſanguine legionis Thebææ:cuius rei fides ſit penes auctorẽ.Nam ante ſacrę legionis ſtragẽ Ammianus Mar cellin⁹ Sanconẽ appellauit.Ararim ingreditur Alduaſduſius,aliàs Du bis,vulgo le doulx:quẽ nomine extincto Arar defert in Rhodanum. Hic per montẽ Iurã,qui & SanClaudianus dicitur, prolapſus, Sequanos ab Heluetiis diuidit: montẽ Bellicardum, vrbem Biſontinam ac Dolenſe oppidũ præterfluens, non procul à Vireduno ac Cabilonẽſi vrbe Arari fluuio miſcetur:deflexis ſubĩde habenis ad Cemenos Rhodanus in Auſtrũ cõuerſus Viennã ſub põte ſecat, pulchritudinis iuxtà ac profundi iudicij nomine à Valerio Martiale cõmẽdatã,his verbis:

Fertur habere meos,ſi vera eſt fama,libellos
  Inter delicias pulchra Vienna ſuas.
Me legit omnis ibi ſenior,iuueniſque puérque,
  Et coram tetrico caſta puella viro.
Hoc ego maluerim,quàm ſi mea carmina cantent
  Qui Nilum ex ipſo protinus ore bibunt:
Quàm meus Hiſpano ſi me Tagus impleat auro:
  Paſcat & Hybla meas,paſcat Hymettus apes.
Non nihil ergo ſumus:nec blandę murmure linguæ
  Decipimur.credam iam puto Lauſe tibi.

Ex quibus liquet quanti æſtimauerit poëta Viennenſium de ſuo poëmate placitum. Sunt & alij fluuij ex Alpibus in Rhodanum decurrentes,nempe Tiſara,vulgo Liſere,aliàs Iſara, Aëriam ciuitatẽ alluẽs: in quẽ decurrit Durio Straboni ſic appellatus, vulgus vocat le Drac. Eſt autẽ Aëria nunc Gratianopolis,ab excelſo ſitu ſic appellata. Dracus autẽ fluuius à vertice mõtis procedit vulgo dicti La haulte croix. Eſt nihilominus fluuius alter Surga apud Volcas in Rhodanũ fluens, vulgo Sorgues:cuius fons veluti ex antro quodã in ſublime erigitur, inque fluuium dilatatur nõ procul ab Auenione. Fuit aliquãdo fons ille Sorgiæ,Franciſci Petrarchæ ſeceſſus & gratiſsima ſedes ad Clauſam Vallem ſita.de qua ad Olympium ſcripſit: Lucis (inquit)habitamus opacis,Riparúmque toros & prata recentia riuis Incolimus. Quæ ſi ſufficerent, poſſet vtique Clauſa Vallis, vnde Sorgiæ fons erumpit, nobis omnibus abunde riuulos nitentes, frondoſas domos, herboſáque miniſtrare cubilia. Idque adiungit:

Scio Clauſæ Vallis aptam & optabilem æſtiuo hoc præſertim tempore ſtationem:& ſi vlli vnquã ſeceſſus ille gratus fuit, mihi fuiſſe gratiſsimum indicio eſt mora decennis.Quòd ſi apud te ſine iactãtia glo riari licet, pace montium, fontium ac ſyluarum, vix quicquam loco illo non dicam clarius,ſed certè notius incolatu meo accidit. Opinari auſim apud multos non minus illum meo nomine quàm ſuo miro licet fonte, cognoſci.Hæc ille de fonte Sorgiæ. Hanc idem Vallem Clauſam in comitatu Venecino ſtatuit, vulgo le Contat de Veniſſe. Meminit & ipſe Druentiæ fluuij, quem alii Durentium vocant,vulgo la Durance.Qui ex Alpibus prodiens,vti Arar & Iſara, Rhodano miſcetur nõ procul ab Arelate: vti & ꝓpe Valẽtiã Tiſara, in quẽ in Regiẽſi diœceſi deuoluitur amnis Sorpius, id nominis à ſuo fõte trahẽs. vulgo la fontaine du Sorp, incredibilis ſupra communem fontiũ aleã

amplitudinis,vt ex cuius vaſto gurgite rotæ molares non paucæ prõ-ptiſsime agitẽtur.Non tamẽ eſt longũ inter fontis ortũ & fluminis in Druentiã occaſum aluei interſtitiũ : vt vno vtrunq; intuitu facilè deprehendas.Supereſt ad Rhodani oſtia Lædus, cuius Strabo meminit fluui⁹ magna ex parte petroſus:qui nec procul abeſt à foſſa Mariana, quã Aquas mortuas vocãt,vulgo Aiguelmortes.Pars autẽ littoris petroſa,omiſsis inanibus fabulis,vulgo dicta Leſcros,idcirco fuiſſe cenſetur,quòd ex terræmotu aliquo numeroſa ſaxorũ copia ex alueo in littus deuoluta ſit:aut certè hiatu quodã abſorpta aqua marina petroſum littus aridum reliquerit. Authorẽ nihilominus habeo Galloprouincialem ꝙ locus ille lapidoſus ſuo prouentu annuo loci accolis vndecim millium nummûm æſtimationẽ proferat. Nec huc adpingere pigebit quę de Rhodano poſt alluionem agri Arelatenſis refert idem Galloprouincialis illuſtrator: quòd ſcilicet ob congeſtũ per agros à Rhodano limum,excrementũ inde ſequatur magno frumẽti fenore, nẽpe ad ſeptuageſimũ. Turcicæ verò glebæ fœnus excreſcit ad quintum & vigeſimum.fides ſit penes authorem. Paret (vt iã omnibus in confeſſo eſt)vtraq; Rhodani ripa, præſertim à flexu in Auſtrũ, coitúque fluuiorum ad Cemeni montis radicem iunctim occurſantiũ,Frãcorum regi Chriſtianiſsimo,vſque dum per Allobroges atque per Arelatenſem Auſtralémque plagã oſtiis duobus in mare ſeſe exoneret, foſſam implens Marianam: quam Aquas ſedentarias mortuáſque appellãt,vt quæ illic ſuis detẽtæ repagulis nuſquã effluãt: Vt iã obſoleta cenſeatur Ligurini poëtæ mediæ ætatis ſentẽtia,qua Rhodanũ aſtruit vniuerſum Cæſareę ſubeſſe ditioni:eũ de imperatore loquens inquit:

At tibi cui Rhodanus totus famulatur ab ortu
Vſque ſuo,totúsque fluit dum gurgite feſſo
Oceani tumidis tandem ſe miſceat vndis.

At longè ſecus hodie res habet:non enim illi imperium Rhodani ripęq; minacis,ſed regi potius Franco, iure poſſeſſum & conceſſum agnoſcitur,ab ipſo Allobrogum tractu adúſq; extremũ in pelagus decurſum,per Arelatẽſe videlicet & Maſsilienſe ſolũ:quibus regionibus ſupremo iure præeſt. Et de his hactenus dictũ ſit, qui ex alpinis mõtibus emanãt fluuiis:qui quadantenus omnes (ſi eorũ originẽ ſpectes, inq; regiones quas longo tractu perluũt,progreſſum)pro Celticis haberi debent. Rhenus enim in Belgicam ſeſe voluat,in Galliã Narbonenſem Rhodanus, & qui ab eo abſorbentur fluuii, omnes tamẽ à montibus Celticis orti. Quin & Danubius ipſe origine pro Celtico habendus eſt:reliquiq; amnes qui ex Alpibus in ipſum ſeſe exonerãt.

Iam verò enumerãdi veniunt,quos in varias regiones mõs Cemenus euomit & diſſecat amnes. In inquam Cemen⁹, qui authore Strabone ab ora ſtatim alpina in medium Celticę ad occaſum vergens,in Narbonenſem,Lugdunenſem,& Aquitanicã Gallias ſua cornua profert non procul à Lugduno.Quo fit, vt ora illa Montana Cemenia, à Gebennarum montibus adúſque Aruernorũ ſyderibus proxima iuga ſeſe extendat,Gratiapolitanorũ aërias rupes lõgo tractu complectẽs. Proinde vltra Rhodanum è Cemeniis iugis in mare mediterraneum ſeſe proripiunt Orobius,quem nonnulli Obrim vocãt. Araurius, qui & Rauris Straboni dicitur: qui tranſmutato nomine apud Maſsiliam Petroſus vocatur,vtpote totus ſilicoſus, ac lapidum imbre cõſperſus. Orobius in meridiem iuxta Agathen deſcẽdit : quæ Agathopolis inſula eſt,Bliterráque penè alluit ciuitatẽ:quæ hodie vulgo dicitur Beſiers.Fluui⁹Atax,ſeu Aragis,cui⁹(vt ſupra dictũ eſt) meminit Lucan⁹.

Mollis Atax Latias gaudet non ferre carinas.

Adeo humi repẽs eſt, atque alueo minimè profundo. Vt autẽ Arecomios agros perluit Aurarius in Agathopolim defluens: ita Orobius Nemauſenſibus imminet, & Biterrenſibus Atagis, ſeu Atax.

Ruſcinio verò flumen Volcas attingit. Illiberis cognominem ſibi efficit vrbem: & hi omnes à Cemeniis montibus in Auſtrũ vergẽtes, mari abſorbentur Mediterraneo. quanquã Illiberis fontem quidam aſſcribant monti Pyrenęo.

Lacum implet Ruſcinius amnis, ceſtris alendis aptiſsimum, authore Volaterrano.

Cæterum Boream verſus Cemenius mons de quo ad præſens agitur, ad mõtes Aruerniæ, celeberrimũ (vt ſi quis alius) ex ſeſe procreat amnem Ligerim: qui multis fluuiis auctus, in Occiduum mare ciuitatibus peragratis oppidiſque nõ paucis nec modicis, defluus & refluus delabitur: hac nota inſigniter nobilis, quòd Aquitaniã à Celtica Gallia ſuo dirimit alueo. Magnificè de Ligeti fluuio ſentire viſus eſt Lucanus, vti in emẽdatis per Sulpitiũ Verulanũ codicib⁹ legitur, dũ ait:

Et nunc tonſe Liger, quondam per colla decora
Crinibus effuſis toti prælate Comatæ.

etiam ſi aliud referat Vadianus: ſed quàm rectè, viderit ipſe. Cẽſeo (inquit Verulanus) legendũ Liger, nõ Ligur: qui fluuius è Cemeniis mõtibus ortus, inter Pictones & Nannetas (ſic enim legendũ eſt) excurrens, Aquitanos à Celtis diuidit, & in Britannicum exit Oceanũ. ponitúrq; Liger pro accolis qui in collimitio degũt vtriuſq; Gallię, Celticæ inquam & Aquitanicæ: quę tota olim comata fuit, togatámq; nõ tam domuit q̃ fundauit Galliam: quod Liguribus nullatenus conuenire poteſt. Liger itaque, potius quàm Ligur legendum eſt.

De Aquitanis ſenſiſſe videtur ipſe, quòd olim Celtarũ more capillati fuerint, nũc vero decurtata cæſarie incedant. Porrò tã propenſus, támq; (vt ne amplius dicã) effuſus in ſuæ laudibus Moſellæ fuit Auſonius Gallus, vt hunc Moſellã fluuiũ ęquare nõ dubitarit Rheno, Rhodano, & Ligeri: veniã tamẽ præfatus, vbi Rheno Moſellã cõferre contendit. ſed hoc condonandũ erit poëtæ ingenio, fucatiſq; eius carminis pigmentis, vt ſatis indicat ad Auſoniũ Symmachus: Sic enim de Rheno comminiſcitur.

Neu vereare minor pulcherrime Rhene videri,
Inuidiæ nil hoſpes habet: potiere perenni
Nomine: tu fratrem famæ ſecurus adopta.
Diues aquis, diues nymphis: largitor vtrique.
Alueus extendet geminis diuortia ripis:
Communéſque vias diuerſa per oſtia fundet.

De Rhodano vero ſic ait:

Te Druna, te ſparſis incerta Druentia ripis,
Alpiníque colent fluuij, duplicémque per vrbem
Qui meat, & dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.

Duplicis vrbis nomine Arelatem intelligẽs: vti olim in Syria Antiochia fuit, quæ & Reblatha, poſtmodum Theopolis, reſtauratore Iuſtiniano, dicta eſt. Qua etiã ratione vrbs triplex Lutetia dicẽda eſt, quæ mediã cõplectitur inſulam, & vtráq; altrinſecus Lutetiã in Auſtrũ Arctúmq; vergentẽ: nũc vero quadruplex, ſuburbana acceſsione. Sed id obiter dictum ſit. De Ligeri verò ad hunc modum cecinit:

Non tibi ſe Liger anteferet: non Axona præceps:
Matrona non Gallis Belgíſque interſita fines.

Vbi cõmodius legendum crediderim, non Celtas Belgáſq; inter ſitus

amnis. Iam ſi conferre libet Ligerim Moſellę, per eos quibus intumeſcit vterque fluuios, pérq; eas inſignioris nominis ciuitates, quas quiſque ſuo alueo aut alluit aut perluit, facilè pſuaderi poſſe crediderim, Ligeri palmam daturum Moſellã. Neque enim me mouet quod ait:

Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere? dignandúmque mari memorare Moſellam?
Innumeri quòd te diuerſa per oſtia latè
Incurrunt amnes: quanquam differre meatus
Poſſent: ſed celerant in te conſumere nomen.
Nanque & Pronex Nemeſæque adiuta meatu
Sura tuas properat non degener ire ſub vndas:
Sura interceptis tibi gratificata fluentis:
Nobilius permixta tuo ſub nomine, quàm ſi
Ignoranda patri confunderet oſtia ponto.
Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Feſtinant famulis quamprimum adlambere lymphis,
Nobilibus celſis celebratur piſcibus ille,
Præcipiti torquens cerealia ſaxa rotatu:
Stridentéſque trahens per læuia marmora ſerras,
Audit perpetuos ripa ex vtraque tumultus.
Prætereo exilem Leſuram, tenuémque Drachonum:
Nec faſtiditos Salmonæ vſurpo fluores.
Nauiger vndiſona dudum me mollis Arauus
Torta veſte vocat, longum qui diſtulit amnem,
Feſſa ſub Auguſtis vt volueret oſtia muris.
Nec minor hoc tacitum qui per ſola pinguia labens
Stringit frugiferas fœlix Aliſontia ripas.
Mille alij, prout quenque ſuus magis impetus vrget,
Eſſe tui cupiunt: tantus properantibus vndis
Ambitus aut mores.

Enumerantur hoc loco qualiacũque illa tandem fuerint flumina, ad duodenarium plus minus numerum: cum multo & inſignioris notæ, & maiori copia amnes Ligerim ingrediantur, nempe Elauer, vulgo l'Alier, molineo ponte decorus, & confluẽtia in Ligerim nobilis: vulgo le bec D'alier.

Fluuius alter Sodrius, ſuo etiam ponte memorabilis, (pont de Sodre) Charus item fluuius ad montem Richardinum, ſeu ſi malis Diuitianum: gal. mont de Richard, Turonéſque defluens. Quem Lindrus ſequitur, amníſque Creuſa in Viennam delapſus magni nominis amnem, qui aliàs Vigena à quibuſdã appellatur: gal. Viẽne ou Vigene. & Clenus in Pictonib9, aliàs Plenus, ab aluei ꝓfunditate. vulgo le Clain. Eſt & alius ad diuum Laurentium Vndatenſem, vulgo Sainct Laurẽs des eaux. & ij à dextera parte Ligerim inflant: à ſiniſtra vero, vultu in Occaſum verſo, nec pauci nec ignobiles ſeſe Ligeri deuouẽt: in quib9 Sarta, Meduana, & qui ab Alẽconio procedit fluuius nõ contẽnẽdus.

Longum foret enumerare, cõmunémq; hominis operã ſuperaret, ſi quis numeratim ac nominatim aſſequi contendat quot mediocris notæ in Ligerim aut riui aut fluuij ſeſe exonerent, nõ infimæ (ſi piſcaturę cõmoda attenderis) vtilitatis, præter eos qui vectura, mercatu, & piſcilegio inſignes ſunt & nobiles. Eſt (vt hîc ab ortu ordiar) Arborellas præteriens fluuius (vulgo leau de Larbrelle) in Ligerim tandẽ decidens. Apud Palicetum alter, (vulgo la riuiere de la Palice) à palis paxilliſve fiſtucatis nomẽ habẽs. Qui vero in Aruernis Lemouiciniócp

paſsim agros irrigãt vſq; dũ Ligerim attigerint riuos quis enumeret? Eſt nihilomin⁹ inſignis à Bituricæ ciuitatis alluuione fluuius, la riuiere de Bourges. Cui non impari ſcaturigine & progreſſu adnumerãdi veniunt riui duo, Beuronis vnus, Coſſonis alter. Ille Campoburgenſe caſtrũ (gal. Champbourg) hic autẽ Magnæ matris phanũ apud Cleriacum non exiguo prouentu agrorum irrigant.

Cæterum apud Aurelios inſignem notam habet Ligerula fluuius, diui Maximini Arulam præterlabens, (vulgo Lairet) non ſine ingenti amplitudine ſcaturiens: qui quantus egreditur è fonte, ea ipſa amplitudine Ligerim deficiens ingreditur, ſui ſemper ſimilis, nũquam non liquidis nitidiſsimus vndis, piſcaturæ nihilominus magis quàm vecturæ idoneus. Quòd ſi de vrbium inſigniorum quæ Ligeri alluũtur, copia agitur: haud dubie hac in parte facilè ſuperat Ligeris Moſellã. Non enim clariſsimas modò ciuitates alluit, imò & regnorum quondam ſedes, nempe Aurelios & Nannetes. Alluit autem huiuſmodi oppida, aut certè non procul abeſt: Sanſaphorinum phanum (gal. Sainct Saphorin) Roanæ caſtrum, (Roane) Boiorum regiam (Bourbon.) Deſiderium oppidum, vulgo Deſire: ciuitatem Auguſtonometum in Niueduno, hoc eſt in Niuernia ſitum, Neuers: oppidum Charitatis, Conanium, Bonicum, Briaream, Guiernum, Gergobeum, & regni ſedem quondam Genabum, cum ſcilicet Francorum monarchia in tetrarchias diſſecta foret, vulgo Orleans, Bogenſiacum, Bleſas, Eicurium, gal. Eicures, Ambaſiam aulicam regiam, Turonicam ciuitatem archiepiſcopali dignitate inſignem, Langeſium caſtrum, Andes ſeu Andegauiam, Anceniſium, Nantietes (Nantes) ſcilicet in gurgite vaſto: Deiparæ quoque virginis phanũ Cleriacũ, ac Sanlaurentianas aquas. Quin & in Andegauis Saumurale oppidũ, Saumur, quaſi dixeris ſine muro: Pontemq́ue Cæſaris, vulgo pont de Cee.

Supereſt & alios expedire fluuios, qui aut iunctim aut ab aliis intercepti in Ligerim delabuntur. Eſt in Cenomanis nemini non cognitus fluuius Sarta, inter quem & Ligerim ora illa concluditur quam appellant Siligoniam, quòd frequens ſit ſiliginis prouẽtu. Haud ſcio an dici poſsit Sabulonia, hoc eſt ſabuloſa, alludẽdo vulgato vocabulo Sologne, b ſonante pro u. Priuſquam ad Cenomanenſis vrbis vallem perueniat, Alenconium ciuitatem à ſuburbano monte Fortenſi diſſecat, Pontemq́ue Nouũ ſubterlabens non procul ab oppido Guierchiano, gal. La Guierche, amnem excipit Ornam nomine duobus auctum fluuiolis. E quibus vnus diui Aniani phanum irrigat, vulgo Sainct Agnien. Alter vero à Memeriis prodiens, gal. Memers, ad Tironellenſe cœnobium Ornam ingreditur. Augetur præterea Sarta non procul ab vrbe quam alluit Cenomanenſi, Eugenia fluuio vulgò VVine ſeptem prius fluuiolis aucto. Quorum vnus Firmitatem Bernardi irrigat. Non procul à Bionenſi ſtagno ſuboritur alter: tertius à Semuno: quartus ab Elogiis caput erigit. Et hi quidem vnà cum Sagonio riuo ſupra Cenomaniam iuncti, ſubter eam in Sartam tandem ſeſe exonerant. Vbi autem ad pontem Noianum Sarta deuenerit, vulgo Noien, aduſque Malicornium oppidum, quàm fœliciter & vſque ad miraculum piſcoſus comperiatur, vel ex hoc vno coniici poteſt, quòd non paucis antè aut diebus aut annis irretitus fuerit carpio præter ſpem communemq́ue expectationem ad vlnæ quantitatem procerus, accedente etiam palmari quantitate pendebat eius lingua (ſi vera eſt publica fama) libras ſex: id atteſtante monumento epiſcopali Palatinæ domui inſcripto. Aiunt non procul ab his locis in Sa-

gonio tractu inexhauſtũ eſſe lacum, ex cuius profunda lacuna ſuſpiciendæ craſsitudinis carpiones extrahũtur (nomen illi Vadum-Stratenſe) Strata enim Vadũ claudit, vulgo Gay Chaucey. adeò vt piſcis vnicus, mediocri familiæ vnius hebdomadæ circulo ſufficere poſsit: id quod in aulico comitatu in oppido Bleſenſi experimenro didici.

Eſt item fluuius alter inſignis Meduana, vulgo Maiene, qui & ipſe apud Ambretias Grenero tumeſcit flumine, gal. La Greine, priuſquã Meduanam oppidum fluuio æquiuocum pertingat: ſubinde vero tribus fluuiolis auctus, Lauallium interluit: atque ex itinere apud domunculas vulgo Maiſoncelles, Louenium & Oeſtam excipit: gallicè Loaine & Oeſte. Augetur & eo qui ab Etnea defluit riuo, ſibilatorum nota ſatis ſuperq́ue cognita.

Hos præter, ſeſe offert Loairius amnis, gal. La riuiere du Louair, non infimi apud accolas nominis. Qui & ipſe augetur Braia flumine apud vadum Launenſe decurrente, gal. Le gue de l'Aulne. alluente etiam Sauigniacum apud Braiam, donec venias Laueniacũ, gallicè Lauenay. Eò loci alio auctus fluuiolo in Loairium ſeſe præcipitat.

Eſt & alius fluuius non procul à Chileio Gulielmino originem accipiens, gal. Chiley le Guillaume, nempe à phano diui Remigii Segreium vocant, vulgo Segrie: qui poſt longum decurſum Charnia amne intumeſcit à phano Sanſymphotiano ſcaturiẽte: tandemquo in Sartam delabitur vterque.

Et hi quidem penè omnes intra Cenomanici agri limites primæuam originem ſumunt, Sarta & Lotio exceptis. Hic enim à Vindoſonio, ille verò à Carnutenſi agro, non procul à Caſtriduno ſcaturiũt. Qui tamen poſt longos terrarum tractus anfractuſque viarum in vnũ coeuntes, nempe ad Meduanæ confluentiam, vulgo appellatam La Bouche de Maine, mediam alluentes Andegauenſem ciuitatem vaſto latoque alueo, mercibuſque in vtrumlibet vehendis reuehendiſque accommodo in Ligerim ſeſe proripiunt. Sic fit vt Cenomani & Andegaui ad mutua commercia fluminum ſubſidio fiant promptiores. Habet nihilominus Andegauenſis tractus, alios non exiles, nẽpe vecturæ idoneos, quibus alluitur amnes: qui & ipſi ſuis Ligerim augent alueis: quorum nomina hæc ſunt: Aulcionus, Vteſca, Laionius, Odonuſque fluuii. Toueſa inſuper, Iroſna atque Daubentia: quibus non parum augetur Ligeris inſigne fluentum. vulgus ſic appellat: Laultium, Vrezee, Laium, Oudon, Le Touetz, Iroſne, Doubence.

Reſtat vt de eius piſcoſitate, qua inſignior redditur, diſſeramus. Qua in re facilè audeat (neque id quidem temere) ſeſe æquare, ne dicam præferre Moſellæ, quem tantopere laudibus extulit Auſonius Gallus, ſi piſcium, quibus ſcatet, aut genera, aut certè piſcaturæ gregatim occurrentis frequentiã attendas. Eſt in Ligerano gurgite caſtrum cognomento Villanium, gal. Villaines, in quo ſæpius omni numero, retibus ad capturam diſpoſitis vnico tractu duo piſcium milia extrahũtur. Id quod Moſellæ nemo hactenus tribuere auſus eſt. Propter quod cunctãter Auſonius Ligerim cum Moſella conferens, vix audet vtrunque eadem metiri pertica, libens id facturus, niſi à poſteritate cenſoriam notam reformidaſſet. Iam enim in Moſellæ laudes ſe totum effuderat. Id inquam facturus, niſi dubiæ metuiſſet verbera caudæ. Satis ergo habuit dicere, ne quis offẽderetur: Nec tibi ſe Liger anteferet &c. Quæ verba ſunt optantis potius, animiq́ue propenſi, quàm conſtanter aſſerentis. Si de piſcium generibus agitur, quos in ſe recipit & defluus & refluus amnis priuſquã in mare ſe præcipiter,

nulli ceſſurum hunc fluuium facilè tibi perſuaſeris, etiam ſi piſculentiam totam Moſellanam Auſonii,in vnum acetuum cöiecceris. Quid enim Moſellæ conceditur, quo non Liger amnis abundet?ait ille(vt à minutulis ad cetarios progrediamur)

Gobio non maior geminis ſine pollice palmis
Præpinguis,teres,ouipara congeſtior aluo,
Propexique iubas imitatus Gobio Barbi.

Eſt autem Gobio concoctu facilis, ſuccique admodum congrui,vulgo Gougeon.At hic in Ligeri frequentiſsimus eſt:vti & hi quos in his verſibus commemorat idem Auſonius:

Hic etiam Latio riſus prænomine,cultor
Stagnorum,querulis vis infeſtiſsima ranis,
Lucius obſcuras vlua cœnoque lacunas
Obſidet:hic nullos menſarum lectus ad vſus
Feruet fumoſis olido nidore popinis.:
Quis non & virides volgi ſolatia Tincas
Norit?& Alburnos prædam puerilibus hamis?
Stridenteſque focis opſonia plebis Alauſas?
Teque inter ſpecies geminas neutrunque & vtrunque
Qui necdum Salmo,nec iam Salar,ambiguuſque
Amborum medio Sario intercepte ſub æuo?

Vbi non obſcurè declarat quis piſcis Salar dicendus ſit: quem ſuprà ita depinxerat:

Purpureiſque Salar ſtellatus tergora guttis.

Quo nomine trutam ſeu torrentinam intelligendam authores cenſent.Hinc vulgo dici ſolet,Truite ſaulmonnée. Torrẽtina autem vocatur,quòd ſit in torrentibus frequens.Nam ſeſe vt plurimum torrẽti opponit,contraque eius fluxum nititur.

Porro quam opſonium plebis vocat Alauſam,ea eſt quam Thriſſã nonnulli,alii Lactiam vocant:quidam vero Chepiam , vulgus Aloſe. Aquitani Coulac vocitant:toto piſcis frequens Ligeri,plauſibilis ſanè delicataque eſca,vti & Lucii:quanquam nonnihil illi detrahere videtur Auſonius:nos vero laudamus veteres, noſtris tamẽ vtimur annis, quibus nonnihil immutatum experimur cum guſtu iudicium. Tincas(quod pro comperto ſatis haberi putant nonnulli)vix vſquam Liger aut gignit aut alit.cœnoſus enim piſcis eſt Tinca,lutoque immergitur.Liger autẽ eo eſt illuſtrior,quo minus lutoſus arenoſo defluens alueo perſpicuo ac renitenti. Contrà vero piſcibus abundat nonnullis,quorum inopia Moſella laborat . Habet ſua tela,vulgo appellant dards,aliàs Vandoizes. Lacertos verò Pinperneaulx vocant . Addo etiam & Murænulas,vulgo Lampreons:præter grandiores Murænas, quas Flutas vocant:quaſi dicas foraminibus fiſtulatas,niſi à fluitando dictas malis.

Eſt vtrique fluuio Rhedo communis , ſpinis carens:cuius ita meminit Auſonius.

Et nullo ſpinæ nociturus acumine Rhedo.

Cartilaginoſus enim piſcis eſt, noſtri vocãt Loche.Eſt & apud Ligerim frequens piſciculus oculis ruber, vulgo Gardon : ægris alimonia vtilis,faciliſque concoctu.Munierium vilem piſcem paſsim in eo natare videas. Denique menarum grege redundat totus Liger, noſtri appellant Menuize:niſi cum Maſſario dicas aleculas aut celerinos.Super quo non contenderim,liberum cuique relinquens iudicium:coniectura tamen eſt quòd piſciculorum turba ſit incondita menæ. Sunt

tamen qui vocent Lycoſtomios Eucrauléſve ſeu Eucraſicoles non niſi turmatim toto oberrantes alueo, nec ſe patiuntur à ſuo grege diuelli: niſi forſan dixeris, menas quidem eſſe marinos gregales piſciculos: Lycoſtomios vero, fluuiatiles minutulos.

Vmbris, vmbrinísve (quas Scienas græca alluſione rectè dixeris) Liger amnis abundat: nec minori copia fluuiatiles lupos gignit aliteque, & Lucios vulgo appellatos Lucz & Brochetz, Carpionéſque ſquammatos, ſed paulo macilentiores his qui apud Sequanam gignuntur. At vero quam prædã vocat Auſonius puerilibus hamis Alburnum: nos Able aut Ablette appellare ſolemus. Eſt & piſcis in Ligeri dorſo aculeato vulgo dictus Eſpinart, quaſi ſpinatulum dicas: cuius generis ſunt apud nos Perchę & Bremę. Eſt & minutulus capito, vulgo Chabot appellatus, aliàs Teſtard.

Barbos, Salmones, reliquoſque quos ſuæ Moſellæ alumnos enumerat piſces, affatim Liger fouet & excipit: vti ſunt Parcæ, quas menſarum delicias appellat: & celeres Vmbræ, de quibus ait:

Effugiens oculos celeri leuis Vmbra natatu.

Barboſque enumerat, peiore æuo meliores.

Tibi (inquiens) contigit omni Spirantum ex numero non illaudata ſenectus. Hos inquam omnes ad vnum ſuos Liger agnoſcit alumnos: imò & pelagios cetarioſque piſces, quos nemini dubium eſt deflui ac reflui amnis pulſare fores vbi ad oſtia Ligeris deuentum ſit: vti eſt Silurus, quem aliàs Turſionem appellant, vulgo Eſturgeon: cuius ita meminit Auſonius.

Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure:
Quem velut actæo perductum tergora oliuo
Amnicolam Delphina reor.

His vbi in mare ſeſe exonerat, Ligerim abundare piſcibus, nemini dubium eſſe poteſt: vti & his quas Focas vocãt, maríſve ſues, gallicè Marſouin. Denique marinorum piſcium omne genus Ligeris oſtia penetrare minimè dubitarim, eo potiſsimum loco quo ſeſe totum effundit in pelagus. Quo fit, vt potius cedat Moſella Ligeri, quàm Liger Moſellæ. Ad cætera pergẽdum eſt, & quò nos via ducit eundum. Poſteaquam de Cemeniorum montium ſcaturiginibus & inde profluentibus, quantum ad Celticam Galliam ſpectat, fluuiis actum eſt: iam tandem Celticus nobis expediẽdus eſt Vogeſus in tota latiſſimè patẽs Auſtraſia. Ex quo veluti ex equo olim Troiano innumeri fluuiorum aluei perpetuo tenore effluunt: & ii quidẽ omnes origine Celtici ſunt: occaſu vero magna ex parte Belgici: niſi quòd inſigniores nonnulli Belgicam à Celtica ſecernunt, vtrique communes Galliæ: in quibus ſunt Sequana & Matrona.

Primum itaque nobis citandus eſt Phileſius natu Vogeſigena, qui montem ſuum his depinxit lineamentis:

Mons (ait ille) Vogeſus (alii Voſagum vocant) ſumit Rheticis ex alpibus ortum,
Et viridi coſta te quoque Treuir adit.
Gallica Teutonicis qui ſeparat arua colonis,
Et Mediomatricæ mox videt vrbis agros
Odilia in ſummo requieſcit vertice montis,
Odilia Alſatici gloria ſumma ſoli.

Porrò ex Vogeſo Moſam ſcaturire & Moſellam, nemo qui chorographiam vel ab ipſo limine ſalutarit, ignorat. De Moſa quidem id teſtatur Bartholinus Auſtriados lib. 8.

Menapios Tungróſque vides, Moſamque fluentem
Ex Vogeſo: qui dum Rheni ſe fluctibus æquat,
Longior eſt tractu, & productior exit in æquor,
Supra autem (mirum dictu) Nabalia velox
Haurit iter, fluuióſque ſecat, luctanſque ſub imas
Tranat aquas, magnumque adigit ſibi cedere Rhenum,
Vixque Moſæ retinet rapidum intra littora curſum.
Hic habitant Bataui, debellatuſque Sicamber,
Quæque fuit profugo ſedes contermina Catto.

De Moſella id notius eſt, quàm vt quis dubitare poſsit: quibus vero augeatur fluminibus, Auſonius abunde ſupra docuit.

Scaturiunt nihilominus ex Vogeſo monte fluuii alii nec pauci, nec modici. teſtem huius rei citabo chorographum Munſterum, qui in ſua Alſatia rem totam his verbis aperit:

Terminatur Alſatia ab oriente ad Rhenũ, & ab occidente ad Voſagum montem, qui Lotaringiam à Germania diuidit, extẽditurque à Sungoia ad ciuitatem Myſſemburg. Latitudo regionis à Rheno vſque ad montana, eſt trium miliariorum Germanicorũ, etiam ſi apud Hagenoiam planities terræ adhuc latior eſſe deprehendatur, montibus ſcilicet magis ac magis à Rheni alueo recedentibus. Euomit mõs Voſagus plurimos amnes, qui per mediterranea deuoluti Rhenum petunt. Nam erumpit fluuius Tholder è valle Maſmunſter, Louch è faucibus Murbaci & Gemileri, Fecht ex interioribus oppidi Turckheim, Bruſcha ex conualle Schirmek, alluens mœnia oppidi Molſheim, pertranſienſque vrbem Argentinenſem, Sorna è Taberna curſum accipiens, Mater à Neumiler verſus Hagenoiam fluens, & Sur Foreſtam interlabens, à quo Surburg vetuſtum monaſterium nomen ſortitum, quod tamen hodie eſt collegium ſacerdotum ſecularium; ſicut & Lauterburg oppidum ſortitum eſt ſuum nomẽ ab amne Lauter, qui ex Maſgoienſibus montibus longè retro Miſſemburgum imperiale oppidum originem ſumit. Hos amnes & alios ſimiles licet videre in tabula Rheni, quam pro Alſatia paraui, ait ille Munſterus. Præcipuus tamen Alſatiæ fluuius eſt Illa, qui totam ferè percurrit Alſatiam, primam ſcaturiginem habẽs in Sungoia ſupra oppidum Altkirch, fluenſque iuxta oppida Mulnhanſem, Einſsheim, Colmar, Seleſtadium & Benfelden, ſine ambagibus petit Argentinam, vbi Rhenum ingreditur, receptis tamen antea omnibus riuulis ex Voſago monte emiſsis. Neque id ex chorographorũ teſtimonio omiſerim, Vogeſum montem fluuiorum inſignium ſcaturigine fœlicẽ eſſe, imò etiam argenti ferrique fodinis, ſuis accolis multum adferre ſubſidii.

Quod autem ad rem noſtram magis attinet, conſtat ex montanis Vogeſi regionibus aut locis non admodum ſemotis Matronam prodire & Sequanam: quibus fluminibus Celtica Gallia ſecernitur à Belgica. Eſt autem, id quod obiter dictum velim, Vogeſianus tractus vt prorſus Gallicus, ita & Celtobelgicus: in Belgas partim, partim vero in Celtas ſeſe proripiens. Sic & Sequana & Matrona fluuii inſignes ſcaturigine Vogeſiani, Belgoceltici ſunt, Belgas ſecernentes à Celtis gemina ripa, Celtica vna, Belgica altera: vti & Liger Celtoaquitanicus eſt: diſterminat enim ab Aquitanis Celtas. Porrò tractus ille Gallicus Ciſrhenanus, qui Moſa, Moſella, Rhenoque cõcluditur, Ripuaria à Ligurino dicitur his verbis:

Saxones, & quorum Ripuaria nomine tellus,
VVeſtualiæque vrbes, & Norica rura tegentes &c.

Cuius loci illuſtrator Spiegellius ſic ait: Ripuaria tellus clauditur fluminum ripis, à quibus nomen ſortitur, Rheni ſcilicet, Moſellæ & Moſæ, triangulari quaſi forma. Caput ad Confluentes eſt, acies apud Dile, oppidum poſt Nouiomagum, vbi Moſa in VVahalim influit.

Pars eius maxima Alſatia dicitur, ab Alſa præcipuo flumine: quē vulgo Allis vocant. Horum trium fluminum accolæ interiores quodam veluti trigono concluſi Ripuarienſes olim dicti ſunt.

Erumpunt è Vogeſi faucibus alii quoque amnes nō prorſus ignobiles, ſed variis fortunæ caſibus memorabiles, in quibus eſt fluuius nomine Murtha: in cuius deſcriptione multus eſt Baſinus Seudacurrius in Nanceide ſua:

Vrbs ſedet (inquit ille) vrbis habent ſi forſitan oppida nomen,
Leucenſes inter populos gentemque Voſagam,
Ac Barrenſe ſolum. Nec multò pòſt.
Exultatque loco piſcoſum accedere Murtham:
Qua parte auroram naſci ſpectamus & Eurum
Nanceium vocat hanc vetus incola nomine quondam
Obſcuro, verùm iam geſtis rebus & armis
Percelebri.

Apud Murthā (quod ſatis conſtat) vulpe leo cecidit, vt eſt in adagio: Rex ibi clamo bibit. Cuius verſiculi numerales literæ, cædis Carolinæ annum & diem menſis indicant: cui cæſo hoc cenotaphium legitur adſcriptum:

Te ſemper pacis piguit, placidæque quietis:
Hic proſtrate iaces Carle: quieſce tibi.

Quod autem ad Murthæ fluminis deſcriptionem attinet, libet ex Nanceide hæc paucula huc adferre:

Saxea prominet arx: quam gurgitis vnda Veſuuii
Caſura in Murtham, tenui præterfluit alueo.
Hanc habitatores Haddonuillate vocari
Inſtituère prius. Quò dum paulo antè Renatus
Veniſſet: gentem ipſe ſuam partiuerat omnem
Illas in partes quas iam treis diximus eſſe.
Ordinibus ſpaciiſque iubet procedere certis
Quamque trium, pagumque peti, quem nomine portum
Vulgus ait: iubet & Murthæ mox vincere pontem,
Hoſtibus incautis: qui nec defendere, ſed nec
Armata munire manu loca capta parabant.

Idemque lib. Nanceidos 6. ſic ait:

Virginibus templum eſt ſacris inſigne, vetuſque,
Infra quod vel Murtha fluit Lotoringus, & illud
Boxerias ait. Aſt pons amni eſt ſaxeus, in quo
Clauſa fuga eſt Burgis.

Hactenus de Murtha flumine dictum ſit.

Caroli cædem, ſanguinolentúmque ex omni parte interitum his Renatus Lotaringus verbis defleuiſſe legitur.

At procerum turbis has ſtipatiſsimus ædes
Victor adit princeps: qui dum te Carole victum
Reſpicit, illachrymans, vtinam tibi viuere pace
Compoſita licuiſſet, ait: tellure tuorum
Contentus, poteras dici prædiues auorum.
Non ego te, verùm tu me nulla arma volentem,
Marte laceſsiſti, Marte hic oppreſſus. ad iſta

(Sunt mihi dii teſtes) proceſsi bella coactus.
Et cerno inuitus tam crudeliſsima de te
Afferri huc nobis ſpectacula. mitior eſſet
O vtinam mors hæc:quæ ſic deflenda ſit hoſti.

Occubuit autem quietis impatiens Carolus Burgũdus,ita ſuperis telam texẽtibus, in agro Virileto,fatali quodam omine ita nuncupato multis antea & diebus & annis. qua de re ita Nanceius polyhiſtor.

Eſt in Nanceiis aratro locus vtilis aruis:
Nec procul à muro,pluſquam ſolet ire ſagitta
Miſſa ter,& iuxta eſt Rhodiis locus ædibus ille.
Hunc autem antiquo Virletum nomine dicit
Vulgus : at an fato,ſeu caſu emerſerit ipſum
Nomen,habet nemo compertum,nemoque notum.
Accliuem dat terra locum,gremioque lacunas
Format:& herboſam nutrit bibuloſa paludem.
Stillanteſque receptat aquas:operitque receptas.

Quandò verò cæca hominũ philautia nihil intentatũ relinquit quod ſuis in ſpeciem ſeruiturum credat affectibus, etiã vſque ad manifeſtæ opinionẽ inſaniæ, non defuere qui impudenter mentirẽtur mortem euaſiſſe Carolũ,quibuſdã perſanctè iurantibus fuga euaſiſſe periculũ. Erant qui non vna voce mentirẽtur, vt nunquã ſecum ſolet conſtare vanitas:qua in re authorẽ Nãceidos audire præſtiterit,ita inquientẽ:

Quæritur inuentus nulli,tunc creditus ille eſt
Qui pateat nuſquam,pegaſo celer atque timore
Traieciſſe procul,ſeque exemiſſe periclo:
Atque aliquis falſam cupiens extendere famam,
Audirique volens (mentitus ſcilicet) infit.
Vos ô turba,ducem quid heri loca deuia nactum
Quæritis hic hodie ? fluet hæc mox quæſtio vobis
Vana.fugit, vidi,laqueos euaſit & iſtos
Mortis,ego domini & curſoris ſigna notaui.
Finxerat hæc mendax:ſed qui mendacia firment
Talia,non deſunt:implere recentibus aures
Vocibus eſt homini ars vano:atque has paſcere ventis.
Sic multi dixere ducem hunc vidiſſe,reflexo
Qui fugiſſet equo:nec ad horrendiſsima tanti
Fulmina conflictus frontem obiectaſſet honeſtè.
Addunt hunc alii Leucham,vel rendere Metim,
Quò bellum renouet mox fortior:atque repulſam
Vindicet inſignem hanc armis & fulmine torrens.
Sic diuerſa volant de principe verba reperto.

Erupit tandem è ſuis latebris, non tam inuẽta quàm reperta veritas: hæc ad verbum referente Sendaturio authore:

Nempe locum,quem nos Virletum nomine ſuprà
Diximus,attigerat forſan muliercula ſcortum,
Lixáve,tunc victum fortuna paupere quærens:
Quæ non virgineos ibi dum verſaret ocellos,
Concretum glacie corpus perterrita vidit,
Non hominis credens primum:ſed reſtitit anceps.
Tum videt eſſe hominis trunco membriſque decoris
Si pateretur hyems,ſi craſſæ vligo lacunæ:
Si vulnus tandem fracti crudeliter oris.
Sed patuit prodiſſe domo de diuite fulgens
Corporis hæc gleba:& præ ſe argumenta ferebat

Excelſi non pauca viri,ſed plurima paſsi.
Inde aliquid ſperans,nudum palpare,nec algor
Hanc prohibere : vide pauper ieiuna quid auſit.
Hæc prædæ intendens,detractos antea,ſero
Quæritat in digitis munitos iaſpide cyclos:
Scilicet ex auro:quos dum non inuenit,acri
Lumine proceros digitorum reſpicit vngues.
Nec manuum ſatis indiciis confiſa,requirit
Signa pedum:ſimili ſed dum veſtigia cornu
Proſpicit armari,dominum cognouit:& hic eſt,
Hic (ait) eſt princeps:non auſa hæc dicere,noſter.
Sed quod voce timet, lachrymis hoc dicere largis
Suſtinet, abrupto quid ſit confeſſa capillo.
Atque rei tantæ fieri prænuncia gaudet,
Triſtaturque ſimul.ſic quod tacet,omnibus inquit.
Verus vt ancipites rumor(non fabula)ciues
Perculit,ecce ruunt pueri,iuueneſque,graueſque
Debilitate ſenes: omnis tum ſexus & ætas
In denſos per rura globos:auditaque viſunt.
Verum viſa oculis hæc vt veriſsima credant,
Non facilè adduci poſſunt,poſt omnia victi
Teſtibus haud emptis, ſed caſum flentibus iſtum.
Tum duce de cæſo referuntur ſingula viuo
Viſa duci,proprios quo delegante miniſtros,
Ab gelida graue corpus humo (nec putre) leuatur.
Nuda nec à glacie diuelli membra tenaci
Ni feruente queunt admotis ignibus vnda.

Hactenus dictum ſit de inauſpicato apud Murthã Caroli Burgundionis excidio. Oritur (quod ad rem noſtrã propius attinet) Murtha fluuius origine Vogeſianus,à Deodatenſi loco , vulgo Sainct Didier: in quem Mortana apud diui Nicolai pagum ſeſe exonerat. Cuius topographiam his verbis depingit author Nanceidos:

Eſt prope Nanceiam,paſſus ad mille bis,vrbem
Eoo accedens pagus:qui nomine dictus
Olim portus,habet nunc diui nomina patris,
Victorem populi quem græco dicimus ore.
Non habet is murum: ſolo defenditur huius
Pontificis digito : quem ſi violauerit hoſtis
Sacrilegus quiſquam,longos non riſerit annos.
Ire frequens huc turba ſolet de partibus orbis
Omnibus:& ceras voto latura vel aurum
Præſulis ad templum non ſpe feſtinat inani.
Inde fit vt fœlix & victu & mercibus vber
Floreat ille locus:quem tam ſacer impluit hoſpes.
His Pataræ ciuis Mirtheæ præſul & vrbis,
Nunc terræ eſt huius cuſtos,nunc hoſtibus hoſtis
Accepto inſignem reddens pro vulnere mulctam.
Protegimur (dicunt vrbes atque oppida) denſis
Mœnibus & foſſa. pagum ſed ſpectat ad iſtum
Dicere : ſolius defenſor perpete cœli
Præſidio , & cœli ciuem Nicolaon adoro.

Loci huius accolæ & incolæ, Nicolai portum vocant : vulgo Nicolaſport . Decurrit tandem Murtha , è duobus factus vnus, in Moſellam non procul à Tullenſi ciuitate pontem Monſionem alluentẽ,

vſque dum venias ad Mediomatrices, Metēſēſve, eoq; loci Linderiū lacū ex quo Sella, alias Selna amnis defluit: ſuo gurgite abſorbet, non procul à Teodonis villa, vulgo Teonuille, oppidū & loci munitione & conſiliari ſub Carolo magno conſtitutione illuſtre. Iam inde apud Treuerim, Saram fluuiū caſtello ponteque nobilem ſuo ſinu excipit. Illud de Mediomatricib' obiter ex Sebaſtiano Mūſtero topographo dixerim, eos ita fuiſſe appellatos, quòd locum inter tres ciuitates tenerēt medium, Leucos ſiue Tullenſes, Virdunū aliàs Virtodunum, ac Treuerim: ad meridiē Leucis, ad occaſum Virtodunis, inque Boreā vergentibus Treueris. Et hi ſunt gemina phraſi bilingues, Gallica ſcilicet & Germanica. Variat tamē nonnihil alio loco Mūſterus Metim reponens pro Virtoduno: vocatamque ait à Metio quodam Romano. quam author Nanceidos his depingit coloribus:

Arua relinque tuis nunc hoſtibus hæc, medioque
Matricum ſubeas, quam quondam Metius armis
Cæſaris euictam Metim de nomine dixit.

Nec multo poſt ſequitur:

Vtilis hæc nobis erit vrbs, vicinior autem
Vrbs tibi Leucorum eſt, iſtam ſuſpectius, illam
Tutius, & populo forte expectatus adibis.

Vt autem cætera perſequamur ex ſupplemēto Ptolemæi coſmographico in tabula Lotaringiæ & Vaſti regni (VVeſtrichiā dicunt) ſatis conſtat ex Vogeſi vertice mōtis varia decurrere flumina, quæ obiter percurrere libet. Eſt amnis Veſuuius appellatus in Muttam decidens: cuius & ſupra meminimus.

Vult etiam chorographus Mortanam fluuium Murtæ admiſceri: (vt interim taceam de Matrona & Sequana) Belgicæ ac Celticæ Galliarum limitibus: de quibus ſuprà abunde diſſeruimus.

Eſt & fluuius alter Voioya dictus, apud quem reperiri margaritas Lotaringus coſmographus author eſt. Eſt & thermarū vſus non procul à monte Romerico. Sunt nihilominus apud Cæſaris montem argenti fodinæ: ad ſanctū vero Quirinū viget ars ſpecularia. Linderius verò lacus ſalinarū vſu, piſcaturæ etiam copia diteſcit abunde. Quem mox ſequitur Sella fluuius in Moſellam decidens, apud Metim Mediomatricum metropolim. Ad Saræ pontem Laſuriū viſitur in copia. Sara autem fluuius Moſellæ cōgreditur non procul à Treueri. Portò fluuii inſigniores ex monte Voſago prodeuntes hi propemodū ſunt: Sagona fluuius ad Auſtrum vergens, demumque poſt multas viarum ambages in Rhodanum decurrens.

Sunt & fluuii inſignes Moſella & Moſa, quā rectius Mopſam author Nanceidos appellandam cenſuit. Vrbium alluuione magno numero illuſtris Moſa cenſetur. Alluit enim Leodios, Maſſerias, vulgò Meſieres, Gueldrēſes & Cleuēſes: aliaque inſignia oppida nō pauca. Eſt etiā Moſuallia Rheno Moſæque adiacēs, ac etiam Vahali fluuio, quē dicere poſsis Moſam Gallicā, g tranſeunte in u, id quod frequens eſt apud vulgum, qui Gallos & VVallos pro eodem accipit. Vnde & VVallim fluuium, Gallim dicere poſsis, & id quidem in Batauis natione Gallis ad Moſæ ripam, vbi Batoburgum arx vetuſta viſitur. Nam (vt & illud obiter dicam) eos qui Gueldrenſes hodie dicuntur, iuſtè appellare poſsis Gallos Rhenenſes: qui omnes ſunt Ciſthenani Galli. Cum enim bifidus ſit Rhenus donec miſceatur Oceano, ad Gallicam ripam latior fluens, verſo cognomento Vahalis ab incolis dicitur, teſte Althamero. Ibi etiam eſt Ruremūda, ad Ruræ & Moſæ

confluentẽ ſita. Alluitur Gueldria Lecca & Iſſula fluminibus. Dicta eſt autem Iſſula alio nomine, Alſa: vnde & Alſatia appellata eſt. Vnde fit vt Gueldriæ & Batauiæ regiones inſignibus quatuor fluminibus irrigẽtur: Moſa ſcilicet Galliæ Belgicæ fluuio, tribuſque Rheni oſtiis. De Moſa hactenus. De Moſella verò ſuprà non pauca dicta ſunt: id tamen inſuper dicendum occurrit, quòd Moſella vitifer amnis Auſonio dictus, Ptolemæo dicitur Obrinca. Obrincani tractus Auguſta eſt Treueris, eo atteſtante qui ait:

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,
Treuiricæque vrbis ſolium, quæ proxima Rheno
Pacis vt in mediæ gremio ſecura quieſcit,
Imperiique viros quod alit, quod veſtit & armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem,
Largus tranquillo perlabitur amne Moſella
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

Hinc patet impudens eorum vanitas, qui Gallicam negant eſſe Treuerim. Eſt enim totus Obrincanus tractus gneſiè Gallicus, totaque Auſtraſia, quæ aliàs Vaſtũ regnũ, aliàs VVeſtrichia appellatur. Nam Treuiros Belgarum populos aperto ore authores omnes prædicant, Plinius ſcilicet lib.4.cap.17. Mela lib.3. Cornelius item Tacitus, Ptolemæus, Marcellinus citra omnem controuerſiam pronuntiant.

Cæterum, Moſellam non paucis titulis adornatam reliquit Auſonius, eoque potiſsimum loco vbi ait:

Salue magne parens frugumque virumque Moſella:
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quinetiam mores & lætum fronte ſeuera
Ingenium natura tuis conceſsit alumnis.

Neque his contẽtus, diam Moſellam hoc etiam celebrauit encomio:

Te fontes viuique lacus, te cærula noſcent
Flumina: te veteres Pagorum gloria luci:
Te Druna, te ſparſis incerta Druentia ripis:
Alpiniique colent fluuii: duplicemque per vrbem
Qui meat, & dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.
Te ſtagnis ego cæruleis, magnumque ſonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Denique paucis plurima complectens, ſic ait:

Salue amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ.
Omnia ſolus habes, quæ fons, quæ riuus, & amnis
Et lacus & biuio refluus munimine pontus.

Proinde ſequitur.

Spectaris vitreo per læuia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens: vtque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer:
Nec placidi prohibent oculos per inania venti.

Sunt nihilominus præter Moſam ac Moſellam ex Voſago mõte prouinciã Rheni vniuerſam irrigãtes innumeri amnes, quos & numero & nomine aſſequi promptum erit partim ex ſupplemẽto Ptolemæi, partim vero ex Munſteri chorographia.

Præter ea quæ ex Munſtero retulimus, ſunt & alia nonnulla quæ Vogeſus euomit flumina, enarratore Ptolemæi ſupplementario. Enumerat ille Largum fluuium decidẽtem in Alſam: quem pari defluxu

ſequitur Nicus. Addit & Pruſam amnem, in Argẽtinam decurrẽtem. Sunt & Glana fluuius & Na, qui ex Vogeſo ſeſe in Rhenũ præcipitãt.

Ex his liquet apertè ex trium mõtium ſcaturiginibus, Alpinorum inquã, Cemeniorum, ac Vogeſi, totam penè irrigari Europam: & hi fluuii omnes originem habent Celtogallicam: occaſum vero partim Belgicum, partim vero Celticum, & quadantenus Narbonenſem & Aquitanicũ. His expeditis, ad reliquos Celticæ tractus progrediẽdum eſt, ſumpto exordio à fluuio Ligerula: qui non procul ab Aureliis defluit, vulgo Louayret, eiuſdem amplitudinis dum magna ebullitione oritur, quam obtinet dum à Ligeri abſorbetur.

Eſt & fluuius apud Carnutes præter cæterorum fluuiorũ naturam rectà in orientem pergens, donec totus abſorbeatur à Sequana. In quem etiam ab ortu decidunt Oeſa, aliàs Iſara, ex Nouiodunis: ex Sueſsionibus vero Axona: qui Iſaræ iunctus Põtiſaram præterlabens tandem Sequanã ingreditur.

Eſt & fluuius apud Caſtras Coruolium alluens: Corbolium vulgus appellat, quem Eſſonæ amnem vocant, vulgo La riuiere Deſſone: Stampenſi quoque oppido adnaſcens.

Sunt & alii fluuioli nonnulli viam inter Stampas Pariſioſque mediam interſecantes: in quibus eſt molarem etiam agitans apud Montem Lehericum vnus, vulgo Mõtleheric: alius item ad Longoiumellenſem pagũ, vulgo Longiumeau. Tertius vero Pontãtoniſius, vulgo Pontantonis: qui ex ſcaturiginibus apud vallem Sarnariã concretus, vulgo Le vau de Sernay, pontem quem diximus ſubiens, in Sequanã decurrit. Eſt autem vallis Sarnaria locus prodigioſo quodã portento nobilis, id referente Gaguino in Philippo pulchro.

Nec multò pòſt Lutetiã verſus ſequitur Burgoreginenſis riuus, præter eum qui Pariſios alluit, per Gentiliacum decurrẽs, Biberã fluuiũ, rei tinctoriæ ſpeciali quodã genio congruũ, vulgato nomine Bicure.

Hinc ad Carnutes per Celticũ tractũ proximus eſt traiectus. Sunt autẽ Carnutes dicti à verbo Caryon, quod nucẽ ſignificat, quaſi dicas Carynutes: ac proinde Dryidæ à verbo drys appellati ſunt, hoc eſt à quercubus, vti Carnutæ à nucibus. Habet tractus ille apud coſmographos duas ab antiquo inſignes ciuitates: Genabum, quæ nũc ſunt Aureliæ: & Antricum, nunc Carnotum. Meminit Carnoti Tibullus Elegia ſeptima ad Meſſallam:

At te victrices lauros Meſſala gerentem
  Portabat nitidis currus eburnus equis.
Non ſine me eſt tibi partus honos, tua bella Pyrene
  Teſtis, & Oceani littora Santonici.
Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna,
  Carnoti & flaui cærula lympha Liger.

Meminit & Gaguinus in Carolo Simplice, aliàs male feriato, his verbis: Exactis induciis per Stampas mouẽs Rollo Carnotũ petit atque oppugnat, hærẽte in vrbis obſidione Normano. Richardus Burgundorũ dux atque Ebalus Pictauorũ comes copiis ad Carnotũ promotis Rollonẽ inuadũt. Qua re animatus Carnotẽſis antiſtes irruptione à ciuib⁹ facta, ipſe tunicã interiorẽ virginis Mariæ (quã camiſiã Frãci vocãt) quæ eſt apud eos magna religione obſeruata, deportãs, in Normanos à tergo inſilit. Fit per aduentũ põtificis hoſtiũ magna ſtrages. Rollo vero fugiens poſtquã ſuos ex fuga recepit, indignãbũdus iubet eos per omnẽ regionẽ populationes facere: & ea omnia in quæcũque irruiſſent perdere. Itaq; fera gens nihil ſibi obuiũ, integrũ reliquerũt.

Sunt nihilominus oppida in Carnutibus alia nõ leuis indicaturæ: & in his Dunenſe caſtrum, in quo (authore Gaguino) lacus Dunenſis ſub Clotario ſecundo, diuo Gregorio Petri ſedem regente, tanto feruore ebulliuit, vt cocti in eo piſces ad ripas in eſum venirent incolarum: & eo quidem loci nonnũquam accidit, vt aqua exhauſta cœno lutoque obuoluti piſces illic alantur: & veluti piſcatura quadam terreſtri inde eruantur. Id quod in Aquitanis apud Aturi fluminis oſtia vſuuenire ſolet: & ob id piſces terreſtres vulgo dicuntur, ceſtrias authores vocant: teſte in hanc rem Varrone lib. 4. Iuxta Ruſcinonem (ait ille) lacus eſt, & ager quem alluit, exiguus ſupra mare, refertus ſalinis. Habet & effoſsiles Ceſtrias piſces. Nam ſi quis duos aut treis fodiat pedes, & in limoſam aquam fuſcinam demiſerit, piſcem eximiæ magnitudinis fixum penetrat. limo autem inſtar anguillarum alitur.

Inde colligitur, Antricum fuiſſe Carnutum metropolim, Genabũ vero (quæ nunc Aurelia eſt) emporii locum habuiſſe, ipſo etiam Strabone teſte, his verbis: Hic penes Acmenabũ (corrupto nomine, nam Genabum legendum eſt, quod Carnutum eſt emporium) labitur ad mediam Ligeris nauigationem, fluitque in Oceanum. Eſt itaque Aurelia medio paulo pl⁹ minúſve inter ortum oceaſumque Ligeris ſitu cõſtituta, olim tamen ſedes regni pro parte Franeici: ſuaque ditione complectebatur orã illam Galliæ quæ duobus clauditur fluminibus, Carnutes, Andegauos, Cænomanos, Normanos, Senoneſque complectens, poſteaquam Gallia deſiit regi populari principatu. Perque id tempus regiam aliam obtinebant Sueſsiones, protenſa ditione à Sequana vſque ad fluuium Moſam. Adeò neceſſe eſt ipſa etiã regna veteraſcere. vt enim ille ait: Omnia orta cadunt, atque aucta ſeneſcunt. Porrò de Carnutibus Raimundus Marlianus poſt Iulianum equirem ad hunc diſſeruit modum: Carnutes populi inter Celtas Andegauenſibus Turonibuſque finitimi, ac Oceano proximi, erant in clientela Rhemorum. regio eorum totius Gallię media, à qua tamen extra regnum Francorũ biduo iter expedito patet. ciuitas eſt epiſcopalis nomen latinè retinens, in Francorum regno ſita. Hæc ille.

Quod autem ait Galliæ meditullium tenere Carnutes, id nihil minus quàm de tota Gallia intelligendũ eſt: quæ in longum protenditur à Pyrenæis ad Alpes: in latum vero à mediterraneo mari ad Oceanum, vti ex gradibus longitudinis & latitudinis totius Galliæ deprehenditur. Rectius ergo id intelligendum erit de Gallia Celtica, quæ tribus in longum, tribus item in latum gradibus extenſa chorographicè deprehenditur, nempe inter quinquageſimum, quadrageſimum nonum & quadrageſimum octauum penè gradum. Et huc etiã ſpectat, quod ait duabus diætis, in quamcunque partem deflectas, illam Galliæ Celticæ partem peragrari poſſe.

Magni (vtcunque ſit) nominis olim fuiſſe Carnutes, Caſtillioneus non vno loco author eſt: ſic enim ille ait: Inter tot municipia & vicos occidentem verſus ſecundo lapide oppidum Carnutum viſitur, vulgo Carnagum nũcupatum. Eo in tractu Carnutes vlterioris Galliæ populos olim conſediſſe, arguunt ſoli fertilitas, nominis cognatio, & Inſubrium Gallorum vicinia. Facilè enim cum Belloueſo, (quẽ tot hominum millia in Italiã traduxiſſe conſtat) & Carnutum copiæ Alpes trãſcenderunt, & haud longè ab Inſubribus ſedes locarũt. Durat gens Carnutum in celtica Gallia oceano proxima, olim in Clientela Rhemorũ, & totius ferè Galliæ media. Eorũ ciuitas Epiſcopalis vulgo Chartres nuncupatur. Qui & paulo altius repetens, ſic inquit:

Nō abs re eſſet putare Caryate oppidum à copia nucum,quibus ager ille adeo abūdat, vt lauris Parnaſſus,denominatum.Siquidem κάρυα, ſiue κάρυον dicitur nux.Quanquam nō deſint qui hoc vocabulo ſignificari etiam velint caſtaneam & auellanam.

Hæc obiter dicta ſint de Carnuticæ vocis nomenclatura Quod ad reliqua pertinet, habet etiamnum tractus iſte Carnutenſis quaſdā non modicis ornatas titulis regiones: in quibus ſunt Vindocinenſis hodie ducatus, Andegauenſis olim ditionis,æde ſacra ob Chriſti ſeruatoris illic reconditam lachrymam,non modicè illuſtratus : chirothecariæ artis ſubtili artificio apud exteros celebris,vulgo ſaincte Larme de Vendoſme.Sunt & comitatus gemini, Bleſenſis inquam Bleſio caſtro decorus,& Dunenſis:ſuorum ambo collium ſublimitate nō parum venuſtati.Illic credas Cererem & Bacchum inter ſe de prouētus vbertate certare,maximè apud Aurelios.Ex eo enim emporio,ab omnibus(niſi quę nimis abſunt) regionibus vinum deſideratur ob delicatam illius œnopoli fœturam. Eſt & ager alius non obſcuri nominis à quibuſdā dictus Siligonius:aut certè (quod magis mihi arridet) Sabulonius,nempe ab arena ſeu ſabulo ſic dictus, u pro b litera ſonāte,vulgo La Saulongne. Nec deeſt coniectura Bleſenſem agrum,vulgo Bloys,triticeum appellādum(nos enim frumēta vocamus Blaidz) ea diſcriminis nota à Sabulonia,quòd iſtic ſiligo , illic vero triticum vberius proueniant.

Rigatur Sabulonia,Sodera flumine,vulgo Sodre.Ego verò(vt cōiecturam meam reponam) crediderim Salictariū dicendum ob vbertatem ſaliceti vtranque ripam obūbrantis.Eſt autem ſalix nigra , quā Sauldre vulgus appellat,præter eam quæ ſalix maſcula dicitur , vulgo Marſault.Ad huius Soderæ ripam ſitum eſt oppidum Romorentinū, quadam loci amœnitate iucundum,vulgo Rommorentin.

Eſt præterea in Carnutibus triticea fœcunditate clariſsimus ager, Belſiam vocāt,vulgo la Beaulce,nuſquam ſubſultās , planè æquoreus, nec vitibus,nec ſyluis,ſed nec fluuio vllo (adeo plana eſt ſuperficies) aliqua ex parte diſſectus. Aquam illic nō niſi ex lacunis ac vadulis incolę hauriunt.Vix vnam videas In toto illo hemiſphęrio arborem.ad cætera adeò frugifer,vt circuniacentes regiones omnes ab eius fœcūditate pendeant.Hinc prodiit adagium,La Beaulce eſt belle. vt hinc ſuſpiceris Bellaſiam,vel decurtato nomine Belſiam dici.Aliud coniectant nōnulli,terrā illā bualtam,id eſt valde altā dictā fuiſſe Beaulce, 10
quaſi dicas bien haulte.Indiciū,quòd nec fluuiis irrigatur,nec vallib' ſubſidit . eſt enim omnium qui in circuitu ſunt agrorum tota ſua area altiſsimè porrecta.

Sunt nihilominus in Carnutenſi tractu pleraque oppida non prorſus obſcuri nominis:in quibus eſt phanum Clariacum,ſummæ & ſemper & ſuper omnia benedictæ perſonarum triadi,deitatiſque monadi dicatum ac deuotum , vnà cum Chriſtiferæ ſemper virginis æterna memoria, à Ludouico huius nominis vndecimo Francorum rege fundatum,ditatum & auctum,inque horarias preces canonicè effundendas iuſto collegarum numero multis dotatum prouentibus . vulgus appellat Noſtre dame de Clery. Non multum hinc diſtat Magdunum caſtrum,hoc nomine inſigne,quòd in eo Carolus quintus diē clauſerit extremum:indice vulgato prouerbio:

Lan mil troys cens octante vn,
Mourut le bon roy Charles à Mun.

& id quidem vno plus minus anno.

Eiuſdem notæ oppidum viſitur non magna ab hinc diſtãtia Genciacum nemus, vulgo Boyſgẽcy, fluuij alluuione, luſtríſque ferarum, Bacchi impluuio, triticeóque prouentu non modicè ditatum.

Eſt & Gergoueum oppidum magnifico ponte ad Ligerim ſitu decoratum, gal. Gergueau.

Sunt & alia non parui nominis oppida, quæ faſtidij leuandi gratia prudens prætereo.

Hic Stampenſem comitatum non commemoro: quanuis magna ex parte in Carnutenſem agrum ſeſe extendat. Vrbis ſitus perquam amœnus eſt. Cancris fluuius vſque adeò eſt abundans, vt nunquã exhauriri poſsit hoc animantium genere. Phanum iſtic nobile Chriſtiferæ virgini dicatum ob blaſphemiã eidem magnæ matri illatam ab impuriſsimo quopiam aleatore, quam mox ſecuta eſt digna pro huiuſcemodi expiando ſcelere cælitus delapſa animaduerſio: qui gula contorta & confracta extemplo interiit.

Nec deſunt his locis ſua vaſtinia, ſeu arenaceæ vaſtitates. Statim enim à deſcenſu Stampenſis oppidi, Pariſios venienti latè patens ſabuloſa planities occurrit, quam vulgus appellat les ſablons d'Eſtampes. Illícque intercluditur pamphagina ſylua, arduis olim tota fagis cõſita, nunc verò euulſis arboribus in planitiem verſa, ſylua inquam cędibus & latrociniis per id tempus infamis, vulgo la foreſt de Tourfou, rectius dicenda, Toutfoug. Nec procul ab his locis agnoſcitur planities alia arenoſa, nempe ad Phanum diui Maturini cognominatũ de Larechamp, quaſi dixeris de arido campo. Sunt tamẽ qui largũ campum malint intelligi, cum quibus contendere nolim.

Eſt & alius vaſtinienſis ager, Æmylio Vaſtinetum, aliis Vaſtiniũ, vulgo Gaſtinois. Cuius oppidum præcipuum eſt Milliacum, à millij prouentu ac vbertate ſic (vt videtur) appellatum. Id enim efficit ipſius areæ ieiunitas, aridiúſve ſolum, Milly en Gaſtinois. Hinc etiam terrã infœcundam parúmque vberem, vaſtam terram appellare ſolemus, vulgo Terregaſte. Et in Stampenſi ſolo Angeruilla vaſta, paſsim appellari ſolet Angeruille lagaſte. Hinc per æquiuocum ſubortum eſt adagium, Paris en Beauſſe, Angeruille la gaſte. Quæ dictio aliàs euerſionem, aliàs verò loci ariditatem ſubindicat. Interim nihil prohibet Ieanvillam dici Ioannis villã, niſi malis Ieannæ villam etymo ſignificare: aliud verò oppidum Engerii villam interpretari nemo vetat.

Sub perpetui propè ſilentij latebris deliteſcere permiſeram materiariam iuxtà ac paſcualem Aurelianorum ſyluam latiſsimo ambitu in longum latúmque protenſam, nempe ad milliariorum propè numerum duodecim. Illic armentorũ gregúmque ampliſsimum extat viuarium, cui etiam adiacet ac propè interiacet Auiarium oppidum, vulgò Pluuiers.

De Galliæ fluminibus, ſtagníſq; ac lacubus inſignioribus hactenus dictũ ſit. Sequẽs eſt cætera perſequi. Et de tertia perioche hactenus.

DE COELI SOLIQVE GALLICI RATIONE chorographica Perioche quarta.

PROXIMA Carnutib[9] Celtogalliæ ad Occaſum regio occurrit Nortmania, gentilitio potius q̃ natiuo nomine ſic appellata, nempe ab incolis, primùm tamen inuaſoribus ſeptentrionalibus viris. Eſt enim Nortman, quaſi dicas, homo ſeptentrionalis. At certè Nortland, vnde & Nortlãdia ter-

ram ſignificat ſeptentrionalem. Ea autẽ eſt Dania ſeu Danemarchia, Nortvvegia, & Suedia, tria olĩ regna, nũc vero Nortvvegia paret Danorũ regi. Hi igitur ſunt Nortmani & Nortlandi. Porrò de quibus nunc agitur, proſapia quidẽ potius quàm natiuitate Normani appellati ſunt, cùm tamen verè ſint Galli, nempe Galliæ Lugdunenſis ſecũdæ incolæ, & natiuo potius nomine à cœlo & ſolo vnà cũ cæteris Gallicanæ nationis vitis Gallandi. Gallantia enim ſeu Gallandia terram ſignat Gallicam: ſicut Scotlandia Scoticam. & ita de cæteris dixeris: vti Angleman & Angeland. hinc vulgato vſu vocamus gallãd homme, terræ Gallicæ hominem, verbóque in dexteriorem partem inclinante, fortem ſignificamus, robuſtum, probum ac validum: Itali dicũt vallenti huomini. Quo & typo Gualliardum appellare ſolemus venuſtum elegantémq; hominem, gratum ac conſpicuũ: vti & rex Angliæ caſtrum à ſe amœno tantum circuitu elegãtiſsimè conſtructum Gualliardũ appellari voluit, vulgo chaſteau Gaillard. Cæterum apud probatos authores Engiſtus Britannicæ inſulæ inuaſor, addo etiam & Britannici nominis extinctor, cauit ne vltrà diceretur Britannia, ſed barbaro nomine Engiſtlãd, hoc eſt Engiſti terra: poſtea dicta eſt Engelland, detorto vocabulo, nempe Engellandia: nunc autem Anglia: poſtea vero tyrannico imperio dicta eſt Angloſaxonia, barbarie alia aliam propulſante. Nunc autem rectè dicendi veniũt Angloneuſtrij, deducta à Gulielmo notho (qui inſulæ præfuit) continua ad noſtram vſque ætatẽ propagatione. Eſt tamen quod meritò deſideres, quãtum ad appoſitam ſignificationem attinet in corrupto vſu vocabuli Neuſtriȩ. neque enim idem prorſus ſunt Neuſtria & Normania: quin potius Normania pars eſt Neuſtriæ, nempe Marchia, liméſq; ipſius: cui olim præfuit Hugo magnus comes Pariſienſis marchionatus nomine, vti ex hiſtoriis deprehendi poteſt.

Fuit enim aliquando tempus, quo decreuerat Ludouicus trãſmarinus appellatus, Francorum rex, tractum marchiæ Neuſtricæ vniuerſum, nempe à Sequana ad Arboricas (ſeu ſi mauis, Abrincas) tradere poſsidendũ Hugoni magno Franciæ duci, Pariſiorum comiti, ac proinde Neuſtriæ marchioni, Richardo adoleſcente neglecto Gulielmi Longoſpathenſis filio. Ita tamen rem temperauit olympus, vt Hugo ille magnus deſponſa traditáque Agnina ſeu Agnete filia Richardo regio, illa Hugoni antea deſignata vſui cederet Richardi generi. Vnde cæteri marchiæ Neuſtricæ duces prodiere, tenitẽte tamen Theobaldo Bleſenſi Carnotẽſiq; comite. Sed hoc extra noſtram ſemitam.

Neuſtria autem ſuo ſignificatu comprehendit regnũ Franciæ Occiduum. Eſt enim Francia occidentalis, tota Neuſtria à Moſa ad Armoricos. Contrà verò Auſtria Orientalis olim Francia dicta eſt, alio nomine Auſtraſia: regnúmque inde cõſtituebatur VVeſtricũ ſeu Auſtraſianum, quod de integro olim tenuit Dagobertus, nẽpe à Moſa ad Rhenũ fluuiũ: qđ quidẽ deramatũ fuit nõ multo poſt tẽpore, præſertim ſub nepote Caroli magni Lotario: à quo Lotaringia dicta eſt, ab Auſtraſiano ſeu Oriẽtali Frãciæ regno detracta. Quæ oĩa acu tetigit Mũſterus in ſua Galliȩ chorographia: cui⁹ verba, ne quis diffidat, ſubiũgere libet. Nõ enim parũ lucis adferũt ad Galliæ toti⁹ illuſtrationẽ:

Anno Chriſti 514. quum filii regum Franciæ multiplicarentur, diſtracta eſt Francia in multa regna, durauítq; hæc diuiſio vſq; ad annũ Chriſti 618. Tũc enim omnia particularia regna in vnã redierunt monarchiam. Vnũ appellabatur Auſtria, alterum Neuſtria, tertiũ regnũ Sueſsionis. Sedebat & Aurelianis rex ꝑpri⁹. Durabãt tamẽ Auſtraſia

& Neuſtria longiori tẽpore quàm reliqua regna. Extendebatur autẽ Auſtraſia vſq; ad Rhenũ,& habuit rex ille regiã ſuã Metis,aliquando Aquiſgrani, vel vt alii dicũt,Coloniæ.Includebat enim Auſtraſia Lotaringiam, Brabantiam,& totam terram quam circunſcribunt Moſa & Rhenus à Colonia vſque ad Alſatiam.Vocabatur autem hoc regnũ Auſtraſia,ab Auſtraſo præſide,quem Iuſtinianus imperator regioni illi præfecerat. Alii tamen dicunt Auſtraſum regem fuiſſe in ea terra priuſquam Belgica à Francis ſubigeretur. Sunt turſum tertii qui Auſtraſiam ab Auſtria denominatam putant,quòd ſcilicet orientalior ſit reliqua Gallia,ſicut Auſtria orientalior eſt reliquis Germaniæ finibus ac regionibus. Cæterum Neuſtria complectitur omnes regiones quæ inter Moſam & Ligerim iacẽt,fuitque Lutetia eius regni metropolis. Errant ergo hi qui Neuſtriam VVeſtrich interpretantur. Sed nec illi rectè ſentiunt qui Normaniam pro Neuſtria accipiunt, etiam ſi pars eius fuerit.Eo autem tempore quo Auſtraſię regnum à reliquis Gallię regnis ſeparatum fuit,rerum potitus eſt in Gallia Dagobertus rex nonus, qui primum poſſedit Auſtraſiam, ac deinde huic regno adiecit Burgundiam,& demum ferè totius Franciæ factus eſt dominus. Interim verò dum præfuit Auſtraſiæ,regiam ſuam habuit in Alſatia, códitque caſtrum Rubeaquenſe,quod Eiſemburg appellant.

Normania itaque,quantum ex eo colligi poteſt, non vna ab antiquo coniicitur fuiſſe.Eſt enim Normanicæ gentis prima radix Dania ſeu Norvvegia,piſcatura,quàm frugum vbertate fœlicior(neque enim alendis incolis ſufficit aut panis aut potus copia) quæ ex ſe geminam peperit Normaniam, non tam natiuam quàm aduentitiam: Gallicã vnam,de qua ad præſens agitur, cui Rollo primus præfuit, appellatus & ipſe Robertus ex luſtrici fontis lauacro ſuſceptore Roberto Pariſiorum duce. Friſonica altera:cui præfuit Godfridus gentis Danicæ princeps:qui cum baptiſmate ſuſcepto Friſiam omnem à Carolo eius nominis tertio dono accepit. Libet itaque eiuſdem Munſteri ſcripta recenſere,quatenus ad rem iſtam facere videntur, qui de Normania hæc habet ad verbum: Normania ſortita eſt hoc nomen à Normanis,qui olim magna frequentia egreſsi Daniam,Sueciam, & Norvvegiam, plurimum afflixerunt Galliam, donec tandem ſedem fixerunt in ea. Vnde ſcribunt hiſtorici, quod ſub Lotario Imperatore egreſsi Normani,occuparunt Britannicum mare: & ingreſsi Ligeris fluuii oſtia,repentina irruptione loca adiacentia cędibus ac rapinis depopulati ſunt.Erant hi Danis finitimi,Oceani accolæ,reliquiæ gentium ſeptentrionalium, quos Carolus magnus deuicit, piraticam exercentes,oræ tantum maritimæ infeſti,qui ad primũ Francorum occurſum refugiebant. Sed tamen Franciam continuo latrocinio adeo infeſtabant,vt ſub nullo alio hoſte tantùm affligaretur.Lutetiam ingẽti prędа ſpoliantes,primùm dulcedine ſpolij allecti,reuerſi ſunt, Nannetes inuadunt ſabbato ſancto Paſchæ,& epiſcopum cum clero ſacris intentos obtruncant. Dehinc Andegauum diripiunt,ac Turonenſem vrbẽ fuga ciuium deſertã ſpoliant.Cumque diutius morari non auderẽt ob aduentantẽ Carolũ Caluum,cuius hoc erat regnum, diſcedunt onuſti ſpoliis.Cũ autẽ ſic debaccharentur in terra,exuſſerunt in oppido Nouiomagi iuxta Vvalam fluuiũ, pulcherrimum palatium à Carolo magno extructũ,deuaſtantes ſimul Leodiũ,Traiectũ,Coloniam,Bõnam, & alias ciuitates multas.Quin & regiũ palatiũ Aquiſgrani penit⁹ igne in fauillã redegerunt: ac deinde Treuerim grauiter afflixerunt. Habuerunt regem Gotfridum nomine, qui perſuaſus ſuſcepit ſacrum

Baptiſmum poſt omnia iſta mala: deſignatáque fuit illi Friſia, modò ceſſaret à tyrannide illa. quod tamen non fecit, ſed multis damnis affecit Galliam. Hæc inciderunt in annum Chriſti 880. quando Carolus Craſſus præfuit Franciæ: qui quantúlibet multis modis conaretur reſiſtere Normanis, non tamẽ valuit illos excludere à Gallia: ſed coactus fuit inire cum eis fœdus, & dare locum pro mãſione eorum, qui in hodiernum vſque diem ab eis vocatur Normania, antea Neuſtria dicta. Hæc ille. Vides itaque, quòd quemadmodum Auſtria Germaniæ, eſt orientalis Germania: pari conditione, Auſtria Galliæ, orientalis Gallia appellãda venit. Neuſtria verò occidua eſt ea quidẽ vniuerſa quæ à Moſa Ligeri Oceanóque concluditur. Quę autem gentilitio aduentitióve potiꝰ quàm natalitio nomine Neuſtria appellatur, ſynedochicè interpretãda eſt, parte accepta pro toto: quæ veriùs diceretur Marchia Neuſtrię. Quod ergo ad pręſens attinet, ea cuius deſcriptionem aggredimur, Gallia eſt Lugdunẽſis ſecunda, ſeu ſi mauis Neuſtriæ marchia, non item Neuſtria niſi contracta, adſcribendo nomen totius ſuæ parti: vti & de Francia dici poteſt, quæ contracto nomine refertur ad tractum illum particularem quem vocant inſulam Franciæ: quo vſu dicere ſolemus, Sainct Denis en France.

Eſt itaque iſtæc prouincia polyonyma, vt quæ aliàs Gallia Lugdunenſis ſecunda dicatur, ex metropoli Celtobelgica, quam Sequana interluit, quæ ex veteri ponte lateritio rubro Rothomagi nomen retinet. Roth enim veteri dialecto rubrũ ſignificat, potiſſimum in Germanogallia. Dicitur etiam Neuſtria contracta, vtpote regni Gallici occidui ſeu Galliæ Occidentalis ad oceanum pro parte limes marchiáve Neuſtriæ extenſæ. Cuius regni ſedes Lutetia eſt, vrbs etiam Celtogallica per mediã Sequanæ alluuionem: quam quadriurbẽ dicere poſſis. conſtat enim ciuitate, literario, mercurialiq; emporiis, & vrbe noua, quæ olim ſuburbana erat, nunc autem propugnaculis foſſatiſq; intercluſa. Sed ad rem.

Dicitur inſuper hæc regio de qua ad præſens agitur, Normania aduentitio nomine, vti & Britannia olim inſula degenerauit in Angloſaxoniam, quæ rectius ab eius domitore Gulielmo notho Angloneuſtria dicenda venit. Clauditur autem his omnino limitibus: Epra fluuio ab ortu ad phanum Sanclariacum, gal. Sainct Cler ſur Epte, vſque ad Cœnonem fluuium ad occaſum, vulgo la riuiere de Cœnon: quo limite diſcriminatur Armoricus tractus à Normanico. Is enim fluuius à Filiceriis prodiẽs, vulgo Foulgeres, caſtrumque alluens Vrſonium, vulgo Pontorſon, ab æſtuario mari abſorbetur ad radices mõtis Sammichaelitani: qui & mons Tumba appellatur, & Tumbulanæ promõtorio coniũgitur ad vadula ſeu parua vada, corruptè Geneſtz. rectius appellanda Guez neſtz, id eſt, vada puſilla, petitz Gueſtz.

Cęterum à Borea ad Auſtrum circunſcribitur Neuſtria Oceano mari, porrigiturque in latum ad Sartã fluuium. quo limite Cęnomani à Normanis ſecernuntur: attingitque Vnellos, gal. Percherons. Sed & Alenconium ditione ſelecta ab ipſa ſeparatur Normania. Eſt enim ducatus Alenconienſis, eſt & comitatus Perticenſis forenſi iuriſdictione à Neuſtrico ſelectus.

Nunc partienda venit (priuſq̃ ad fluuiorum deſcriptionem progrediamur) in quædam veluti membra ora Neuſtriæ vniuerſa. Id tamen ſupereſt dicendum.

Pernegant Caletenſes iuxtà ac Pontiuenſes, gal. le pays de Caux & de Pontieu, ſe eſſe gneſios Normanos, tametſi iuriſdictionis forẽſis

iugum ſubeant: vt quos Sequana fluuius à vera ſecernat Neuſtria.

De Vulcaſsino gemino, Francico inquam & Neuſtrico, ſuo differe-
tur loco. At vero latius porrigitur hierarchicus Neuſtriæ principatus
ꝓphana ſecularive ditione. Habet enim ſub ſe Rothomagẽſis hierar-
chia ſex omnino diœceſes hac vocula elemẽtaliter expreſſas, Sacble.
S elemento ſignatur Sagiẽſis: A, Abrincenſis, ſeu Arboretana. C. Cõ-
ſtantinus tractus. B. Baiocenſis. L, Lexouieoſis: E, Eburoiuca, aliàs E-
brocẽſis diœceſis. Libet hoc reponere loco, quæ de agri vbertate Neu
ſtrici in literas Munſterus retulit. ea ad hunc ſe habentmodum.

Quàm ferax ſit ager Pariſinus, poteris hinc colligere. quum vice
quadam rex Ludouicus vndecimus ſcire vellet, quot armatos viros
Lutetia producere poſſet in agrum, numerata ſunt ſeptuaginta millia
virorum procedeotium ad militiam. Vbi autem multus eſt populus,
neceſſe eſt vt fœcundum habeant agrum, vnde eis ſufficiens ſuppetat
victus. De Normania quoque ſcribitur quòd preter metropolitanã &
alias ſex præcipuas ciuitates, habet nonagintaquatuor minora oppi-
da, vicos quoq; & caſtella ſine numero. Habet rex Galliæ Rothoma-
gi in metropolitana Normaniæ ciuitate ſenatum doctiſsimum, pru-
dentiſsimóſque viros, qui toti prouinciæ ius dicunt. Sunt etiam in ea
vrbe potentes mercatores, ob quorum traiectiones & mercaturas no
men vrbis longè latéque apud multas gentes eſt cognitum. Habet &
hæc regio copiam piſcium & pecorum atq; frumẽti. ſed & pomifera-
rum arborum tanta eſt in ea multitudo, vt ex pomis potũ faciant, aut
pro magna parte in alias deferant terras. In ſumma abundãt omnib'
rebus ad vitam humanã oeceſſariis, præter vinũ, quod ibi non creſcit.
Aliud nonnihil tradidit in hæc verba Gaguinus: Eſt terra Norma-
nia vna metropoli, & ſex vrbibus, quatuórq; & nonagiota munitiſsi-
mis oppidis atque arcibus potens: pleriſq; vicis frequens ad ciuitatũ
ſpeciem extructis: quã ſexto vix die expeditus pertranſeat: pecoris &
piſciũ ferax, frumenti vberrima: pomorũ atq; pyrorũ tam paſsim con
ferta, vt hinc potum gens ſibi affatim exprimat: & ad exteros copioſè
fructus exportet. Lanificij plebs ſtudioſa eſt, & bibax etiam pomatii,
quod ſicerã vocant. Gens omnis ſuapte natura callida, nullis exteris
legibus obnoxia: moribus ſuis, & conſuetudine quam pertinaciſsimè
tuetur, viuit: doli quidem & litis apprime gnara: quo fit vt cum illa ſo-
II. cietatem aut negotiũ ſortiri exteri formidẽt: alioquin doctrinæ & re-
ligioni dedita, bello inſuper idonea & fortis. Cuius egregia in exte-
ros geſta plurima referuntur. Sunt qui conſtanter aſſeuerent eã pro-
uinciam hecatompolim dicendam, vtpote oppidorum caſtrorúmve
copia opulentã, vti olim Creta fuit. Nunc ex condicto ad Neuſtriæ
membratim diuidendæ partitionem procedendum eſt.

Ex diſtributione ſoli natiui Neuſtriæ prouinciȩ propius rem ipſam
inſpicientibus, ſi non ex certo & liquido, non leui tamen indicio con-
iicere poterit ſagax rerum diſquiſitor, in nõnullas regiunculas diſtri-
butam eſſe Neuſtriam. Eſt enim Neuſtria Velocaſsia, vulgo appella-
ta Le Vexin, fortè à tentorii velaminibus, quòd cum litoitanea eſſet
Galliæ, huiuſmodi caſulis eſſet contẽta: alio quidẽ à Baiocenſi contra
vulgatam opinionem diſsita loco. Neuſtriam Baiocaſsinam à Baiis
aquiſve ſtagnalibus crediderim appellat. Abundatã enim fluentis in-
termontanis. Populi Baiocini iure dicuntur, vulgo Beſsins. Neuſtria
alia Eburouica, cuius ager abundat ſaxis ſuo candore ebur præſen-
tantibus. Hinc Eburouices, Eureux. Neuſtria Augiaca, inexpurga-
bili luto abundans. Eſt enim Augia inexhauſta palus, dicitúrque caua

Neuſtria

Neuſtria, vt Syria cœle, hoc eſt caua Syria, vulgo le pays d'Auge.

Neuſtria alia Campodomēſis: Cadomēſem vocant, ſed corruptè. Eſt autem plana campania. Æmylius Cadomū Caii domū interpretatur. qua de re ipſe viderit, vt hic, ita in aliis quibuſdam ſuis auguriis.

Neuſtria alia vulgò yuelina, ab yua (vt videri poteſt) flumine, honorata phano Chriſti redēptoris vulgo dicto Sainct Saulueur Lyuelin. Rectius tamen dicenda Leudelina ex Leudelini dominio. Neuſtria item Promontoriolana à promontoriis, vulgo Fallaiſe.

Arboretana vero Neuſtria ſeu Arboricenſis, arborum ac plantarumcopia fœlix, vulgo Aurenchin, ſeu Arbrenchin, quaſi dicas Arboricum ſolum. Neuſtria Conſtantienſis ſeu Conſtantinienſis inde dicta, ꝙ Cęſar illic caſtra permanentia fixerit: vnde appellatus eſt locus Conſtantia caſtra. Eſt ea regio partim herboſa, partim verò mōtana, & in Conſtātiniēſi potiſsimū clauſura paſcuali vbertate fœliciſsima, vulgo le Clauſet de Conſtentin. Luxouiēſis Neuſtria, à terrę lubricitate luxatiſq; greſsibus dicta videri poſsit. Eſt autē aliud Luxobium in Germania, vulgo Luyſieux. Neuſtria verò primaria eſt Rothoniēſis, nunc Rothomagenſis, à ponte Rothonio ex lapide coctili cōſtructo, eóq; rubricato dicta. Roth enī priſca lingua rubrū ſignificat: Vnde & dicta ſit Rothomagus, nō ꝙ rubra ſit, ſed ad pontē rubicundū ſita. Sed de hoc aliàs. Addam & iſtud, ꝙ cū ſemel atq; iterū ab exteris occupata fuiſſe legatur Neuſtria, & toties à Francis gneſiis Neuſtrię dominis recepta, Rolloni primùm beneficii nomine à Carolo Simplice, ſeu male feriato tradita ſit: quam tandē deintegro Philippus recepit Auguſtus, id teſtāte Æmylio in Philippo Auguſto, his verbis: Normania tota in fidē rediit Francorū ducenteſimo & ſeptuageſimo anno q̄ attributa Rolloni fuerat. Duodecim deinceps duces ei⁹ numerātur: ex his ſex iidem Anglorum reges. Nec illud reticuit: Optimatum Rothomagenſium ſentētia, Neuſtriā, quę tunc Normania diceretur, partem Francię fuiſſe nobiliſsimā: cuius ducatus beneficiū foret Francorum regum. Quin & Normaniā ipſam ex Ioannis Angli perfidia, qui tum perduellionis reus peract⁹ erat, in ius ſolidū Frāci regis peueniſſe.

Huius quoque rei author eſt Polydorus Vrbinas, ita inquiēs: Pictones, Turones, Andegaui in Philippi fidem momēto venerunt: qui per hūc modū Normania atq; cæteris in Aquitania locis potitus, in Franciā victor rediit. atq; ita Neuſtria, hoc eſt Normania, quā annis antea 316. Rollo dux occupauerat, à Francis recepta eſt. Fuit annus ille humanæ ſalutis 1205. cū Ioannes cœpit regnare quartus. Sed hic variat Vrbinatis calculus, tu Æmyliū ſequere. Hunc Ioannē extorrē cognominatū legimus: vt qui nec regnū ſuperſtes, nec ſepulturę beneficium vita funct⁹ obtinere potuerit. Secūda Neuſtriæ reſtitutio, īduſtria & opera Caroli quinti quæſita partáq; legitur: cui ſapiētis cognomentū inditū, vt qui ſapiēter cunctādo reſtituit rē. Nō ponebat enī rumores ante ſalutē. Qua de re ita Vrbinas: Hēric⁹ rex amiſit Normaniā poſt annos triginta q̄ eius pater illā armis recuperauerat: q̄ fuit ſalutis humanę 1451. & ex quo regnare cœpit, 29. Cęterū (inquit ille) Carol⁹ Frācorū decus & lumē, ac imperator fortiſsim⁹, vnus fuit qui ſuis pugnādo reſtituit rē, atq; iure belli auxit. His ad eū quē dixim⁹ modū extra ordinē pręmiſsis, (ne quis offēdat) excutiēda venit ingēs & penè īexhauſta illa ſuper primo ad Eptā fluuiū limite, vario euētu agitata inter Frācū Anglūq; cōtrouerſia ſup gemino (vt olī dici ſolebat) Vulcaſsino ſeu Fràcico ſeu Neuſtrico. Vexiniū Gaguin⁹ vocat: qui inter cętera ſic ait in Carolo ſimplice: Apud flumē Eptæ, qđ eſt Neuſtriæ ad oriētē limes, fit conuētio. vnā fluuii ripā Carolus, alterā Rollo inſedit. Inter-

FF

cedētibus legatis res acta eſt. Rollo Gillā Caroli filiā vxorem recipit, & in dotem Neuſtriā: quæ ab Epta fluento ad Britones terminatur, clauditúrque Gallico oceano. adiecta quoq; eſt Britonum prouincia, quæ diu ſub Normanorū ditione militauit. Reb⁹ vt maximè Carolus cupiebat ordinatis: Rollo Rothomagū profectus initiatur ſacris, & lauacro Chriſtiano: appellatúſq; eſt Robertus à Roberto Pictauorū comite, qui receptæ à Rollone fidei teſtis aſsiſtebat. Neuſtriam adeptus Rollo, eā Normaniā appellauit: ꝙ eā homines à ſeptentrione profecti occupaſſent. Idémq; in Ludouico iuniore: Regreſſo in Galliā Ludouico, Gaufredus Andegauus comes, & eius filius Henricus, qui regnum Angliæ poſtea adeptus eſt, regē orāt ſuppetias illis ferat aduerſus Stephanum Anglum. qui Normaniā iniuſte occupabat. Comparato igitur exercitu rex in Stephanū copias ducens, nō difficili negotio Normaniā recuperat. qua reſtituta Henricus Vexiniū, quod Normanum appellatur, regi dat. Non manſit in fide Henricus, qui Ludouici contemptor mandatis parêre negat. Mox tamē cum Vernonē & Nouummercatū rex illi abſtuliſſet, ſimulata obedientia eas à Ludouico recepit. Idémque in Philippo Auguſto hæc verba repoſuit:

Philippus iniuriarū quas à Richardo accepiſſet, recordatus, hominis perfidiā vlciſci feſtinat. Giſortio igitur atque Velexino (quod pri⁹ Vexiniū appellauerat) Normanico occupaio, tota deinde Normania potitus eſt. In hanc ſententiā Æmylius in Philippo Auguſto ſuū addidit calculum: Ioannes (ſubaudi Anglus) extorris pacem ab Auguſto redemit, redditis tribus oppidis in Biturigum finibus, Caſtro Rodulphi, Iſſoduno, Craſſeiano: cauiúmq; ne ius Anglo foret Velocaſsiū citeriorum repetundorū Eburicorúmve, ac quicquid Normanię Frācus recepiſſet. Iā qui ſint citeriores Velocaſſes, ex Eptæ fluminis decurſu conijcere prōptū eſt. Epta enim à Corteſio defluēs, Giſortiūque alluens, in Sequanā labitur. Ripa itaq; in Auſtrū vergēs, aduſq; Pontiſará citerioris Velocaſsini nomine cenſetur: cōtrà vero, Borealis Andelicæ inſulæ agrū cōplectens, & ea quæ in eius ambitu ſunt Rothomagū verſus, accenſa veniunt Velocaſsino vlteriori Normanico. Hic ergo præſtiterit Vrbinatē in partē Angliæ propenſum ſua verba reſonantē proferre: Hēricus interea in Normaniā traiecit. audierat enim priſtinā ſimultatem aliàs ſedatam, ſenſim inter ſe & Ludouicū regem renaſci: cuius rei cauſa erat, ꝙ Henricus Adelam eius filiā iampridē Richardo eius filio deſponſatā, quā ipſe penes ſe ad ſpē cōiugii ſeruabat, noua quotidie impedimenta excuſans, filio iungere de induſtria differebat. porrò ſenex libidinis impatiens, puellā amare, ac multorū verborū illecebris ſtuprū illi offerre cœperat, ſic vt ei pudorē paulatī ſoluerit, ſecundum prouerbium illud decantatiſsimū: Corrumpūt bonos mores mala colloquia: atq; eā, vti rumor erat, poſtremò vitiarit. Hāc igitur morā fraudis pariter atq; ſceleris plenā Ludouicus rex ferendā non ducebat, q̧ vbi Henricus in Normaniā venit, antequā palā odiū erūperet, longū ac familiare cū eo colloquiū habuit: cui ille promiſit intra paucos dies ſe filiæ nuptias facturū. Nec multo poſt ait: Richardi filii mors ſeminariū fuit cōflandi odii inter Henricū & Philippum, ac ſæpi⁹ bellādi materiā ſubminiſtrauit: quippe Velocaſsinū repetebat, cōtrà Anglus retinere cōtēdebat, vti ali⁹ loc⁹ magis apposit⁹ id planū faciet. At Margarita vidua ſtatī pòſt ad Philippū fratrē reuerſa eſt, q̄ nupſit Belæ Pānoniorū regi, eā p legatos petenti ſibi in matrimoniū dari. Rurſúmq; poſt pauca. Dū moratur Hēric⁹, prioribus acceptis à Frāco incōmodis aliud lōgè grauı⁹ acceſsit. Richardus enim fili⁹ petebat vt Adelam Philippi ſororē diu apud eū ſeruatā, ſibi iam

in matrimoniũ ducere liceret,quam amator ſenex multa excuſando, multúmq; procraſtinando tradere negabat,vtpote qui illã puellã iam ſecretò compreſſerat,vti ſupra oſtẽdimus,ſtatuerátque repudiata Aleonora vxorem ducere,atq; illa affinitate fretus, ſi ex Adela liberos ſuſciperet, filios ex Aleonora genitos abdicare. Iam tandem huic negocio coronidem Polydorus imponẽs lib.15.hæc ad verbũ retulit.

Ioannes verò vt ſemper imparatus,dum hoſtis domeſticis calamitatibus turbabatur,ſponte quieuit,quia homo laboris fugiens, miniméque audax omnia malebat q̃ dimicare armis. Quod factũ ita Arthurum iuuenẽ opera Gulielmi Rupei viri probati ad Ioannẽ per eos dies profectũ mouit,vt fidẽ regis ſuſpectã habens, qui hoſtem formidabat,ſtatim poſt ad Philippũ reuerſus ſit. Exactis autẽ paucis menſibus, reges ad Normaniæ limitem iuxta Putauentũ oppidum turſum conueniũt,de pace agitant. Ibi perinde vt factum eſt in altero colloquio,parũ vtrinque honeſtę conditiones offeruntur,Franco ſe ſuperbum gerente,partámque prædã tenaciter ſe poſſeſſurum iactante, & Anglo amiſſa in primis repetente. Ad vltimũ cum Ioannes nõ minus conſilii q̃ animi inops deſperaret poſſe ſe per vllas pacis conditiones loca amiſſa recuperare,ſtatuit noua affinitate dedecus tegendũ. Itaq; conuentũ eſt, vt filia Alphonſi eius appellationis octaui regis Caſtellæ nomine Blanca, Angli ex ſorore Aleonora neptis, locaretur Ludouico,regis Philippi filio,cui dotis nomine Ioannes ea omnia oppida præter Andegauẽſium ciuitatẽ (eã enim ex fœdere recepit) quæ Francus ante illum diem de ipſo cepiſſet,condonaret. His igitur cõditionibus ictum fœdus,atque loca omnia Frãco aſsignata,in quibus fuere nobilis Eburouicum ciuitas,& cũ primis oppida in Biturigum finibus munitiſsima, Caſtrum Rodulphi,Craſſeianum & Iſſodunũ,ac ad Normaniæ limitem Velocaſsinũ,quod Giſortiani agri pars eſt, cuius repetundi ius ſimul omne Anglo ademptum eſt. Rem totã de integro in Ludouico Craſſo expedit Æmylius ita inquiens: In extremis Normaniæ finibus caſtra caſtris collata ſunt. Et à Franco Robertus comes Flãdrię ad Anglũ miſſus,cauſam fœderis egit,poſtulauitq; vt arx euerteretur,ad alendum bellum, pacémq; turbandã extructa. Giſortium ad Eptam flumen poſitum eſt velut quoddam diuortiũ liméſque Imperiorum. Quod Velocaſsium finiũ cis amnẽ eſt,Frãcicũ Velocaſsinum dicitur:quod vltra iacet, Normanum. Id oppidum vtramque ripã contingens,ancipitẽ cauſſam facit, hinc Francis, illinc Normanis ſibi vendicantibus. Arx in vlteriore parte condita fluuium frenabat,ac oppidum citerius continenti metu terrebat. Hæc ſunt quæ ad Velocaſsini vtriuſq; chorographiam nonnihil momenti adferre videntur. Ægidius author eſt in ſuis Frãcorũ annalib⁹, hæc omnino oppida ad Vulcaſsinũ Normanicũ ptinere, videlicet Giſortiũ, Nealfleum, Eſtrepiniacũ, Gamachias, Aridã villã, Neocaſtrũ ſeu caſtrum nouũ,Valdemontẽ,Brayiũ,Corniciũ,Albammallã, vulgo Aulmalle ſeu Albemalle, Nongentũ. Sic fit,vt recta pergẽtibus è Lutetia Rothomagũ à phano ſancti Clari,qđ Eptæ adiacet, aduſq; Floriacũ, quod Andelæ imminet:quæ interſunt aut caſtra aut oppida, ad Vulcaſsinũ Normanicũ ſpectare cenſeãtur,& in his eſt Nouiodunũ apud Andelã,vulgo Noion ſur Andelle, imperatoris Ottonis & Ludouici Frãcorũ regis hoſpitio memorabile, cũ aduerſus Richardũ quintũ apud Rothomagũ graue bellũ ĩmineret. Giſortiũ autẽ (cuius ſuprà meminimus) authorẽ agnoſcit Gulielmũ Rufũ nothi filiũ. Cu⁹ nõis etymo qđ ẽ ſordidã poſiturã ſedẽve ĩterpretãtur : quaſi dicas giſtes ordz,

ſordida ſcilicet hoſpitia. A quo non parũ differt alluſio nominis Orbecci,quod quidem interpretantur nonnulli roſtrum ſordidum, Ord bec: cum antea diceretur Roſtrum aſini, bec d'aſne. quæ tamẽ omnia fabuloſa crediderim. Vt autem reliquos Neuſtriæ fluuiorum tramites & decurſus,id exigente dicendorum ordine,proſequamur: eſt in tranſſequanis fluminibus è Carnutibus fluuius prodiens,qui(vti ſupra dixiſſe meminimus)ſolus orientem verſus in Sequanam decurrit Eburouicum agrum magna ex parte irrigans, Louerienſéque oppidũ interluẽs, tandem non procul à Gallione, vulgo Gaillon,in Sequanã ſeſe præcipitat.Eſt autem Gallio,locus præter agri amœnitatem,ædificiorum ſuperba magnificentiſsimáque ſtructura admirabilis,ac merito ſuſpiciendus:eſtque in bonis Rothomagẽſis archipræſulis, vti & Loueriarum oppidum,quod apud antiquarios locus (aliàs lucus) veris appellatus legitur,Gal. Louuiers. Id teſtatur hiſtoria vulgata Neuſtriæ,recenſens oppida & agros pontificiæ ditioni ſubiectos,carmine vtcunque polito. ſic enim ait quiſquis fuit ille pœta:

Vir iſte Galterus,cuius ſunt ſigna triumphi,
Diepa,Locuſueris Alihermons,Butila,Molta,
Diepa maris portus:Alihetmons campus amœnus,
Villa Locuſueris,rus Butila,Molta per vrbem.
Hactenus hæc regis Richardi iura fuere &c.

Nomine Locuieris intelligens oppidum vulgo Louuiets appellatũ: Alihermons ager hodie nomen ſuum retinet.Butilam vero la Bouille vulgus appellat.Per Moltam autem crediderim ius multuræ intelligi archipræſuli quæſitum paſsim per vrbem Rothomagenſem.

Non procul hinc tranſſequanicus abeſt fluuius,in Boream vergẽs, quem Rillam accolæ vocãt,hinc (niſi me coniectura fallit) deſumpto nomine (nihil enim præter augurium adferre poſſum) quòd fluctuatim diſtillat aquam,vti in canalibus paſsim cernere eſt: Galli vocant Riller,quem ſuo deflexu morem per ſaxa decurrens Rilla continenter obſeruat.Scaturit autem ab origine ſua primæua ab Aquilinæ ſyluæ limitibus,nempe ab Aſprenſi caſtro, qui ſubinde Aquilam oppidum alluens,& in Oximienſem agrum decurrens, vulgo Hieſme, in Argentanam ſeu Argentariam delabitur,vulgo Argentam.Demúmque poſt varios anfractus Becdo Herluino imminens Montfortenſe olim caſtrum,nunc phanum à Samphilibertino cœnobio ſecernit & caſtro, vulgo le manoir ſainct Philebert,donec venias ad pontẽ Audomari, vulgo Pontaudemer. Nec multò pòſt in æſtuarium Sequanicum,oram ſcilicet maritimam ſeſe præcipitat, illícque abſorbetur: piſcoſus vtique amnis,& anguillarum & torrentinarũ,tructas vocant, vulgo Truites,(eſt autem tructa Auſonio ſalar) Alburnorum lacettorúmque copia fœcundus,vulgus appellat Pimpetneaux. Vt ne etiam gregales prætercam mænas,vulgo appellatas Menuize.

Neq; extra rem noſtrã fuerit,diui Nicaſii in Neuſtria profectionẽ chorographico tenore deſcribere: ea ſic habet ex noſtra hierarchiæ Neuſtricæ deſcriptione deſumpta: Nicaſius,cuius ſi nomen interpreteris,Victorinum ſeu Victorianũ ſonat, Quirino Scubilióq; (aliàs Scubilione) comitibus, traiecto Iſara Eptam vſque peruenit: qui fluuius hodie Normanicam ditionẽ ſecernit à Gallica:ſeu(vt veri⁹ dicã) quã hodie appellant Frãcicã.Occurrit illi primũ Velocaſsinus ager, oppidũ q; Vallis, quod hodie appellatur Vaulx, quarto ab Meulano, ſeu ſi malis,Molineo oppido diſtãs lapide. Eò loci draconẽ in deſerta relegauit: vbi etiã ad fontẽ draconis animas trecentas octodecim in

Chriſti militiam connumerauit, omnes ſacro baptiſmate luſtrans, & illuſtrans ſacrę fidei documẽtis. Pergit inde Nicaſius ad littus Sequanæ apud Monticas, Gallicè Monceaux, quaſi mõticulos dicas, vbi in ſpelunca latitantem dæmonem adiuratum exploſit. Locus eſt quem rupem diaboli vocant. Diſtant Monticæ à Medunta, Gallicè Mante, octo miliaribus. Tandémq; apud oppidũ Gagneium, Gallcè Gaigny, non procul à Valle truncatur Nicaſius. qui ita corpore trunco vadum tranſiliens, inſulã petit: quæ hodie inſula Nicaſii, vt & vadum ipſum à Nicaſio cognomẽtũ habet, appellatur. Sepelitúrque à pia ac religioſa matrona Pientia. Cuius apud nos extãt ſacræ reliquię: vti olim à Maximilla Andream, & à Catulla fœmina Dionyſium, ſepultos legimus. Extat diui Nicaſii phanum ſuo numini ac nomini ſacrum.

Hæc idcirco inſerenda putaui, quòd non parum ad chorographię huius Neuſtricæ negotium ſpectare videantur. Quòd ſi nõ admodum procul inde ad Auſtrum, occaſum tamen verſus, perrexeris intra Neuſtriæ limitem Vnellos verſus & Carnutes, Vnellos inquam Perticenſes comitatus nota, Carnutes verò ducali inſignes: ecce tibi mox occurrent riuuli nonnulli notæ non prorſus contemnendæ. Eſt ſupra Vernolium, Perticenſe vulgo cognominatum, oppidulum nomine Burgum, quatuor tantum miliaribus diſſitum. Eò loci ſcaturit fons aquæ perennis, Vernolium irrigans medium: cui iunctim ad læuam riuulus aſsidet hybernis paludib⁹ auctus: vnde cõficitur Itonius fluuius, gal. la riuiere Diton, prius tamen ex alueolis illis ſtagnum conficitur fœlicioris notæ, cognomento videlicet Francum: gal. Leſtang de France, multigenæ piſcaturæ prouentu fœcundũ. Iam inde alueolis quibuſdam coaleſcens, ad phanum diuæ virginis Pellaium vocatum defluit, gal. Noſtræ dame de Pellier: nec fluẽdo curſum ſiſtit, vſq; dũ perueniat Caſtellionẽ, aliàs Cõchas, gal. Cõches. Mirificè interea ſibi placẽt incolæ Vernoliẽſes, ꝙ inſignioribus notis vſq; ad heptadẽ locupletati ſint. Aiũt enĩ (de ſe ſi creditur illis) ſe térq; quatérque beatos, hoc eſt ſepties. Septem illis ianuæ apertæ ſunt numero, vel totidẽ quot Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili. Septem campanarias turres, Septem prætetea ſacros decurionatus, Quadriuia præconialia ſeptem, Moletrinas hydraulicas ſeptem, Septem inſuper ad panes conficiendos officinas edicto publico obnoxias (Gallicè four a ban) & agnoſcunt & profitentur. Denique apud eos omnia ſeptem. Nec pluribus diebus comprehenduntur omnium vel menſium vel annorum hebdomadę. Illic viſitur arx cognomento Leucophata, Gal. la Tour Griſe, quadratis lapidibus in modum arenularum compactis, atque (vt ſic dicam) adglutinatis extructa, leucopheatum colorem præſentantibus, nulla vi (ſi verũ eſt quod incolæ referunt) expugnabilis, quãuis modò à Francis, modò verò ab Anglis fuerit oppugnata. Fraude tamen magis quàm arte occupata fuiſſe legitur. Huius tam validæ munitionis cauſam plerique autumant, quòd quantum in ſublime erecta tollitur, tantum deorſum latè patẽtis ſpacio ampliata deiicitur: raro nimirum exemplo, ſi cum arcibus cæteris conferatur, vno (quod ſciam) excepto in Sueſsionico agro, caſtro Couſsiaco. Abundat enim Couſsiacum mira latitudine, protenſis ſubterraneis cauernis. In quibus vna eſt foſſa Iacobiana, vulgò la foſſe Iacquet: in quam ſiquis ſaxũ aliquod minutulum demiſerit, mirum ex ea deiectione (tametſi leuiter facta) exaudiet tumultum priuſquam terram attingat.

Libet de Perticenſi agro aliquanto diffuſius diſſerere. Primùm ſeſe extendit ager ille à Vernolio aduſque Bernardinum emporium, gal.

la Ferte Bernard: patétque in longū triginta propè milliaribus, in latum verò paulo minus ſedecim. Qui adeouſque nemoroſus eſt, vt ſyluas complectatur latiſsimè extenſas tres numero: Perticenſem vnam antonomaticè ſic appellatam: Regnonenſem alteram, tertiam verò Beliſmenſem. Fluuii eo loci inſigniores ſunt Huynius vnus, à phano Dionyſiano exordium ſumens, arces non contemnendi nominis alluens, Maluaticam vnam, Ruſomalardinam alteram, tertiam Condatenſem, quartam verò Nongentum Rotrenſe, Gallicè Maulues, Rouxmaillard, Conde ſus Huynes, Nongent le Rotrou. Abſorbetur tandem ſub ponte Genenſi, Gal. de Gennes. Flumen alterum mediū agrum Vnellorum alluēs, gemino fonte tumeſcit: Marcheuillano inquam, & Pelleterienſi: vulgò Marcheuille, & la Pelleterie. Nomē vni Coumeauche, alteri vero Iambee. Coëunt tandem bifurcati riuuli in in Huynium flumen ad molam Capreenſem, vulgo le moulin Chereul. Oppida continet Mortanienſe, Beliſmēſe, Arciſpetroſę, vulgo la Perriere, & oppidum Fenetlienſe, vulgò Fenillet. Longniacam inſuper Baroniam præter ea quæ paulò antea numerauimus. Diſſecatur ager ille à nonnullis in Perticenſem maiorem, & Goëtanum, Gal. Le Perche Gouet. Quæ partes geminæ nunc coëunt in vnum. Continet autem pars altera hæc nominatim oppida Baronię nota illuſtrata, Bazocham primò Goëtanam, Montem deinde mirabilem, Halluienſem, Broium, Antoniúmque Baronias. Gal. Bazoche gouet, Montmiral, Halluie, Brou & Auton.

Actura fluuius inde originē ſumit à ſtagno vulgo appellato Le Boullō Deheure apud ſyluam Lōgniacam. Perluit ciuitatem Carnotenſem perque Nongētum Regium, ac Seriliacum, Lenéſque aquas, gal. Leſneaulx, perque Soretanum agrum, Gal. Soret, tandem delabitur in Sequanam. Sunt autem Vnelli Alenconiæ ditionis portio electiſsima ad Francicum ſolum ſpectans. Partim ſenatui Pariſienſi, partim verò Rothomagenſi iuriſdictioni ſubiacent.

Eſt etiam in Vnellis Belliſmenſis comitatus ex Francorum olim agro, Pertuenſi ditioni attributus, ex dono Taluatii in Rotroci Perticenſis poſſeſsionem tranſlatus. gal. Belleſme. De quo ita ſcriptum ...o apud Gemericenſem: Rex Henricus nobiliſsimum oppidum eiuſdem nomine Beliſmum cepit, & illud Rotroco Comiti Perticēſi genero ſuo dedit: licèt pagus Beliſmenſis non ad Ducatum Normaniæ pertineret, ſed ad regimen Francorum. Dederat tamē dominium eiuſdem pagi, vel (vt quidam dicunt) vendiderat dudum Philippus rex Francorum cognato ſuo Vvilelmo ſeniori, regi Anglorū, & duci Normanorum. Iuo autem de Beliſmo anteceſſor huius Roberti, fuit vir potens & ſapiens cum cōſilio. Primus Richardus dum adhuc puer teneretur in cuſtodia regis Francorum, ereptus eſt, agente Oſmundo armigero ipſius primi Richardi. Huius autem Iuonis fuit filius Vvilelmus de Belliſmo, qui genuit alium Vvilelmum cognomento Taluentium patrem Mabiriæ. Hāc Mabiriam Rogerius Comes, filius Hugonis de Montegummerico, accepit in vxorem cum tota hæreditate patris ipſius, quam habebat ſiue in Belliſmēſi agro citra ſiue vltra fluuium Sartæ. Locum hic etiam aliquem inueniat ora illa maritima, quam appellant Vallesdune in Oximienſi agro, Guhelmi nothi victoria aduerſus Vvidonem Burgundionum comitis filium memorabilis. Qui cùm eſſet Gulielmi beneficiarius, Brioco caſtro ab eo recepto: conſpirauit tamen perfidè, allecto ad id facinus perpetrandum Nigello Conſtantinienſi Comite. Hi autem coniurati, duce Henrico, Guhelmoque Co

mite cæſi tandem & fugari, partim gladio perierunt, partim verò obuio Ornæ fluuio abſorpti ſunt. Quid plura? Guido ſuæ perfidiæ pœnas luit priuatam vſque ad mortem vitam agens. Briocum autem à Gulielmo receptum eſt in pœnam criminis. Dampfrõtem hoc loco reponerem caſtrum à Gulielmo Taluentio primò extructum, exciſo prius montano quondam nemore: niſi ſcirem quadantenus ad hierarchiam Cænomanẽſem pertinere. Illud ſcitu dignum, quòd longa nec minus grauis interceſſerit cõtrouerſia inter prognatos à Richardo magno, & Gulielmum nothum. Prodierat quidem Gulielmus à ſtirpe Richardi, ſed ex concubina Roberti Ducis, nomine Herluina, Fulberti eius cubicularii filia. Quam Herluinam, extincto Roberto Duce apud Nicęam, Herluinus miles duxit vxorem: ex qua prodiere filii duo, Odo & Robertus, mundi ſchemate illuſtres. E quibus Robertus vnus Gulielmi vterinus, Comes Moretonii ab eo inſtitutus eſt expulſo veteri poſſeſſore Merlento, perduellionis aduerſus Gulielmum reo, totoque exploſo ducatu. Erat autem Merlentus de ſtirpe Richardi magni. Cæterum alueus ille quem diximus, ex fonte Burgenſi ortus, vbi Vernolio imminet, mota ab Eburouicibus cõtrouerſia: eò tandem deuentum eſt, vt pro alluendis Eburouicum agris (Ebroicas dicunt, vulgo Eureulx) opera induſtriaque humana in duos ſecerneretur alueos: parte vna Eburouicum vſui profutura: & ea quidem Itonit fluuii nomen retinet. Eſt inſuper in Druidibus Actura fluuius, gal. Vre, Itoniũ vſu commoditateque multis partibus ſuperans. Eſt enim præter piſcaturam, nauigio vtilis. Vnde & è Druidibus (qui aliàs Drocenſes dicuntur) in multa oppida vtrique vicina ripæ, Cereris & Bacchi fœtura traducitur: qualia ſunt Paſſeium, Ibreiumque ſtratæ viæ cognomento nobile (vulgo Iurey la chauſſee. b ſonãre pro u) tantiſper decurrens, donec à Sequana abſorbeatur, vnuſque cenſetur eorum, qui præter communem fluuiorum ſortem in Orientem vergens, illic deſinat.

Sunt autem (vt ne illud ſupinitate quadam prætercam) Eburouices, aliàs Ebroici, Ptolemæi ſententia Aulerci appellati. Ille enim triplices Aulercos ſtatuit: quoſdam in Armorica Diabolitas, aliàs Diabilintres: quoſdam vero Cænomanos: tertio autem loco Eburouices ſeu Ebroicenſes. Marlianus contorto vocabulo auguratur huius tertiæ nomenclaturæ Aulercos dicẽdos eſſe vulgo Rotlois ſeu Rohennois, extendens huius vocabuli ſignificatum ad Rothomagenſis agri incolas, & Eburouicum accolas. Quos Rotholienſes dictos teſtatur antiquitas. Nam ciuitas ipſa Rotholiũ olim appellata eſt, vt in Neuſtrica noſtra hierarchia non leui indicio teſtatum reliquimus. Diuus ſiquidem Amantius Rothenſis alumnus dictus eſt: qui in cella ſuburbana tribus luſtris abſtinentiſsimè vixit.

Quin & de beato Nicaſio Oldricus Vitalis hoc diſtichon edidit:

Rothoniæ antiſtes datus à Clemente Nicaſi,
Si non ſediſti, caput exponendo ſtetiſti.

Rothonium priſcum Rothomagum appellans. Qua de re ipſe viderit: nos Aulercos Neuſtriæ appoſitè Eburouices appellandos exiſtimamus. Nec ſibi conſtat Marlianus, qui alio loco Augienſes Aulercos dicendos exiſtimat. Ego verò, quandò ſola nobis ſupereſt coniectandi facultas, bona omniũ venia crediderim Ebroicas per etymon dictas veluti Eboricas. Ea enim natura eſt ſoli, vt calloſa ſaxa paſsim emittat ad eboris inſtar clandida, non vt cæteri vel amnes vel agri ruffata. Sed id vim tantũ habeat coniecturæ. Habet ager ille magni-

ficæ ſtructuræ oppida non pauca: in quibus ſunt Vernolium ſua arce nobile. Vernouium item vnà cum Vernoueto arce, alluuione Sequanæ fluminis multis vſibus commodum. Eſt & Aquila, ſyluæ Aquilinæ contermina: vnde ſcaturit Riſla fluuius, cuius ſupra meminimus. Sũt etiam oppida non prorſus contemnenda, Paſſeium, Ibreiumque ad fluuium Acturã, vulgo La riuiere d'Eure, & Iurey la chauſſee. Eſt inſuper caſtrum, quod olim Tegularias vocabant, tempore Gulielmi nothi conſtructum, ſed poſtea bellico tumultu magna ex parte dirutum, vulgo Tillieres vel Tuillieres. Sunt & præterea oppida, Caſtellio, quas Conchas vocant, Conches. Brerolium, vulgo Breteuil: qui locus fabrilium operarũ fornacibus ſcatet. Eſt & Bretolina ſylua latè patens ad milliaria quatuordecim, quercino robore nobilis. Rugolium inſuper, Rugles. Bruinum item caſtrum & emporium. Meminit etiam Gaguinus Hermeuillæ: quam Paulus Æmylius Hermeuicum vocat, vbi grauem Theobaldus Carnutum comes à Richardo Neuſtrio duce ſui exercitus iacturam paſſus eſt.

Fuit autem Eburouicum ciuitas variis obnoxia caſibus, Francorum modò, modò Normanorum ditioni ſubiecta. Nam authore in Lotario Gaguino, Frãcus Ebroicam Normaniæ ciuitatem prodente Gilberto Ferrario Fabro recepit: receptam Theobaldo Carnotenſi commiſit, præſidio illi impoſito. Nec multò pòſt pace inter Lotarium Francum Richardumque ducem inita, Ebroicas dux à rege recepit: verũ ſub Philippo Auguſto vnà cum Normania tota in Franci regis ditionem peruenit. Multis poſtea labentibus & diebus & annis, cum ciuitatem illam diutius Angli tenuiſſent, Floqueti induſtria ex Anglorum manibus erepta, in Caroli ſeptimi poteſtatem redacta eſt, effoſſo in mœnibus vrbis cuniculo ſub promptioris piſcaturæ prætextu. Is ille eſt Floquetus, qui ſuo ſtratagemate & Arcem pontis, & Caſtellionem ſeu Conchas oppidum, addo etiam & Vernolium, è manibus Anglorum eripuit. Author in Carolo ſeptimo Gaguinus. Nec ſatis hoc erat: alia ſuper aliam inopinata acceſsit calamitas, ex quo dicta Eburouicum ciuitas cœpit Carolo ſubeſſe Nauarro. Nam cum ei Ebroicarum vſusfructus deſignatus foret, aliorumque oppidorum prouentus, aduſque octo & triginta librarum turonicarum millia penſionis annuæ nomine recipiẽda, impigneratis ob eam rem oppidis Bellomonte Rogeriano, Bretolioque & Caſtellione, Orbecco, Ponteque Audomari, vnà cum Conſtantinienſis iuriſdictionis præfectura: ſua ille impoſtura, coniurataque cum regni hoſtibus conſpiratione (vt erat omnium quos ſua nouerat ætas, riualis vaferrimus) hoc tandem promeruit, vt omnibus priuaretur, quæ illi prætextu pacis ineundæ oblata fuerant: ſicque Ebroica ciuitas dum ab eius manibus eripitur, variis inter hoſtiles impetus hinc inde obnoxia caſibus diſcerpta peneque exhauſta eſt. Eò enim tandem deuentum eſt, vt dum Ioannes Meudonius nomine regio Ebroicus caſtrophylax, ob ſui tutelam nominis, ne ciuitas in manus deueniret hoſtiles, ignẽ arci ſubiiceret, vrbs tota celeri incẽdio conflagrarit, incredibili ciuiũ iactura. Id autem accidiſſe legitur ſub annum à virgineo partu 1358. Alluitur autem ea ciuitas piſcoſo quodam (vti ex iam dictis conſtare poteſt) fluento: Heſſelinam fluuiũ Gaguinus appellare videtur (hodie Itonium vocant, gallicè La riuiere Diton) haud ſcio an ab Heſſelina Gulielmi, qui frater erat Richardi ſexti, coniuge: quę ſuaſu Radulphi Ebroicarum comitis, Gulielmo nupſit: proba ſanè mulier, & religioſa, cuius impenſis ædes ſacra virginis apud Iuam extructa ho-

die viſitur. Ex qua prodiere liberi duo, Robertus vnus Auconii comes, gallicè Eu: Ioannes alter Lexouiorum pontifex.

Richardus comes eam ciuitatē gemino templo illuſtrauit & auxit, anno ſcilicet ſeruatoris, in quo Parthenona cōſtruxir, Chorúmque virginum magnifica dote illic aluir & fouit. Aliud præterea phanum erexit, diuo Paulino Ebroicarum Apoſtolo deuotū ac dicatum, nomine etiamnum apud vtrunque phanum remanente. Sunt & alia quædam oppida non prorſus negligenda, Apriliacum & Aquiniacum: ſuper quibus ad cætera me transferens conniueo.

Cæterum ne quis forſan elementorum affinitate illuſus aberrer, ſciat velim non eoſdem eſſe Ebroicos, Eburones & Eboracos. Eſt enim in Anglia Eboracum ſedes Archiepiſcopalis: cui quondam de primatu cum Cantuarienſi præfectura ingens concertatio fuit, Lanfrāco tandem Cantuarienſi authore extincta. Sunt autem Eburones Leodii Ciſrhenani Belgæ. Noſtri verò Ebroici ſeu Eburouices, Celtæ ſunt ad Galliam Lugdunenſem ſecundam pertinentes: de quibus ad præſens. Nunc deſignādi ſeſe offerunt ſuis limitibus Lexouii: vocabuli etymo (niſi me coniectura fallit) ex ſoli genio ſumpto, luxato illo quidem, & quodammodo lubrico. Tribus autem potiſsimum ager ille fluminibus irriguus cernitur: quorum vnus ad Tolcham caſtrum decurrens, illic quandoque vadoſus, ſeſe in mare præcipitat. Ad oppidum Gaſſeium, non procul à phano diui Ebrulphi ſcaturit ille fluuius: qui ad milliaria deinde quatuor Veteris monaſterii pontem ſubintrat, ſeptem dein leucarum interſtitio Lexouios alluit, recepto Orbecci fluento, pontemque ſubterlabitur, ad portam qua Campodomum itur, erectum. Subinde ad milliaria duodecim, pontem quem epiſcopalem dicunt, ſubterlabitur aduſque Tolcharum caſtrum. Alius præterea Iua fluuius per Augiam ſeu cauam Normaniam defluit, illicque ad diuæ Barbaræ phanum Saiios à Lexouiis dirimit, Chambraſium caſtrum aliáque oppida phanáque alluēs: vti ſunt phanū Chriſtiferæ virginis apud Iuā: diui etiam Petri, Troarnum cœnobium, phanum item Chriſti ſeruatoris propè irrigat. Cæterum ad Variamuillam, vulgo Varamuille, in mare delabitur. Eſt inſuper apud Lexouios in Ternandino pago, fons memorandæ profunditatis, tria ſtatim ab eruptione ſua molendina conuoluens: qui à fluuio quodam ſubterraneo originem trahere creditur.

Cæterùm Lexouiēſis ager magna ſui parte partim Rilla flumine, partim verò Sequana, ac ſubinde maris æſtuario à Rothomagenſi limite diſcernitur. Sunt ad Rillam fluuium pontes nonnulli, quorum traiectu promptus eſt è Lexouienſi territorio in Rothomagenſe trāſitus. Occurrit in primis pons Altaldi, vulgo pont Aultou. Subinde vero ligneus ac ſublicius apud Samphilibertinum caſtrum ponticulus, nec vecturæ, nec equitaturæ congruus, ſed pedeſtri tantum profectioni ſua methodo commodus. Quem non multo poſt ſequitur pons Mōtfortenſis tripertitus propter effuſas quaquauerſum fluminis paludes. Cui ſubiacet ſecūdum aquæ defluxum pons Audomari, gallicè Pontaudomer. Quod autem ſupra attigimus de ſcaturigine primæua fontis à Ternanto pago profluentis: non extra rem fuerit, continuam aluei ſeriem vſque dum à Rilla flumine abſorbeatur, ſubtexere. à Ternāto primum decurrit riuus ille in Chambraſium caſtrū gallicè Chambray: inde Ferratias, & ab eo loco phanum Sanquintinianum irrigat, vſque dum perueniat Bernaium oppidum, à Iuditha Richardi Neuſtriæ ducis cōiuge Benedictino cœnobio honeſtatum

& auctum. Ibique alueus ille Eburouices ſeparat à Lexouiis. Secundum hunc decurſum Mayneuillam, Curſellas Sartiniacumque præteriens pontem ſubit Naſandrium, à quo ſeſe vnda eximens fontem Sorellum petit, gallicè Fontaine la Soret: & apud Brionẽ ponte traiicitur: declinans demum ad pontem cuius ſupra meminimus Atolphi, non procul hinc abſorbetur à flumine Rilla. His ita ſe habentibus, ſecundum littus marinum, æſtuariúmve Sequanicum occurrit Hunflutum oppidum, Hunfleut. Huius nominis rationẽ alio diſcuſſimus loco. Iam inde in ipſo maris æſtuario loca occurrũt notis quibuſdam memorabilia, cuiuſmodi ſunt cœnobiticа phana familiæ vt multùm Benedictinæ, phanum inquam Cormeliarum vnum, Lyranum aliud, non procul à maris æſtuario extructa: illa quidem impenſis Gulielmi filii Osberni: duo autem alia à fundamentis erexit Robertus Bellomontanus in agro Pontaudomarenſi, Parthenonem inquam in Pratellis, vulgo Preaulx, & aliud virile cœnobium. Porrò Harecolii comes, Greſtani cœnobii, vulgo Greſtain, clauſtrum ſuis impenſis condidit, magnificiſque prouentibus auxit. Vt ne etiam omittam Iudithæ Richardi ducis Neuſtriæ vxoris magnificam apud Bernaium oppidum cœnobiticam ſtructuram. Et hæc omnia intra Luxobienſis territorii limites: præter ea quæ ad Iuam fluuium extructa, ſuo loco enumerauimus. Poſt hæc ſecundum littus maris proficiſcentibus obuia occurrunt Æſtuaria nigra: quaſi dicas, Vagues noires. nam & fuliginoſum colorem præferre videntur fluctus illi ex cõtactu nigricantis arenæ. Cuius nominis alluſione decepti nonnulli, corruptè vocant Vaches noires: qui potius dicendi erant atri nigricantéſve fluctus.

Sunt & ſpeciali quodã nomine appellatæ Rupeculæ, æſtuãte mari nonnunquam periculoſę, vulgo les Rochettes. Quod ſi vltra diui Saluatoris phanum proceſſeris, apud Variãuillam obuium habebis oppidum vulgo appellatum Saulenelles, hoc eſt Nigellæ ſalices. Nec procul hinc diſtat deiparæ virginis phanum Heſtrehamum dictum, vulgo noſtre dame d'eheſtreham. Sed id in Baiocaſsino agro. Vt hic tandem finẽ inueniat, hactenus perſeuerans de Lexobiis ſermo, his (quod ſatis conſtat) ager iſte clauditur limitibus: læuam proficiſcentibus ab ortu ad occaſum tegit Saiienſis tractus: partem vero occiduam bona ex parte Bellocaſſii, qui & Baiocenſes: dextra verò, quæ Borealis eſt plaga, clauditur Sequanico maris æſtuario. Occurrit itaque Saiiorum plaga ſuis diſcriminanda fluuiis, oppidis atque etiam limitibus.

Tractus iſte Saiienſis, quod primum teſtatum velim, non tantum in Neuſtria, quinetiam extra Neuſtriam ſuas porrigit fimbrias. Præeſt enim hierarchico pĩcipatu Vnellis: qui & Perticẽſes dicti ſunt: quin & in ſe recipit Alenconienſem ducatum, & ei attributas augendæ rei domeſticæ gratia regiunculas: quòd ſcilicet Carolus Alenconius Comes Philippo Valeſio, ad quem regium diadema peruenit, fraterno ſanguine iungeretur. Nam Petrus Alenconius Comes ſimul & Perticenſis dictus eſt, verſuſque eſt comitatus in ducatum ſtatim ab extremo fato Petri Comitis. Sed hæc extra rem chorographicam.

Eſt igitur Saiienſis tractus Normanicus partim, partim verò Francus, ſi ditionis priſcæ & mediæ limites conferas.

Illud præterire nolim ſilentio, fuiſſe aliquando tempus quo Carnotenſis Saiienſiſque pontifices tanta inuicem charitate iũcti fuerint vt non dubitarit Carnutum prçſul partem aliquam ex ſua diœceſi detractam in Saiiorum ditionem tranſferre, quò ſcilicet vnius copia, al-

terius ſuppleret inopiam. Cui⁹ rei hæc etiamnum veſtigia ſuperſunt, in quibuſdam Saiienſis diœceſis templis Carnotenſi ritu horaria pẽſa decantari: vt vel hinc ſciamus ſegmentis aliquot adauctam fuiſſe Saiiorum diœceſim.

Quandò vero in his verſamur limitibus, illud memoria dignũ proponendum viſum eſt: Seſſuuios, quos pro Eſſuuiis chorographi vſurpant, eos eſſe qui exiſtimati ſint omnium in tota ſua regione populorum pacatiſsimi, paciſque amantiſsimi, ac bello minimè dediti, ab Armoricis non longe diſtantes, & à Belgis centum paſſuum millibus diſcreti. Id autem aduſque ætatem noſtram deprehenditur, quòd cũ ęrate ducum Neuſtrię ex reliquis nationibus conſcriberetur exercit⁹, nempe Arboricenſibus ſeu Abrincatibus, Conſtantienſibus, Augienſibus ac Pontiuis & Calerenſibus, Saii Eſſuuiive nullum in huiuſmodi conſcriptione habuiſſe leguntur numerum. Id in cauſa fuiſſe crediderim, quòd Neuſtriæ penè vmbilicum Seſſuuii teneant inter occaſum & ortum. Qui autem eos exiſtimant vulgata appellatione dictos Roteloys, tota aberrãt via: neque enim id patitur menſura ſituſque locorum. Hi enim in Rhemis, Saii vero in Celtis & Neuſtriis poſiturã habent non procul ab Vnellis, gal. Percherons.

Cæterùm non procul à Saiienſi ciuitate fluuius defluit Orna: qui Bellocaſsinum agrum ſuo anfractu irrigans, in mare ſecundum Campodomenſem ripam deiicitur. Ptolemæus Olenam vocat: de quo in Baiocenſibus.

Sunt in Saiis non obſcuri nominis oppida: & in his Falleſia, vulgo Falleſe, quam rectius Promontoriola à circunſtantibus oppidoque proximis rupeculis dixeris, quas vulgus appellat Fallaiſes.

Eſt & Trunium emporium non prorſus incelebre: ſed multo ampli⁹ aduſque Galliæ Franciçę limites celebratur Gerboraium caſtrũ, gal. La Guybray, nundinario commercio admodum illuſtre, idque menſe Auguſto, ſub diuæ virginis celeberrimam aſſumptionem illuc vndequaque cõfluentibus omne genus cõmerciorum negociatorib⁹. Subeſt pręterea Saiiorum hierarchię Alenconienſis ducatus, forenſi ſuo Scacario nobilis, ob ſupremam in iure dicũdo cenſuram. Polydorus ſtatarium forum appellat: nos autem vocamus Leſchiquier. Niſi quòd à paucis inde annis prole deficiente maſcula, forenſis ille ſenatus partim in Pariſiorum, partim vero in Rothomagenſium ditionẽ tranſmigrauit: ex quo fiſco regio ducalis ille tractus attributus eſt.

His etiam agri limitibus adnumeratur Dampnifrontenſe caſtrũ: mons item Gomeriacus, Dampfrõt, Montgomeri: aliaque complura, quæ enumerare ſingula, operoſius, quàm vtilius foret: qualia ſunt Argentomagus, vulgo Argenten: niſi malis Argentariam dicere: Belloium: Bellou, Almenechiæ, Aulmeneſches. Eſt & Mauritania oppidum Panagio phano diuorum omnium memoriæ dicato percelebre.

Eſt etiam in Vnellis Belliſmenſis comitatus, ex Francorum olim agro Perticenſi ditioni attributus, ex dono Taluarii in Rotroci Perticenſis poſſeſsionem tranſlatus, gal. Belleſme: reliquáque id genus oppida complura. Bellomõtenſis quoque comitatus ad Vnellos pertiner, aliàs Perticenſes: qui nunc in ducalem euectus eſt dignitatem.

Saiienſi agro proximus hæret Bellocaſsinus tractus, Baiocas vocant, vulgo Le Beſsin. Sunt enim agri inuicem artigui. Haud ſcio an Velocaſsini dicti ſint (V ſonãte ꝑ B) à velatis caſsinis, humilioribuſve caſis. Vtcunque ſit, ab ortu ad occaſum pergentibus traiciendus oe-

currit Orna fluuius, Ptolemæo Olena appellatus, non paucis ſuſpiciendus notis. Oritur ille quidē ſupra Condatenſem agrum ad aquas nigras, vulgo appellitant Conde ſur Nereau. Penetrat ſubinde pontem Oilium, vulgo Pont doille. Excipit poſtmodum Viriam amnē; vulgo La riuiere de Vire, ac demum ſe in mare præcipitat apud Eſtreammum phanum diuæ virgini dicatum, vulgus appellat, noſtre dame d'Eſtream.

Eſt autē fluuius Orna non prorſus infœliciter piſcoſus: qui & ipſe opera & impenſis Roberti Normanorum ducis (eius inquam qui ſacro bello penè præfuit, extruſus tandem à fratre ſuo minimo Henrico) in Campodomenſi ciuitate aquæductus vallo circūducto, ad iuſti aluei quantitatem effoſſus eſt, per mediam viam, quam Vlmeam vocant (vulgo la rue Vlmoiſe) ingrediente riuo ſecundū ductum portæ Miletanæ, ſicque præterlabens in maris æſtuarium defluit.

Alluit autem (vt ne illud omittam) altius paulo Campodomo fluuius Orna Troarnum, gallicè Trouard: quod haud ſcio an Tranſornum dicendum veniat: quaſi ita dixeris, trans Ornam ſitum. Eſt Troarnus ager cœnobii Benedictinæ familiæ poſituta memorabilis, maximè vbi iu obſeruanda Benedictina inſtitutione reſpōdeant vltima primis. Sacræ huius ædis primaria iecit fundamenta Rogerus à mōte Gomerico: qui & ipſe Parthenona non longè ab Arboricis ſuis impenſis conſtruendum curauit: quod nunc cultricibus deſtitutum, in alios vſus tranſiit: perſtitit tamē veteris inſtituti nomenclatura communi voce vulgi, L'iſle aux dames. Erexit præterea in ſuburbano Saiienſi clauſtrum monaſticum: cœnobium vtrunque diui Martini memoriæ dicandum curauit.

Vt autem vnde digreſsio facta eſt, ſcopum repetamus, eſt in Arboricenſi tractu colliculus vnus cognomento Brimbalius, gal. La butte Brimbal, in parochia diui Martini ad Caluum Calidúmve locum, vulgo Chaultlieu (aliàs Chauuelieu) poſitus: vnde ad angulos ſibi ex diametro aduerſos quatuor, effluunt totidem ſcaturigines, ſuis quæque alueis in diuerſa loca fluentes. Quarum vna Sæam fluuium conſtituit. Eſt autem Sæa, prima ſui origine gemina: Ruffa vna fuſcáve, See la Rouſſe: ea ſcilicet quæ à Caluo loco procedit. Candida altera, See la blanche: quæ Surdam vallem præterlabens, Cherētinum agrū Brecianumque perluit, vulgo Cherence Brece: totamque per vallem Seianam (vulgo Le Vau de See) decurrens, ſubter pontes Arboricos æſtuario maris ſe commiſcet.

Eſt & alius præterea fluuius Egrenius appellatus, vulgo Egreine, in Longolatum defluens cœnobium, aliàs Lonlaium: donec Meduanam ingreſſus è Lauallio, Ligeri tandem commiſcetur.

Tertiæ ſcaturiginis riuus Virianus, pontem pone Viriā ſitum præterlabens (Hoſpitalem vocāt) ſubinde Martiliacum, pontiſque Farti teſtudinem ſubintrat. Fartum pontem dico, ruderibus ſubter alueum fartim compaginatum, vulgo pont Farſi: cuius aquam merito gradariam dixeris, quòd per gradus delabatur ſtratis lapidibus cōſtructos. Inde Teſſeium percurrens emporium, lanitio non prorſus ignobile, ac ſubinde Amandii villam, marino tandem abſorbetur æſtu.

Quartus ſuccedit riuulus aquæ Nigellæ: vnde Condatum nomen accepit, Conde ſur Nereau: quaſi dicas noire eau. qui priuſquam in Ornam fluuium demum ſe totum euomat, pontem effluentis aquæ ſubterlabitur, vulgo Le pont Eſcoulant: tantiſperque decurrit, vſque dum perueniat ad diuæ Suſannę phanum, phanumque Laudenſe ſen

diui

diui Laudi,gallicè Sain& Lo. Orna vero, ex ponte Doulleio, (vulgo Pont Doullie) agros irrigat Fontani cœnobiũ, gal. L'abbaye de Fontenay:donec Campodomenſi oppido illapſus non multo poſt(vii ſupra iam attigiſſe meminimus) in mare decidat. Seſe iam offert Oximienſe territorium, vulgo Hyemes, ab Argentomago ſeu Argẽtana Argentariáve non procul diſsitum, Argentan dicunt. Quod ſi nomenclatori Baiocenſium præſulum creditur,ſedem olim habuit epiſcopalem: diſtractúmque tandem eſt, diuiſum in tres regiunculas, triáve archidiaconia,Saiienſe vnum,Lexouienſe alterum, Baiocaſsinum vero tertium. Vtcunque ſit, Hugo Floriacenſis libro 3. rei Gallicæ pro eodem accipit Oximium & Sagium: vt vel hinc coniectura ſit ſedem Oximienſem in Sagienſem trãſmigraſſe ciuitatem. Verùm quò minus huic ſententiæ accedam,id potiſsimum efficit, quòd nullum de Oximienſi ſede pontificali vſquam reperiatur indicium,quãtumlibet quis euoluat ab initio naſcẽtis eccleſiæ pontificalium codicum epiſcopales nomenclaturas. Authoris tamen, fide penes eum manente, verba reponam: Vniuerſa Gallia non tam ampla quàm inclyta,prouinciis tribus terminabatur antiquitus: quarum vna Belgiea, alia Aquitania, alia verò Lugdunenſis nominabatur.

Porrò Belgica prouincia habet ab Oriente limitẽ fluminis Rheni, & Germaniam. Ab Euro verò habet Alpes Apenninas,& à meridie prouinciam Narbonenſem,& ab occaſu prouinciam Lugdunenſem, & à circio oceanum Britannicum.Vrbes eius inclytæ & famoſæ, Colonia Agrippinenſis, Tungris, Treueris, Metis, quæ & Mediomatricum,Rhemis, Laudunis,& pagus Heluetiorum, quem nũc Alemani incolunt. Fluunt per eandem prouinciã Scaldus, Matrona, & Moſa, & Axona,quæ vltimos Rhemorum fines præterfluit.Sylua etiam habetur in ea, quæ dicitur Ardenna: quæ à ripis Rheni fluminis vſque in Treuirotũ fines extẽditur. Aquitania verò à Garumna flumine ad Pyrenæos montes extenditur: & obliquo Ligeris curſu (qui eam ex parte terminat) penè in orbem cingitur. Continentur in ea vrbes egregiæ, Narbona, Aruernus quæ Clarus mons dicitur, Biturix, Cadurx,Toloſa,Ruthenus, Lemouis, Petragorica, Pictauis, Burdegala, Santona,& Engoliſma.Meat per Aquitaniam Dordonia,quæ in Garumnam immergitur. Sylua habetur in ea Lecenna, Biturigibus & Aruernis confinis. Lugdunenſis autem prouincia oritur à monte Iurano,qui eſt inter Sequanos & Heluetios:& à lacu Lemano,& flumine Rhodano. Et extenditur ad Oceanũ Britãnicum,dilataturque ad Ligeris alueũ,qui eam ab Aquitania ſeparat & diuidit. Vrbes in ea multæ & opulẽtæ,Lugdunũ,Cabilonus,Edua quæ & Auguſtudunus, Senonis, Antiſsiodorus, Niuedun* quæ & Niuernis, Meldis,Trecas, Pariſius,Carnotũ,Gennabus quæ & Aurelianis,Rothomagus,Ebroicæ,Oximus id eſt Sagiẽſis,Cenomanis,Lixouiũ,Nãnetis,Andes quæ & Andegauis,Abrincatina, Rhedonis,Venetus. Quarũ Auguſtudunus & Senonis maioris antiquitus authoritatis fuere.Nã Auguſtudunus amicitiã Romani populi amplectẽdo nobilis euaſit. Senones verò Romã quondã obſidione exinxerũt. Fluunt per Lugdunẽſem prouinciã Rhodanus & Araris,quæ Sagona (aliàs Sanccona) vocatur,& Sequana quæ Oceano Britãnico immergitur.Syluæ in ea Pertieus & Langolaria. (forſan Aquilaria, vulgo l'Aigle, vel Aquilina.)

Has tres Galliæ prouincias dum Frãci occupauiſſent:illã regionẽ quæ Septẽtrionem verſus inter Moſam & Renũ porrigitur, Auſtriã: eam autem quæ à Moſa vſque ad Ligerim protenditur, Neuſtriã vocitauerunt. Quædam tamen pars Galliæ, quam Burgundiones inter

Lugdunenſem occupauere prouinciam, nunc Burgundia vocitatur. Aquitania verò nomen adhuc antiquum retinet. Dicta Aquitania, quòd præ cæteris Galliæ prouinciis fontibus & torrentibus ſcatuniat. Et hæc modò tantum compendioſo ſermone de ſitu Galliæ dixiſſe ſufficiat. Reſtat tamen vt & Narbonenſem prouinciam, quæ pars Galliarum eſt, deſcribamus.

Narbonenſis prouincia habet ab Oriente alpes Gotthicas, & ab Occidente Hiſpaniam,& à Circio Aquitaniã, & à Septẽtrione Lugdunenſem prouinciam,& ab Aquilone Belgicam Galliam,& à meridie inſulas Baleares. A fronte verò qua Rhodanus in mare defluit,inſulas Cycladas. Hactenus Floriacenſis,q̃ in verbo Neuſtriæ vulgatum elidit errorem. Pergendum nunc ad reliqua.

His adiacet pagus Argentiarũ racemaria fœcunditate pluſquam vini maturitate memorabilis: vni enim in tota Neuſtria cedit, quæ apud Rothomagum eſt vitiferæ culturæ.quam vulgus Collinhou appellat.id atteſtante veteri adagio:

Le vin trenche bouyau d'Aurenches,
Et rompt ceincture de Laual:
A mandé a Regnault d'Argences,
Que Collinhou aura le gal.

Habet itaq; huius ſoli genius illud vnà cum Arboretano reliquiſque duobus commune, vt vitifer potius cenſendus veniat quàm vinifer. Neque enim eſt area vſque adeò hoſpita Phœbo, vt ad maturã concoctionẽ vuas perducere poſsit.Ipſa ſiquidẽ Neuſtriæ regio abſtemia eſt:ad cætera ferax,& quãtum incolis ſatis eſt frugifera. Id quod Borealis vocabuli nota non obſcurè indicat. Eò enim protẽdi Normanicum ſolum merito quis dixerit, vſque dum venias ad maturè concoctas naſcẽtes collibus vuas. Hic ego non tam Normanicæ quæ hodie eſt ditionis complexum attendo,quàm Borealis genium,qui etiã quadantenus attingit Cænomanicam partim orã,addo etiam & Britannicam. Sed ad rem. Argentiarum oppidum, Leſonio flumine alluitur: Monetico verò medium irrigatur:vulgo Leſon & Monette. Differt autẽ ab Argẽtolio Sequanico non procul à Pariſiis ſito,vulgo Argenteul:itemque ab Argentana Argentariáve in Seſſuuiis ſito oppido.Iſtud enim,vulgus Argentan vocat:illud verò Argences, tribus plus minúſve milliaribus à Campodomenſi oppido diſtans. Quod quidẽ appellatũ à loci planicie areaque campenſi alio diximus loco, in qua domus ſitæ nec collibus ſubſultantes, nec dehiſcẽtes vallibus, omni ex parte viſuntur.Hinc dicti cenſentur incolæ Campodomenſes. Quanquam nec deſint qui Cadomum, Caii domum appellauerint. Suum cuique maneat liberũ iudicium. Eſt autem ea ciuitas, præter munitiſsimã arcẽ validúmque propugnaculum, gemina templorũ ſtructura inſignis. templum vnũ protomartyri Stephano dicatum,grauibus impenſis Gulielmus nothus extruendum curauit. Parthenonem verò ſacrúmve Gynæcium, ſemper & ſuper omnia benedictæ triadi nuncupatũ,ſelectis impenſis erexit Matildis,viro cognationis ſanguine iuncta: vt ſcilicet ſanguinis attinentia, laxante pontifice,horum ſtructura templorum compenſaretur. Fundus tamen in alterius bonis erat vſque ad Gulielmi nothi extrema fata. Quo factũ eſt,vt cum funus in ædem ſacrã ingenti pompa deferretur, loci illius poſſeſſor publica Rollonis appellatione intercederet quo minus cadauer,niſi numerata prius pecunia,ſepulchro conderetur. qua tandẽ recepta, querimonia prorſus extincta eſt. Gaudet ciuitas illa academia, non à multis antea aut diebus aut annis literarũ ſtudiis dedi-

cata. Lego diuum Regnobertũ comitem prius, deinde vero Baiocaſsinũ præſulem, celeberrima illic templa conſtituiſſe. Vnũ ſcilicet nomini ac numini Chriſti ſeruatoris: Alterũ, memoriæ virginis deiparæ ad frigidũ (vt dici ſolet) Vicũ, gal. Froide rue. Diui Ioannis Baptiſtæ memoriæ tertium: Quartum vero, Apoſtolorũ principi Petro dicauit. Quinetiam non procul à marino littore, in fundo proprio de Iurãdia, ædiculam ſacrã diuæ genitrici dei Mariæ deuouit: quæ tamẽ longo poſt tempore à Barbaris euerſa, multis diebus ſaxis terraque obruta delituit: reſtituta tamẽ priſtino nitori & candori, poſteaquam diuino nutu arietinis cornibus excuſſo luto, tandẽ in lucẽ produit nõ procul ab æquore diſsita, imago illa colitur in Doureio pago, gallicè Douure, quatuor ab Eſtrehamo miliaribus diſtans. corruptè dicitur Noſtre dame la deliurãte: quæ potius dicẽda venit à Ladelle Iurãde: hoc eſt in regiuncula portiunculáve Iurandiæ. vulgus enim appellat Ladelle, agri portiunculam, in qua ſcilicet Iurandia ſita eſt.

Cæterum vt ſuo ſingula ordine procedant: priuſquã Baiocaſsinã attingamus ciuitatem, non extra rem fuerit, memorabilis apud Formigniacum pugnæ, Gallis fœlicem exitum ſuis depingere coloribus. Eſt inter Carentoniũ & Baiocas Formigniacus pagus, apud quem tota acie Gallos inter & Anglos animosè vtrinq; depugnatũ eſt, non procul à villa quã Ephippiorũ vocãt, gal. Eſtriuieres, ad vadũ & ponticulum ſecundũ quẽ riuus defluebat: inclinãte victoria in partẽ Gallorũ. Nam cum in acie cecidiſſent tria ex Anglis millia vnã cum ſeptingentis quatuor & ſeptuaginta, multis ex proceribus in vincula coniectis: non amplius ex Francis, q̃ ſex cecidere bellatores, cum tamen minor eſſet Francorũ exercitus tribus hominũ millibus. ita rem texebat Olympus. Vnde mox ſecutũ eſt, vt reliqua non procul inde oppida in Gallorũ poteſtatem venirent. Et in his poſt Viriã & Arboricas ac Tumbulanã rupẽ (vulgo Tumbelaine, rectius q̃ Tumbehelene) Baiocarũ ciuitas, cõpoſito cum hoſtibus fœdere, in poteſtatẽ Gallorũ non prorſus inuita deuenit. Cuius exẽplo Bricquebeccũ ipſumque Vallonarũ oppidũ Gallicæ ceſsit poteſtati. Supererat expugnandũ Cãpodomenie caſtrum, cuius area tam latè patere circũfertur, vt Coruolii apud Sequanã oppidi amplitudinẽ æquare videatur: aquarũ ſcaturiginibus, arciũque monimentis (vt ſi quod aliud) munitiſsimũ, eſtq; illi pro fundamẽto ſaxoſa rupes & vaſta & ſolida. Peruenit tamẽ ad Gallicam manũ prima Iulii anno à partu virgineo 450. Nec longo pòſt tempore Franciçæ ditioni tota ſubiicitur Neuſtria: nouiſsime expugnato Cæſarisburgo (vulgo Cherbourg) Angliſque in ſuã ſe Britãniã recipientibus. Ex eo itaque tẽpore ſic inclinare cœpit, atque in peius ruere, & retro delapſa referri Anglicæ ferociæ ſuperba cõditio: vt vltrà nõ adiecerit fatigatam ac penè diſcerptã euiſcerare Galliã. Huc-uſque enim vario marte res hinc Francica, inde vero Anglica ſic agitabatur, vt modò victus victorem ſuperaret. Eò tamen res deuenit, vt Frãcus prælio nonnunquã inferior, bello tamen è ſuis finibus Anglo profligato, maneret inuictus. Acerba (fateor) fuit fortuna Franco modò apud Vernolium, deinde ad diui Iacobi phanũ, quod corruptè Polydorus vocat ſanctã Gemmã: cum patria lingua vocetur Iacobus Iame, & Iacobellus Iametel. Eſt itaq; diui Iacobi phanũ, ſainct Iame. Acceſsit & dura Gallo fortuna apud Ienuillã oppidũ in Belſia, aliàs Bualta: nec prorſus diſsimilis in Bellouacis. Contrà vero Franco fortuna arriſit aduerſus Anglum apud Pataium in Belſia: Latiniaci inſuper (quod Lanieium rectius dicendum crediderim à lanarum commercio) apud Matronam, & aliis pleriſque locis, vtpote ad Michae-

litani montis radices: itemque apud Ambiriates. Inſuper & Catalaunenſem agrum, Gerberiamque & phanum Dionyſianum. Quibus ſucceſsit (vt nuper retulimus) inſigniter glorioſa victoria in Belocaſſino agro apud Formigniacum, vbi paucis è noſtris deſideratis multa ex parte aduerſa millia miſerè perierunt. Quæ etiam hoſti infauſta pugna rem Anglicanam ita attriuit, Galliæque vniuerſæ ocium peperit, vt vltrà non appoſuerit ſe Anglus magnificare ſuper terram.

Manſit itaque Gallia inuicta bello, tametſi aliquando fuerit ſuperata prælio. At longè ſecus accidit Anglorum reipublicæ: quos ſic ſæpenumero attritos bello fuiſſe legimus, radicituſque extirpatos, vt ne vllæ quidem reliquiæ, etiam impuberum, bello ſuperfuerint. Britannos Saxones ſubactos ad fugam compulerunt: riuales Pictos ſic extirpauerunt, vt vix nominis fama ſuperſit. Poſtmodū vero Anglos Daci & Nortvvegi imperata facere coegerunt: qui tandē omnes ad vnum interēpti & loco ceſſerunt & vitæ. Rurſumque Angloſaxones, Neuſtrii duce Gulielmo notho ita ſubactos domuerunt, vt iam merito dicatur inſula illa, Angloneuſtria, potius quàm Angloſaxonia.

Vides vt Britannia illa non ſemel & prælio & bello ſubacta fuerit, radicituſque etiam populariter euulſa.

Nihil tale populo Gallico contigiſſe legitur, qui quanuis Cæſaribus Romanis paruerit, manſit tamen in ſua propagine integra.

Franci vero Galliam penetrantes, tantum abeſt vt Gallicæ gentis deteriorem conditionem fecerint, vt potius vtraque natio, altera alterius luce illuſtrata fuerit. In hunc enim vſque diem Gallofranci nominis glorioſa fama perdurat, vbi Tros Tyriuſque ſimul nullo diſcrimine habentur.

Perſeuerat enim in hanc vſque ætatem Gallofrancica virtus, inuictaque bello dextera.

Præcipua agri Belocaſsini ciuitas, Baiocæ: multis in hunc vſque diem dotibus adornata, ad annum videlicet 1553. Pontifices qui ſedem illic tenuere hierarchicam, numerat nouē & quadraginta, imò verò quinquaginta acceſsione Leudoaldi pontificis, cuius meminit Gregorius Turonenſis, incluſis præter catalogi nomēclaturam duobus, Bernardo, quē nominatim Polydorus Vrbinas recenſet, & Gulielmo Triano. Sunt inter hos præſules apotheoſi donati numero vndecim, quorum nomina ſubſcribere non pigebit: Exuperius, totius regionis Apoſtolus: diui Clementis diſcipulus. Reginobertus Baiocaſsinus & comes & præſul. Ruphinianus. Lupus eiuſdem ciuitatis municeps. Mauueus, eò loci ortus & oriundus, primis annis anachoreſim exercens. Patricius & ipſe indigena. Cōteſtius, origine Neuſtrius, vulgo Sainct Conteſt. Vigor, patria Attrebas. Gereboldus alienigena. Framboldus, ſanctitatis opinione præfulgens. Eodemque ſanctimoniæ titulo clarus Geretranus.

Apoſtolico functus eſt officio diuus Exuperius anno à parta ſalute quarto ac nonageſimo: collega vſus diuo Reuerētio. In ædicula diui Ioannis Baptiſtæ à ſe constructa marmoreum baptiſterium miro artificio compingendum curauit. In area quæ antea mons Famelicus, dein vero mons Chriſmatum appellata eſt, Virginis matris iconem erexit, cuius clementiæ ciuitatis tutelam in hunc vſque diem municipes ita ex animo committunt, vt ſpe bona ducantur nullo eàm vnquam hoſtili impetu diripiendam fore. Eius Exuperiani capitis ſacrum pignus in æde Baiocenſi precioſo conditorio in hūc vſque diē cuſtoditur. Quæ ſuperſunt reliquiæ apud Coruoliēſe templum auro gemmiſque adornatæ, perpetua veneratione aſſeruantur, vnà cum

diui Lupi Baiocaſsini præſulis ſacris pignoribus.

Pontificalem ſedem aulicamque ſtructurã Reginobertus magnificè ædificauit & auxit,& cum his ædiculas complures:protomartyri Stephano vnam,cæleſtis militiæ protomiliti Michaeli alteram, religioſe dicatas: præter alias, quas hic enumerare ſuperuacuum foret. Nam de Campodomenſi per eum erecta ſtructura nonnulla attigimus. Quanti apud ſuos municipes, diui huius Reginoberti patrocinium æſtimetur,teſtatur Gaguinus in Carolo ſeptimo. Viſitur quatuor templorum ſtructura apud montem Chriſmatum à diuo Vigore præſule eò loci compaginata, Panagion vnum, ſeu omnium ſanctorum, nunc diui Floccelli:venerandæ Crucis alterum: tertium diuo Reuerentio:quartum Mariæ Ægyptiacæ nomini ac numini addictum.

Illic cernitur campus Floridus diui Gereboldi interuentu in media hyeme virore illuſtratus.

Cernitur & Gerebaldina petra,cui innixus quieuit,vulgo Le Perron ſainct Gerbold.

Etiamnũ viſitur via proſperi aduẽtus quã vocãt,la rue de biẽvenu. Protulit ea ciuitas præter eos quos enumerauimus, viros beatorum addictos conſortio, multaque ſanctitate illuſtres. In iis fuere diuus Marculphus, præter morum excellentiam,ac bonarũ diſciplinarum copiam, generiſque nobilitatẽ, heroica virtute præditus.ſtatura quidem puſillus, verùm maior in exiguo regnabat corpore virtus. qui à Francorum rege Childeberto aream obtinuit in Conſtãtino agro ad ædificandum illic monaſterium, Nantuum vulgus vocat. Præſidebat per id tempus Conſtantinæ eccleſiæ diuus poſſeſſor. Fuit & alius tempore beati Vigoris, mirum ſui deſiderium poſteritati relinquẽs diuus Ebrulphus,nobilis aulicus:qui regia tandem relicta,theoreticam ſolitudinem miro deſiderio excoluit in ſylua quam Vticum vocant, in Oximienſi agro non procul à lacuna ex lympidiſsimis fontibus conſtituta:ſub annum Childeberti regis. 12.

Fuere præterea ſanctitatis opinione præclari diuus Gaufredus Baiocaſsinæ originis, apud Ceraſeium monachus, abbas dein Sauigniacus in Arboretano tractu: cuius monumentum extat, arx mœnibus ciuitatis adhærens: quæ illi fuit domus natalitia. arcem appellant diui Gaufredi.

Fuit & diuus Spaſius, ex ſubmœniis eiuſdem ciuitatis originem trahens, martyris opinione clarus:cuius memoria celebratur quarto idus Nouembris,gallicè ſainct Eſpes.Extat eius monumentum apud Andeleium Sequanicum.

Templi maioris ſtructuram magnificentiſsimè adauxit Odo Baiocaſsinus præſul, frater Gulielmi nothi ex matre Herloini ciuis Faleſiani coniuge:ſeu rectius Promontoriani.

Erexit ille ad Borealem partem turrim miro artificio: quam & ipſe honeſtauit conditorio auro gemmiſque locupletato, reconditis in eo reliquiis diuorum Rauenni & Raſiphi, (vulgus appellat ſainct Rauend. Plurimas inſuper ædiculas extruens precioſa ſupellectile dotatas locupletauit.

Cuius exemplo prouocatus Gulielmus nothus, Odonis frater, Gaureiani agri prouentum ſodalitio Baiocaſsino perpetuò addixit.

Eiuſque veſtigiis adhærens Richardus Sanſonis filius,Odonis per interualla ſucceſſor, Dobræ baroniam, quæ ad eum iure hæreditario peruenerat, Epiſcopali menſæ addixit: vti & Ricardus ſucceſſor ligneum phanum Baiocaſsinæ eccleſiæ contulit.

Exemplo haud longè diſsimili Philippus Haricurianus, ex arido ſterilique Salobriæ agro, Bernardinæ familiæ ex profeſſo monachos, in vallem Richerianã tranſtulit, Clareuallenſi Bernardo in viuis tum agente. Qui & ipſe incendio deſolatam eccleſiam ſuam, peneque dirutam, grauiſsimis inſtaurauit impenſis: Beccenſemque bibliothecam centum & quadraginta voluminibus adauxit, bona ſpe ductus quòd breui eò loci monachiſmum profiteretur. Et de his quæ ad tem pli huius monumentum pertinent, hactenus dictum ſit.

Et (vt ne etiam illud prætercam) mediam perluit ciuitatem Aura fluuius, gallicè Aure, nõ procul à Caluo ſeu Cauo monte ſcaturiens, gallicè Caulmont. Qui cum Dromeo riuo Vaucellas irrigante, non admodum procul à Baiocis congreditur ad mõtis Caluini radicem, gallicè Caluin. Cui ſupereminet Therměſe caſtrum (de Therme) apud Domunculatum parœchiam, vulgo Maiſons. Illic vno gurgite abſorbentur ambo riuuli ad foſſam quam vocant Du Soulci. ſubterraneo itaque meatu in mare ſeſe effundunt.

Sunt & alii riuuli duo: qui ad pontem Filicularũ confluentes, gallicè Foulgerolles, prodeũtes autem à montibus Anchoræ (Lanchre) Soulleum fluuium (Soulle) conſtituunt: dein vero in mare ſeſe præcipitant apud Courcellas (niſi malis dicere Curticulas) alueo ad miliaria ſexdecim prorogato.

Eſt & Argougiarum caſtrum, egregio olim domini ſui facinore nobilitatum. Is enim cum à Bruno quodam gigante genere Daco, ad ſingulare certamen prouocaretur (non enim ſupererat in toto exercitu, qui ſuo ſe periculo illi auderet opponere) moræ impatiens prouocantem Brunum iuſto marte inuadetem aggreditur, transfixo lancea ſub primum congreſſum inuaſoris iugulo. Incurrit nihilominus miles ille Argougianus ſui principis iram ob cædem perpetratã: adeò vt illi neceſſe fuerit vertere ſolum, inque longinquam abire regionem, nempe in Apuliam. Eò autem loci aduerſus fidei catholicæ hoſtes depugnans, egregiis militiæ facinoribus, ſui ſuorumque memoriam poſteris commendatã reliquit. Adeò verum eſt quod aiunt:

Plurima cum quodam veniunt incommoda cenſu.

Id quoque ad rem noſtrã pertinet: Baiocas ſtatim ab occupato Rothonio (ita enim Gemeticenſis Rothomagum appellat) ad manus deueniſſe Rollonis: vt quæ nullo fultæ forent militari ſatellitio. Habuit tamẽ in deliciis generoſam Rollo puellam Popam nomine, Berengario illuſtri parente genitam, ſuoque lateri Danico more coniunctam. Ex qua genitus eſt Gulielmus Rollonis hæres, vnà cum eius ſorore nomine Gerlog. Hanc verò Popam (ſi Gemeticenſi creditur) aliquando repudiatam poſtmodum reſumpſit. Ea autem Gerlog, authore Gemeticenſi, Gulielmo Pictauenſi comiti ſummis votis expetita, connubio iuncta eſt. Cuius poſt aliquot annos opera, pioque ad religionem affectu, miſsi ſunt ex diui Cypriani apud Pictauos cœnobio monachi duodecim vita ac monaſtica diſciplina probatiſsimi, vnà cum cœnobiarcha Martino ad Gemeticũ à cultoribus ad annos antea triginta deſertum, priſtinæ culturæ reſtituendum.

Interim vero dux Neuſtriæ Gulielmus, longo iam tempore alta mente conceptum animi deſiderium de vita monaſtica ineunda, implere cupiebat: idque feciſſet, niſi quòd ſuorum precibus victus, ſucceſſorem Richardum immaturæ ad id onus ſubeũdum ætatis perſpicuè intellexiſſet: quem interim ex Fiſci campo (Fiſcanum vocant) eductum, Baiocáſque tranſlatum, Rothoni ſuæ militiæ principi tra-

didit educandum, Danicaque erudiendum lingua. Inde perpetuo vſu mos inualuit vt Rothomagus principis regia & diceretur & eſſet: Baiocaſsina vero ciuitas educando ducis primogenito addicta cenſeretur tantiſper dum ſub tutoribus ageret. Ditauit nihilomin⁹ ex Rollone Robertus appellatus, ſtatim à ſuſcepto baptiſmate ciuitatem hanc Baiocenſem, multiſque muneribus locupletauit, vnà cum Rothomagenſi, Ebroicenſi, diuique Michaelis templis. Inque Rothomagenſi ſuburbano, diuo Audoëno munera multa deuouit: diuo etiā Dionyſio, Brenni vallis fundum (Brenual) magnificentiſsimè conceſsit. Nec impari beneficio, diuorum Petri & Achardi ædem inſtruxit & auxit. Qui autem ex Gerlog Rollonis Popæque filia prodierint proceres, enumerare, non eſt huius ocij. Deſignanda potius nobis eſt chorographico veluti lineamento Belocaſsium ora maritima, ea inquam quæ eſt ab Eſtrehamo (gal. Eſtreham) aduſque agri Conſtantinienſis limitem. Eſt præter eam cuius meminimus Iurandiæ plagam, maritimus locus, quem vaſtum amplúmve Campum appellāt, fœlicis piſcaturæ prouentu memorabilis, vulgo le grand Camp.

Eſt præterea in agri Baiocēſis penè meditullio cœnobium Norobertinæ familiæ, nempe Præmonſtratenſis (Ardennam vocant.) Diuus ſiquidem Norobertus ſanctitatis opinione clariſsimus, varias toto illo orbe agrorum culturas ad conſtruenda cœnobia vndecunque receperat (cirarias vocant.) Hæc igitur Ciraria Ardēnæ vna eſt ex eis quę ad Noroberti familiam peruenit. Neque id omiſerim, Baiocas ea tempeſtate qua Henricus nothi filius nouiſsimus aduerſus primogenitum fratrem obtinuit principatum, ab ipſo Henrico miſerè fuiſſe diſcerptas ac penè deſolatas, paulò antequā Robertus apud Tinchebreium viuus proditione quorundā in poteſtatem Gulielmi veniret. Huc pertinet Torineium oppidum in confinio comitatuū Baiocenſis & Conſtantinienſis poſituram habens: diſtans à flumine Viria, qui prædictos comitatus dirimit, millibus ferme duobus. Porrò tāti Baiocas æſtimauit Gulielmus nothus, vt cū Hentico filio poſtremo Conſtantinienſem Baiocenſemque agrum vtendum fruendúmque conceſſerit, ciuitatem tamen Baiocaſsinam ab eius ditione exemerit: authore Gemeticenſi. Locorum ſeries expoſcebat, vt poſt Saiios & Belocaſſinos ſeu Baiocenſes Arboretanorum chotographia proximè ſequeretur. Verùm hac in parte lectorē ad ea quę in hierarchiæ Neuſtricæ deſcriptione ampliſsimè repoſuimus, relegandum cenſemus. Proinde ſequens eſt, vt de Conſtantinienſis agri genio ac fœtura hoc loco diſſeratur.

DE CONSTANTINIENSI POSITVRA *libri huius ſecundi perioche quinta.*

NVnc ſuis caſtris, fluminibus & oppidis minutatim nobis diſſecandus eſt Conſtantinus ager. Illud autem primùm ſubit excutere, qua ratione tractus ille, Conſtantiæ nomen acceperit. Ea enim res feſellit Polydorum Vrbinatem hiſtoriæ ſuæ Anglicæ libro decimo. verba eius ſic habent: Regi reuerſo ſubitò nunciatur Conſtātiam vetuſtam vrbem (hæc olim Auguſta dicta eſt: quam deinde Conſtantius Cæſar ita ex ſuo nomine appellauit) à Francis obſideri. Id autem quàm longè abſit à vero, vel ex hoc vno conſtat abunde, quòd Ammianus Marcellinus docet tractum illum tempore Iulii Cæſatis paſsim appellatum fuiſſe Conſtantia ca-

ſtra: Matrona & Sequana amnes(inquit)magnitudinis geminæ fluentes per Lugdunenſem poſt circumclauſum ambitu circulari Pariſiorũ caſtellum, Luteriam nomine, conſociatim meant, meanteſque protinus prope Conſtantia caſtra funduntur in mare.

Id autem propius ad rem facit, quòd ex Iuliano ſignorum fidei deſertore impio, emiſit in lucem: quẽ Grecè loquentem ita Latinè reddidit beatus Rhenanus.

Amnis (de Sequana loquens) rarò decreſcit, ſed plerunque qualis æſtate cõſpicitur, talis etiã hyeme perdurat, aquã amœniſsimã & lympidiſsimã vel aſpicere vel potare volẽti præbẽs. Nã illos, vt qui inſulã incolant, hinc præſertim aquã haurire oportet. Fit autem illic mitior hyems, ſiue ob calorem Oceani. nongẽtis enim ſtadiis abeſt nec amplius &c. Hæc ille.

Iam ſi ex ſtadiis milliaria, ex milliaribus leucas collegeris, conficies leucarum numerum exactum. Rectè autem admonuit Marcellinus, Sequanam prope Conſtantia caſtra mari abſorberi. Abeſt enim à Lutetia Conſtantienſis ager, ab oſtio Sequanæ penitiſsimo leucis plus minus quatuordecim.

Dictus ergo eſt Conſtantienſis ager, Conſtantia caſtra, multis & diebus & annis ante Conſtantium imperatorem. Eò enim loci cõſtiterat militia Iulii Cæſaris, vt breui maris traiectu promptior ac tutior foret ad Britanniam(quæ nunc Anglia eſt) inuadendam ſubigendámque acceſſus. Nunc verò plaga illa Conſtantinum vocatur, (vulgo le pays de Conſtentin) ídque à Iulio Cæſare. Cuius rei fidem facit Cæſarisburgum (gal. Cherbourg.) Hæc autem eſt Conſtantia maritima, ad eius differentiam quæ ad Rhenum ſita eſt, ea inquam Conſtantia, quæ eſt in Belgis, nempe Ciſrhenana Gallia, lacum inter Venetum poſita & Acronium: Podamicum ſcilicet & Cellacẽſem, olim Gaunodurum dicta Ptolemæo: prius autem Vitodura. Hæc, authore Munſtero, à Conſtantio Conſtantini patre, aut (vt alii volunt) Conſtantini magni filio ita eſt appellata: idque ſub annum domini 307. aliàs 340. Rectè itaque Vrbinas ſenſiſſet, ſi huiuſmodi nomenclaturam huic Conſtantiæ Ciſrhenanæ addidiſſet. Falſus autẽ in ea re eſt, quòd Conſtantiam maritimam pro Ciſrhenana acceperit. Fuit autem(vt illud obiter dicam) hierarchico ambitu ampliſsima: cuius amplitudinis fœlicitate in hanc vſq; diem fruitur. Continet enim, aſſertore Mũſtero, parochias mille octingentas: cœnobia quadraginta. Fuit etiam ampliſsimæ ſynodi Conſtantienſis celebratione ſolennis: cui præter pontificem ſummum, & Sigiſmundum imperatorem, adfuere purpurati 29. patriarchę 4. archipræſules 47. epiſcopi vero 160. Et de Belgica illa Conſtantia hactenus. Nunc ad rem. Clauditur ager iſte noſter Conſtãtienſis à Boreali plaga mari Oceano: ab Auſtro vero, Saiiorũ limite: ab ortu quadantenus vadis Sanclemẽtinis, Torigneio oppido, ac Viria flumine: ad ortum partim mari, partim vero Arboricenſium limitibus, Abrincates vocant.

Cæterùm tantum abeſt vt ſuo Conſtantia ipſa nomini reſpõderit: vt non ſemel in Conſtantinienſibus deſiderata ſit ſinceræ fidelitatis conſtantia. Nam pręterquam quòd Nigellus Conſtantinienſium comes, & phani ſaluatoris dominus, vnà cum coniuratis in caput domini ſui Gulielmi nothi coniurauit (Cuius tamen nõ ita multò pòſt ductu & auſpiciis Francorum regis Hẽrici, coniuratorum exercitus fuſus fugatúſque eſt) alio etiam tempore, cum Ludouici vndecimi ęmulus Carolus frater Germanus, quorundam procerũ, nempe Britannię

ducis, Armeniaci ac Burgundi lenocinio allectus, Normaniæ ducatũ immodicóſque eius prouentus nõ tam precario quàm vi penè aperta ſibi vendicare vellet, id vetante principe reliquis in fide remanentibus, rebelli Carolo via per poſticũ epiſcopalis domus clàm aperta ſit: quare indignatus rex ciuibus, edicto cauit in pœnã admiſsi criminis, quatenus funditus euerterentur ciuitatis mœnia: quæ à centum propè annis euulſa ac diruta, nullo aut precii aut precum interuentu in hunc vſque diẽ reſtitui potuerunt. Poterant forſan aliqua ratione ſuã ciues cauſam tueri, quòd ſcilicet ei ex animo afficerentur, quem pro gneſio duce hactenus habuiſſent. Vicit tamen ſeueritas principis: à cuius nutu ac renutu cætera pendent.

Iam vero (vt cæterea perſequamur) oram maritimam legenti ab ortu ad occaſum nullum intra hos limites propius occurrit oppidum Quarentano (Æmylius Carentum vocat, vulgus Quarẽran) Quod quidem mari adiacens, Septum Conſtantinienſe inchoat, (vulgus appellat Le cloſet de Conſtentin) vberrimis paſcuis abundans: idque tanta fœlicitate, vt ſi quis ad veſperam bacillum illuc proiiciat, diluculo conſurgẽs, herbido toro contectum vix intueri queat. Aiunt loci incolæ patere in longum ad miliaria plus minus quatuordecim, aut (vt minimum ſequamur) decẽ. Vocetur itaque Decumana planities paſcualis vberrima. Illic lacum eſſe ferunt mira fœcunditate piſculentum: adeò vt hinc nonnunquam accolæ hauriant anguillaru generis redundantes modios plus minus octodecim retis iactu continuo: Peneſmium vocant, gal. Peneſme, præſertim cum ad Pontẽ Doueium perueneris, (gal. Le pont Douue) latiſsimè ſtagnantibus aquis omni ex parte ambitum.

Clauduntur autem huiuſmodi ſepto paſcuali hæc magna ex parte oppida: Quarentanum, Valloniæ, ſeu (quod idem eſt) Guallonia, gal. Vallongnes. V geminato ſonante pro G. Guallongnes: vti apud Anglos pro Vvallenſibus Guallenſes intelliguntur: & in Neuſtriis Vvallemontenſes Guallomontani dicendi veniunt.

Clauduntur & hoc ipſo ambitu, phanum diui Laudi, Conſtantiẽſis olim præſulis: cuius chronographia ad viuum excutitur in Arboretanorum præſulum catalogo. Quod quidem phanum, memorabile poſteritati reddidit Regino Prumienſis, qui ſub annum 139. meminit cædis Normanica rabie eò loci inflictæ epiſcopo qui tum præerat, Conſtantienſi Algerũdo nomine, vti ex annorũ nota coniici poteſt. Sic autem ille habet ad verbum: Per id tempus Normani à Matrona fluuio exeũtes Pariſius reuertũtur. Et quia omnimodus deſcenſus fluminis per pontẽ ꝓhibebatur, tertio caſtra locant, & iterato certamine prædictam vrbem impugnant. Sed ciuibus (continuis enim operũ ac vigiliarum laboribus indurauerant, & aſsiduis bellorum conflictibus exercitati erant) audaciter reluctantibus, Normani deſperatis rebus, naues per terram cum magno ſudore trahunt, & ſic alueum repetentes, in Britanniæ finibus claſſem traiiciunt. Quoddã caſtellum in Conſtantiniẽſi territorio, quod ad ſanctum Loth dicebatur, obſidẽt: & acceſſum ad fontem aquæ ex toto prohibentes, oppidanis ſiti areſcentibus fit deditio, eo pacto, vt vita tantum cõceſſa, cætera tollerẽt. Illis è munitione progreſsis, gẽs perfida fidem & promiſſa data prophanat, omnéſque abſq; reſpectu iugulat, inter quos epiſcopum Conſtantienſis eccleſiæ interimunt. Eò vero loci nunc magiſtratuum ſedes recẽns conſtituta eſt, vnà cum extrema cenſura iudicandi facultate, intra tamen ſummam à principe limitatam, ita vt vltrà progredi

minimè liceat.Cæterũ caput huius clauſtri Conſtantinienſis eſt Conſtantia ciuitas,nullis (vt nuper dictum eſt)concluſa mœnibus. Habet in templi ſui meditullio meritò ſuſpiciendum ſpectaculũ mira architectura contextum:è cuius abſide ſi quis lapillum deiecerit,nunquã à puncto deſignato vltra citrave dimouebitur, inſtar laternæ vitreæ in ſublime erectum:vitream arcem meritò dixeris, opus ſanè venuſtum & elegans. Vrbem præterea inſigniter ornat aquæductus ad miliaris ſemiſſem:ingenti impẽſa & opera arcuatim ſuppoſitis fornicibus longo ductu protenſus:cuius artificij ope ciuitas abunde alluitur & rigatur. Deniq; ſi mœnibus concluſa foret, quis vetet ciuitatem illã Conſtantinopolim Neuſtriæ maritimæ appellari? Habet(vt cætera perſequamur)ſub ſua hierarchica ditione,Theopolim gal. Villedieu, municipium in fabricãdis æneis vaſis fabrili arte omni ex parte addictum, caldarios artifices vocant. Vbi & olim rex Richardus Anglus tertius huius nominis,ſacræ Rhodienſis militiæ commendatarium militem, multis dotatum prouentibus religioſè inſtituit. Non procul inde diſtat Haga quam vocant Paganelli,gal. La haye Paiſnel. Haga autem (vt illud obiter dicam) Germanica lingua circus ſudibus præacutis vallatus, ſepésve aut ſeptum dicitur, quo vice muri vtentes veteres, contenti erãt humiles ſuas ambire caſas. Hagarum frequens vſus eſt in Hungaria:quas quernis, faginis abiegniſve ſudibus ex vſu munire ſolent. Erat autem Paganellus,cum ſub Angli ſignis militaret, militię nomine illuſtris.

Eſt & ſecundum littus maris portus non prorſus contemnendus Macropolis,Grandem villam vulgus appellat, (gal. Grandville) quãuis nonnulli eam eſſe exiſtiment, quæ vulgo appellatur Morneuille. Verum nihil obſtat vtrique nomen eſſe commune.

Eſt nihilominus nõ procul ab Haga quam diximus Paganelli,Vaſtinium quoddam ſeu Landa quam dicunt Herouldi (gal. la Lande Herould.) Sigibertus tamen Aronam vocat, luxatis quibuſdam literis. Fuit huiuſmodi area(Sigiberto authore)hoc memorabilis euentu, quòd ſub annum domini 1158. ſabbato intra octauas paſchæ in Conſtantienſi villa quæ vocatur Landa Aronis, circa meridiem quaſi de terra emergens turbo maximus, quæque proxima inuoluit & rapuit. ad vltimum quaſi quædam columna rubei & cærulei coloris ſub turbine aſcendens, in ſublime ſtetit:& videbantur & audiebantur quaſi ſagittæ & lanceæ in ipſa columna defigi: licet non appareret intuentibus quis eam agitaret:& in turbine qui ſtabat ſuper columnam, apparebant quaſi diuerſę ſpecies volucrum in eodem volitantium. Subſequuta eſt illico in eadem villa mortalitas hominum, inter quos & dominus villæ occubuit. Nec ſolum in illa villa,ſed etiam in multis locis Normaniæ & finitimarum regionum mortalitas hoc anno graſſata eſt.

Parum autem diſsimile eſt quòd in Sueſsionico ſolo idẽ accidiſſe narrat:cum ſcilicet gelu tellus obduruiſſet, ceſpitem longum & præaltum è ſuo euulſum loco,in remotam diſtantiam fumoſa turbinis caligine fuiſſe proiectum.

Nunc perluſtranda venit ora illa maritima, quæ arcuatim in mare prominens,à Carentano ad Macropolim protenſa, caſtris ſcatet, & non prorſus obſcuri nominis oppidis. Primumque occurrit peninſula Ogigiarũ (vulgo la Hogue) inculta illa quidem,niſi quòd per eam in continentem agrum mercium è mari illic receptarum copia non contemnenda aduehitur. diceres (ſi magnis componere parua lice-

ret) illam eſſe bimarem Corinthum. Dextrum certè latus, aliud piſcaturæ genus profert q̃ ſiniſtrũ. id efficiunt diuerſa pelagi æſtuaria.

Ponè ſequitur ab ortu in occaſum Montanoburgum cœnobium (gal. Montebourg) familiæ Benedictinæ, à Rogerio ſanctę crucis monacho extructum. Qui & ipſe primus cœnobiarcha præfuit: cuius nomen eo euaſit illuſtrius, quòd Vvimũdus præſul Auerſanus de veritate ſacroſanctæ euchariſtiæ editum à ſe volumẽ, illius nomini dicauit. Inchoauit huiuſcemodi cœnobium Henricus Anglorum rex, & Radulphi Renieri cuſtodiæ fideique commiſit: qui, cura illius recepta locum illum ampliauit & auxit.

Eſt inſuper Vvallonias inter & Ogigias pons Doueus, Gal. pont Douue (per e zere, non item ſegol pronuntiãdum) caſtris veluti propugnaculis quibuſdam affatim munitus. qui quas ex ſubiecto alueo aquas euomuit, hyberno præſertim tempore, ingruente maris æſtu ſorbet, iterumque reſorbet: lacunamque efficit, non niſi hippaginè pontoneve ſeu ratiario nauigio tranſuadabilem (chareriam vocant, ſeu carrùcarum vehiculum, aliàs vng bac, hoc eſt ratem tranſuehendis equis equitibuſve accommodam.)

Sunt autem Ogigiæ non procul à vado ſancti Vedaſti diſtantes, quin potius attiguæ: id quod ex nomine conſtat (Gal. La Hogue ſainct Vaſt)

Borealior inde ſuccedit Barræfluctus, vulgo Barfleut) quem ab eſtu maris refluentis, ita appellatum fuiſſe credere par eſt. Siquidem acutiem ebullientis maris barram dicere ſolemus (la barre de la mer) vti & aduentantis auroræ ſplendorem appellamus la barre du iour. Illic viſitur cœnobium Auguſtinianæ familiæ, quæ & eremitica dicitur, vbi fratres mendicato viuunt.

Iam inde ſequitur Cæſarisburgum, Gal. Cherbourg, caſtrum fuſis fugatiſque è tota Gallia Anglis, à Carolo ſeptimo nouiſſimè receptum. Et eo quidem loco ſitum eſt Malgerii præſulis dum viueret, Rothomagenſis, ſed poſtmodũ relegati, & ſua ipſius culpa exauthorati obſcuræ necis monumentum, qui aquis obrutus dum ſuperſtitioſius ſua fata rimatur, incidit in turpem poſt lõga piacula mortẽ. Exilium etenim apud Guarnezeium inſulam multo ſuſtulit tempore: vbi deliteſcens Gillia cõcubina vice vxoris, neglectis ſacerdotii legibus, vſus eſt: ex qua liberos parum liberaliter procreauit. Fuit Michael Bellocaſsin⁹ hoc ſaltẽ illuſtris euẽtu, quòd Bohemũdo in Apulia comes adſtiterit non ſine rerũ à ſe præclarè geſtarũ memoria perpetua. Eò autem loci Conſtantiarum præſul Algarus, religionis nomine ſua ętate clariſsimus, introduxit Auguſtiniani inſtituti canonicã vitã profeſſos Chriſti miniſtros: quos in hunc vſque diem in ſuo canonico ſodalitio orationi & contemplationi perſeuerare bona ſpe ducimur. Idémq; ipſe Algarus eiuſdem profeſsionis ſodalitium apud phanum Laudi inſtituit, eiuſdémque inſtituti cœnobium apud Rothomagum.

Non procul inde ſeſe offert magna ex parte arenoſus ager, quam hagam vocant, ea (vt credere par eſt) ratione, quòd quemadmodum (vti ſupra diximus) Haga dici ſolet, quæ vallo ſudibúſve vndecunque concluditur: ita & locus ille marinis fluctibus magna ex parte circundatur. Eſt igitur Haga nòn tam terreſtris quàm marina, nec tam anguſta, vt non ſuo complexu recipiat ſaltem decem & octo templorum decurias. Vnde & præfectum habet archidecurionem (quem decanum vocant) Haguenſem.

Porrò non parum inter ſe differunt Haga hæc, & Ogigiæ: hoc eſt

la Hague & la Hogue. illa continens eſt, mari tamen adiacens : hæc vero peninſula.tecti iſta expers eſt : illa non paucis templis oppidiſq; fulta,inque totius maritimi littoris vertice cõſtituta.Inde progenitos vocant Haguenſes,vulgo les Haguoys.

Iam quod deinde ſequitur occaſum verſus Pollebachium oppidũ, diuertens ab Arctico polo inclinat in Auſtrum. Eſt autem Pollebachium, littorale quoddam oppidum,ſinuoſum, quadãtenus nauigiorum receptaculum,intra tamen iuſtam veri portus aut naualis emporii quantitatem,duobus ferme miliaribus ab Haga diſſitum, & a Macropoli leucis 14.decem vero nec amplius à Cæſariſburgo.

Sunt & alia adiacentia ſeu caſtra ſeu oppida,qualia ſunt Brehierii vallis (vulgo Breual) Bricquebeccum caſtrum, ſyluatico armento nõ modicè locupletatum.

Eſt præterea Hambia,iunctum cœnobio caſtrum,vulgus appellat le chaſteau de Hambie : quod vnà cum Bricquebecco dominus Deſtoteuillus in ſuo ęre habet,priſcum,aut non admodum recens Paganellorũ domicilium:qui quanti ſua ętate nominis fuerint,non obſcurè teſtatur Polydorus in ſua Anglia libro 16.

Creſcebat(inquit)in dies exercitus,ad famã nominis Anglici Normanis vndique confluentibus:inter quos duo fuere Paganelli, Fulco & Gulielmus fratres,heroes non minimi vſus cum quadraginta viris bello egregiis. Floruere, quod ſatis conſtat ex Sigiberto, ad annum domini.1171. Giſlebertus Abrincenſis,à quo nomen(vt creditur)ponti Giſlebertino inditum, vulgo Le pont Giſlebert, & Fulco Paganellus,viri fama illuſtres.

Succeſſit autem Paganellus Giſleberto fluctibus in mediis naufragium paſſo, vnà cum Henrici liberis nulla prole relicta. Cuius ſororem primogenitam acceperat vxorem Arboricenſis domini hæredẽ. Superſunt in eccleſia Abrincẽſi, Paganelli vetuſta inſignia (ſi vera eſt fama quorundam)galli inquam gallinacei atrati coloris.

Prodiit ſubinde Ioanna Paganella,Ludouico Deſtoteuillo deſpõſata. Et eam ob cauſam ceſſit caſtrum ſuæ vſibus poſteritatis.

Viſitur hodie in Hambienſi cœnobio,vtriuſque,Ludouici inquam & Ioannæ vetus monumentum, etiamſi aliis quibuſdam in locis ſui memoriam reliquerit illuſtris illa familia : vtpote in Chaletenſi templo,apud Validum montem,gal. Valemont, aut certè rectius Valdemont,quaſi dicas Validemont. Nam & hoc ipſum cœnobium vnus ex Atauis à fundamentis erexerat, multiſque auxerat opibus, Nicolaus Deſtoteuillus:extructum,anno reuoluto inaugurandum curauit ope & opera fratris ſui Roberti Deſtoteuilli Rothomagenſis archipræſulis. Et hinc magna pars eorum eò loci ſibi delegit ſepulturam: niſi quòd Aliza ſeu Elizabetha,vnà cum Bertrando cõiuge apud Bellomontem in Augia cœnobium à Deſtoteuillis fundatum & auctum, locum ſibi ſepulturæ delegit. Sed id parergon.

Nolim ſilentio præterire ferarum viuaria, ſaltuoſaque nemora, in queis mira fœcunditate paſcũtur ac fœtificant genus omne ferarum ſyluatica animantia,apri videlicet, cerui, damæ, lepuſculi, auitiique generis hieraces,accipitres,falcones, aquilæ,ardeæ, cæteraque id genus prædatricis naturæ volatilia:quibus abundant Bricquebeccianus Hambienſiſque agri,Curuæque(quam vocant)foſſæ nemora.

Vt autem inſtitutũ repetamus iter,habet ora Conſtantinienſis maritima,variarum inſularum receſſus:qui omnes in rebus ſacris hierophãtam agnoſcunt ſibi deſignatũ archidecurionem (decanũ vocant) niſi

niſi quòd paucis antè diebus inſulares illi Anglicano ſchiſmate irretiti,ſiniſtreque plus ſatis imbuti,à recta aliquãtiſper diuerterũt. Nunc autem ſpes eſt quòd breui in viam à qua exorbitarunt, ſint reuerſuri. Inſularũ hæc ſunt nomina. Gerzeium,(Gal.Gerzay) templo minoritanæ familiæ non multis antea annis addictum & conſecratum:nuperrimè autem à ſacrilegis & ſchiſmaticis quibuſdam prędonibus per ſummam impietatem dirutum atque euerſum.

Eſt & Grenezeium,vulgo Grenezay. Quibus aliæ præterea adiacent inſulæ,nempe Sercum & Herinum (hodie vocãt L'iſle du Sere) Vbi his diebus nouiſſimis aduerſus piratarũ prædonumque inſultus militare præſidium inſtitutum eſt. Quarum inſularũ primitias & decimas percipiendi ius Arboretanum præſulem olim habuiſſe,liquido diplomarum teſtimonio apertiſſimè conſtat.

Secundũ hæc occurrit Sanſeuerianũ cœnobium,(vulgo Sainct Seuer)Hugonis vicecomitis dum viueret Arboretani impenſis erectum & locupletatũ:qui poſtea Seſtrenſi in Anglia vicecomitatu donatus eſt:vnde & poſtea Arboricæ ipſæ in regiæ ditionis vſum ceſſerunt.

Eſt & aliud Benedictinæ profeſsionis clauſtrũ Exaqueẽſe, gal. Leſſay,ſemper & ſuper omnia benedictæ trinitati perpetuò dicatum, ab Eudone capellario (aliàs cum capello) fundatum ac prouectum.

Vt ne etiã omittã Nigelli vicecomitis Conſtantiniẽſis opus,Chriſti ſeruatoris nomini deuotum(vulgus appellat ſainct Saulucur le Vicõte)quæ nota eſt diſcriminis ab eo & phano & oppido quod appellant Leudelinũ (Sainct Sauleuur Leudelin)quidã vocãt Liuelin. Oppidum inquam ſelecto tribunali ad cauſas forẽſes agendas dotatum. Paret enim Aurelianenſi duci:cuius auſpiciis ſingulare obtinet tribunal,vbi circuniacentibus municipiis ius priuatim dicitur, nempe ex priuilegio duci Aurelianenſi quæſito. Quod autem ad inſulare negocium (cuius nuper meminimus)attinet:non abs re fuerit Sigisberti enarrationẽ ſubnectere de anno domini 1185.quæ ſic habet ad verbũ:

Dominus VValterus Rothomagen. archiepiſcopus impetrauit à domino Henrico rege Anglorum, vt abbatia ſancti Eleſii quæ eſt in inſula Griſoſii (aliàs Gerzeii)quam Gulielmus filius Hanni fecerat in eadẽ inſula conſilio & auxilio domini regis iũgeretur abbatię de Voto,quæ eſt iuxta Cęſarisburgum,quam imperatrix mater Henrici regis ædificauerat. Erat autem tripliter ditior tam in Normania quàm in Anglia,q̃ abbatia de Voto.Erat autem vtraque de ordine canonicorũ regulariũ. Facta eſt itaq; abbatia de Voto mater & caput, habẽs & perẽniter poſsidens abbatiam de inſula, & omnia ſibi pertinentia. Prædictus vero archiepiſcopus Rothomagenſis fecit in eadem abbatia abbatem ſuum capellanum, qui erat canonicus eiuſdem ordinis. Quidam enim conſtabularius domini regis Henrici Hosbernus de Hoia nomine,qui caſtrũ Cæſarisburgi cum patria quæ ad illũ pertinet,cuſtodiebat iuſſu domini regis Henrici, ædificauit in eadẽ abbatia de Voto domũ pulcherrimã,officinas idoneas in ſe continentem ad opus ſuum:in qua poſt adminiſtrationẽ domini regis, quandiu vixit,ſatis honeſtè conuerſatus eſt. Ipſe vero ante octo dies mortis ſuæ factus canonicus,permiſsione domini regis eidem abbatiæ dedit 32. marcas auri:dedit prædictæ abbatiæ centum libras Cænoman. ad augendas poſſeſsiones eiuſdẽ abbatiæ.dedit etiã eidem abbatiæ 60.marcas argenti in plata,& totidem in vaſis. Hęc ille. Vnde & id colligitur, diuæ virgini dicatum deuotúmq; cœnobiũ illud eſſe,quod Cæſarisburgi caſtro affine ac penè contiguũ eſt : vulgus appellat abbatiã

de Voto(Gal.labbaye du Veu) Cõſtãtinieſem: primũ per cœnobiarchas:deinde verò per archidecurias(quas decanatus vocãt.)Sunt autem cœnobiarchæ ad eum qui ſequitur numerũ deſignati: hi ſcilicet: Abbas Montisburgenſis,Montebourg. Exaquecenſis,De Leſſay. Phani Laudi,ſainct Lo. Chriſti ſeruatoris Vicecomitatenſis, ſainct Saulueur le Vicõte. Templi diuæ virgini votiui,aliàs de Voto,apud Cæſarisburgum. De Vaſtinio candido, aliàs Blancha Lãda:Blanche Lande. Cui adiacet pons Abbatianus: vulgo Põt Labbe. Cœnobium aliud Sanſeuerianum: ſainct Seuer. Clauſtrum inſuper Hambieſe. Sunt alia tenuioris gradus monaſteriola (prioratus vocant)& hi inferioris claſsis dicuntur archimãdritæ: cuiuſmodi eſt quod nuper recenſuim⁹,diui Elerii cœnobiolũ,gal. ſainct Elier. in inſula apud Chazeium prioratus: cuius memoria reſtat apud diuũ Michaelem in monte Tumba. Quæ loca penè iam ſunt deſolata. Sunt nihilominus prioratus alii. phanum videlicet diui Foromondi, aliàs Phoremondi, Pheremond.& de Bloteria alterum, Bloutiere vulgo ſic appellatũ in terra continẽti. Prioratus ſancti Georgii de Bohonne,gal. Bohon,in decanatu de Carentonio. Archidecuriones autem, (qui & decani appellantur)ad hunc qui ſequitur numerum ſe habent: Decanus (quem vocãt)Chriſtianitatis:qui ſcilicet in exẽptos parochos ſupremitatem quandã obtinet: cuiúſve nutu chriſma ſanctum cæteris diſtribuitur:qui & decanus vrbanus dicitur. Alius item Cerentianus,de Cerences. Apud diuum Paternum tertius de ſainct Poix. Eſt & Gaureianus, de Gauray. Senilleianus itẽ,de Senillé. Piroſus,aliàs de Piris,de Periers. Carentanus, de Catẽtan. Bapteſenſis,de Baulte.ab adiacente flumine nomen accepit.

Ad puteanã ſepem, la Haye du Puys. Chriſti ſeruatoris Vicecomitatenſis, ſainct Saulueur le Viconte. Barneuillanus. Phani ſancti Laudi. De Vlmeto,du Houlmet, rectius quàm de Hometo.

Vallisuiriæ Vau de Vire. Perſeianus.vulg.Perſei. Mombreianus. Vallonienſis, ſeu Guallonienſis, VVallongnes. Horglandrius. Horglandre. Planonius, le Plain.aliàs planities paſcualis vberrima. Podianus,le Cloſet de Conſtentin. Sarratenſis, à Sarra flumine.ſeu Serratenſis. Haguianus, de la Hague. De Hague & Hogue ſuprà iã dixim⁹.prior tamẽ dictio amplisſimè ſinuoſum nauale cõplectitur: cui adiacent phanũ diui Vedaſti, & Rideouillana decuria ſeu parochia,gal.Rideouille:ſub Guallonẽſi archidecurionatu.

Haga vero à Cæſarisburgo exordium ſumens, decanatum complet conſtantem ex plurimis parochiis ad numerum vſque vigeſimum & amplius, à Cæſarisburgo ad Vaſtamvillam & Heovillam ſecundum littus Oceani:Cæteris mediterraneis omiſsis.

Gerzeianus & Guernezeianus. Hos inſulares duos non agnoſcũt oues Anglicano ad præſens ſchiſmate ſeductæ: quorum oculos breui dominus aperiat,eóſque ad legitimum ouile deducat.

Hactenus de prophana, déq; hierarchica Conſtantieſi chorographia,pro rei de qua agitur opportunitate dictum ſit.

Sequuntur aliqua paralipomena.

Eſt non procul à Conſtantinienſi epiſcopio, paſtophorióve ferarum ſeptum,aliàs viuarium,vulgo appellatũ le Parc Leueſque, à quo nec multum diſtat Mottenſe Xenodochium, vulgo appellatum la Motte Leueſque. Huc analecticè adſuenda venit oppidorum quæ ad oram ſita ſunt maritimã,ſeries ordinata:& id quidẽ à vadulis Genetianis adufque Rothomagum: quorum nomina hæc ſunt:

Vadula,id eſt patua vada (Les Gueznetz) aliàs petitz Guez, corruptè Genetz.

Mox ſequitur Macropolis ſeu Grandiſvilla (Gal. Grandville. Lego autem hanc villam ab Anglis ædificatam regnante in Galliis Carolo 7.ſub annũ domini 144. Proxima huic Remeuilla : haud ſcio an Remigij villa. Cotiniauilla : ſeu, ſi mauis, Conſtantiniavilla (Cotinville) eliſis aliquot ſyllabis. Et hunc eſſe crediderim quem Conſtãtini pagum author apotheoſis diui Senerii vocat, ita inquiens:

Fuit in Conſtantini pago, vir ſanctus nomine Senerius. Alioquin dicturus erat, in quodam Conſtantini pago : niſi ſpeciatim locum illũ Conſtantini villæ nomine indicaſſet. Barneruvilla: Barneuille.

Cæſarisburgũ: ægrè expugnabile caſtrum, depulſis à Neuſtria Anglis, nouiſsimè receptum: (Cherbourg.) Barreflutum: (Barfleut.) Ogigiæ: (la Hogue) peninſula.

Vada gemina: quædam ſancti Vedaſti: alia vero Sanclemẽtina, puſilla inquã & magna. (Les grandz Vedz, & les petitz Vedz.) Vaſtus campus: ad præpinguem piſcaturã exercendam fœliciſsimus, le grãd Camp.) Portus Nigellanus : (Port de Nelle.) Berneriæ : ſeu Bernerienſe littus. (Bernieres.)

Campodomenſe æſtuarium, ſeu refluus gurges, ad Ornam fluuiũ, vt vecturæ commodus, ita & alluuione noxius, (Le Refleut de Can.) Iuæ fluminis oſtium ad phanũ Chriſti ſaluatoris : (ſainct ſaulueur ſur Iue.) Tocharum caſtrum, Touques. Honflutum, ſeu fluctus defluus è regione Arfluti ſitum, Harfleu, hoc eſt reflui fluct⁹. Caudebeccum, ſeu caput roſtrúmve Becci. Caudebec. Emporium maritimum. le Haure. Fici, aliàs Fiſci Campus Feſquam. Sanualericianum Phanum: ſainct Valeri, in Caletenſi agro. Bullę & Bullulæ: Bulles & Bullettez. Diepa, Diepe.

Arida Curia, Arcourt. Aridus idem fluctus, Arefleut. Nouiſſime vero Rothonium vetuſta appellatione, recentiori verò Rothomagus, Rouen, Neuſtriæ totius celeberrimum emporium: de quo ſupra ſatis dictum eſt. Diuus quoque Amandus Rothenſis alumnus dictus eſt : qui in ſuburbana cella luſtris annorum tribus abſtinentiſsimè vixit. Dictum autem Rothonium crediderim à ponte ſuper Sequanam extructo, coctilibus laterculis rubriſq; compaginato. Priſca autem lingua Rothouillam rubram de more appellare ſolebat, nempe rubro & coctilibus laterculis confectam. Suſpicionem hanc auget Marliani ſententia, Aulercos Rothonienſes fuiſſe indicãtis: quos tamen corruptè vocat Rotelois, dixiſſe debuit Rothonois, hoc eſt Rothonios. Non ſum neſcius ſuper nominis huius origine apud Chaſſaneum plurima diſſeruiſſe Baptiſtam Candelarium. Quæ quid fidei apud poſteritatem habitura ſint, aliorum ſit iudicium. Lege Chaſſaneũ ad calcem ſui operis. Ipſi ſuper hoc viderint. Ego verò mihi perſuadeo, quòd tutius ex ipſo fonte bibantur aquę, quàm ex lõge ac variè quæſitis quibuſdã ciſternatũ lacunis. Illud certè, (ne quis hæſitet) palam elicitur ex codice (quem tabularium vocant) eccleſiæ metropolitanæ Liturgi : qui paſsim ob eorum oculos verſatur. codex ſic habet: Rothonium Rodhonius vel Rothomagus metropolis eſt: ſub ſe habet ſex epiſcopales ciuitates : Primã ſcilicet Baiocarum: Secundam Abrincarum: Tertiam Eboricarum : Quartam Saiium: quæ dicitur Sagium: Quintam Lexouiarũ: Sextam Conſtantiarũ. Vnde & illud pro cõperto habetur, poſt ſedẽ metropolitanã in ꝓuĩcialibus

conciliis Baiocaſsinum præſulem fungi decani officio, concilioque p ræeſſe abſente antiſtite: Abrincatenſem vero ſubdecanum vitroque abſente in eorum locum ſuccedere, præcipuamque in concilio ſedem obtinere. Sed de hac re latius in Arboricis.

Eſt & aliud paralipomenon ſuper Phano diui Laudi, quod vt in Baromam erigeretur, ex conſenſu Baiocaſsini præſulis Conſtantinianus clerus Baiocaſsino permiſit in compenſationem eas quę mox ſequūtur decurias, ſeu parochias: Chriſtiferæ ſcilicet virginis montanæ, vulgò ſaincte Marie du mont, ad littus Oceani. Altare inſuper Viruille ripenſe. In mediterraneis autē phanum Matricis Eccleſiæ: vulgò ſaincte Mere Egliſe. Neouillam: Neuuille. Caput Pontanum (chefz du pont.) Id quoque adiecerim, intra limites planitiei paſcualis vulgo appellatæ le Cloſet de Conſtentin, pleráſque comprehendi ſacras decurias ſeu parochias: quarum nonnullæ ſunt maritimæ, aliæ verò mediterraneæ. Maritimarum Catalogus ſequitur:

Phanum diuorum Coſmæ & Damiani.
Angouillenſe item phanum. Viruilium, de quo ſupra.
Brucheuillium, Brucheuille.
Marianum montenſe: cuius ſuprà meminimus.
Andouillenſe, Andouille. Varcuillanum, Vareuille.
Diui Germani. Foucardi villa, Foucaruille.
Rauenoniavilla, Rauenonuille.
Diui Marcoulphi phanum. Fontanus pagus, Fonteney.
Quæ altaria clauduntur clauſtro paſcuali Conſtantinienſi, ad littus maris. Continuò ſequntur decuriæ geminæ.
Quinceuillenſis & Greneuillenſis Quinceuille, & Greneuille.
Sunt & aliæ mediterraneæ huiuſmodi ſepto Conſtantinienſi cōcluſę decuriæ: Hieuilla. Hoeuilla.
Lieuilla. Blouilla.
Querquebuana: crediderim olim fuiſſe Quercinum nemus, vulgo Querquebu. Pontanum caput: de quo ſuprà, chefz du pont.
Sebeuilla. Boteuilla.
Turqueuilla. Ecquoqueneouilla.
Beuſeuilla. Sacra mater Eccleſia. Neouilla: de quibus ſupra.
Frigida villa, Freuille. Purgata Villa. Emondeville.
Acida villa, Aceuille. Logania villa, Logainuille.

Et hæ clauduntur ambitu planitiei paſcualis Conſtantinianæ: quæ in longum (vti ſupra dictum eſt) minimo interſtitio prorogatur ad milliaria decem. Ideoque decumanum agrum appellare licebit, etiamſi citra morem veterum, cum bona tamen criticorum venia grammatiſtarum. Nam decumanus ager alio ſenſu accipi ſolet.

Obſeruatio alia memorabilis occurrit de vadorū differentia: vulgus appellat (les VVeis) rectius (les Gueis) vv gemino ſonante pro g.

Ab oppido diui Laudi defluit amnis inter oppida gemina Nulliacum, & Riparianī, donec venias ad Auuillam: cui adiacent vada puſilla, les petiz VVeis. Mox ſequitur Beuſeuilla apud vadum, vulgò, ſur le Vei. a parte vna: è regione, Liſiniacū: nec multo pòſt occurrit vadū maius, le grāt Guei. Demūq; ſequitur Roſtrū Dunę (le Groig de la dune) abſorbetur tandem fluuius vnà cum Carentonio ac fluuio pontis Douuiani, gal. le pont Douue: qui ſimul abſorpti appellantur gurges aut vaſtitas vadorum, vulg. Labbaye des VVeiz.

Nunc deſcribenda ſunt naualia continenti adiacentia per Oceani

circuitum,eo quem cœpimus progreſſu:nempe à põte Douiano per gyrum ad diuum Paternum:vulgus appellat les Hauures. Nauale igitur primum occurrit Ogigiarum,(vulg. la Hogue) Dicitúrque nauale ſancti Vedaſti. Nec procul hinc abeſt diuæ Petronillæ phanũ,vulg. la Pernelle. Inde verò ſequitur Bareflutum nauale,aut certè æſtuariũ. Neque enim nauibus vehendis aut reuehendis idoneũ cenſetur propter loci anguſtiam. Aliud parum ſinuoſum Capleuium dictum,inter Fermamvillam & Malepertuſum oppidũ, vul.Maupertus. Sequitur ſinus alius amplitudinis non prorſus contemnendæ, æſtuarium ſuum prorogans ad vſque Cæſarisburgum: adiuncto illi Galleio æſtuario, vulgus appellat la Hague. Æſtuarium aliud ſequitur, ea quam ſequimur ſerie, Domumuillanus, vulg. Domumuille, cui adiacet palus quędam vulgò appellata les Marays. Cui adiacet Fortalitium huic loco homonymum, non procul ab angulari promõtorio. Diletarum aliud ſuccurrit æſtuarium: nec aliud ſeſe offert donec venias Carteretum, non procul à Sareuilla. Probarium deinde, ſpeciem quandam ſinuoſi littoris habens, vti & Hamilecianus pagus: ac deinde phanum diui Germani Suſaii. Occurrit ſubinde æſtuarium rimæ vndoſæ, vulgò la Brecque a L'eau.

Occurrit proximè ſinus Lingreuillæ, tametſi modicus, nauale vltimum Conſtantinienſis agri. Eo quem diximus ordine progrediẽdo, eſt quem vulgus appellat Grantville, nos Macropolim, ſi non re, ſaltem nomine. Qui locus à non multis antea diebus & annis principis Angli impenſis, mœnibus concluſus eſt, cum adhuc Normaniæ incumberet.

Qui topographicè Conſtantienſem agrum deſcripſerũt, formam illi tribuunt peninſulæ, bimariſve Corinthi. Quo fit vt priori ordine ſeruato qui in deſcribendis naualibus emporiis deſcriptus eſt, circunſtantes inſulas deſignare conueniat. Occurrit primùm inſula è regione diui Marculphi cõſtituta: quã mox ſequũtur aliæ vulgò dictæ les Iſleaux. Se deinde offert inſula alia non procul ab Ogigiis diui Vedaſti: vulgo la Hogue ſainct Vaſt: & oppidum quod Tatihou vulg. appellat. Subinde radendo littora, non procul à Cæſarisburgo viſendam ſe offert inſula modica quam vocant Liſle Pelee. Seſe tandem viſendam offert amplior inſula Auriniaca, oppidulis aliquot circunſepta, Caſtello, gal. Caſtel. Aliud verò vocatur Leſcot. Tertium, nigrę portæ. Quartum la Clanque. Quintum, Anſa Molinea: vulgo Lanſe du Moulin. Cui accedit inſula puſilla: vulg. Burhou. Subſequitur Anſa Bruelia: vulgo Lanſe du Breul. Pone ſequitur frondoſum littus: vulg. La Fueillee. Nec multum abeſt locus quem appellant Les Runes. Et hæc ſunt quæ ambiunt inſulam Auriniacam. Paulo remotius cernere eſt inſulam quam dicunt Nidum Aquilæ. Aliam ſubinde, quæ vocatur Caſquet. Occurrunt mediocres inſulæ geminæ, de Serco videlicet & Herco. Herco adiacet tumulus quidam, vulg. Taſteſtain. Poſt hæc occurrit Garneſeium non paucis pagis intus munitum. Porrigitur in primis ab inſula illa Roſtrum Caprinũ, vulg. Le bec de la Cheure. Ac deinde caſtrum Cornetium. Ambit inſulam caſtrum aliud Vallenſe. Cingitur præterea modico terræ loculo, Lihou vocant. Qui mox ſequitur, Rochenne appellatur. Nouiſſimè verò les Haneaux. Et hæc in externo inſulæ ambitu. Hæc autem ſunt interna phana & oppida. Phanum Sammaritinianum: aliud ſancti Petri portuenſis, vulg. Sainct pere port. Diui Sanſonis tertium. Quartum nomine Chriſti ſeruatoris, vulg. Sainct ſauueur. Quintum

diui Petri Nemorenſis, vulg. Sainct pere du boys. Sunt & aliæ decuriæ parochiæve: Corbeiana ſcilicet, Alia Boſculana: vulg. petit Boſc. Alia item nemorenſis. vulg. la foreſt. Cui adiacet ſeptum vulgo dictum le parc. Nec procul abſunt decuriæ Eſcambea & Torteuallia. Porrò qui inter Sercum & Hercum intereſt Oceanus, Ferraria puſilla vocatur. Qui verò inter Sercum & Greneſeium fluit ac refluit, grandioris Ferrariæ nomen retinet. Latius ſeſe extendit Gerſeia inſula duobus munita propugnaculis, caſtro ſcilicet Montorgolio: alio inſuper paulo remotiore extrinſecus conſtituto. Intus verò caſtrum habet vetulum appellatum, vulg. le viel Chaſteau. A quo non procul abeſt parochia craſſè naſuta: vulg. gros nais. Phana deinde ſequuntur, Sanclementinum, Sãmarianum, Sanctodoënum, medio interiacente lacu vocato la Mare. Continuò ſubſequuntur phana ſancti Petri, Diui Laurentij, Chriſti ſeruatoris, Breladium, Diui Albini, Sancti Elerij, Diui item Martini, interiacente Gronuillano oppido, Diuæ inſuper Catharinæ, Diui itẽ Ioannis, Roſello oppido intermedio. Eſt & aliud omen habens & nomen Noctis quietæ, vulg. Bonne nuict. In totius inſulæ vmbilico templum viſitur ſemper & ſuper omnia benedictę trinitatis nomine locupletatũ. Semota ab his cernitur Douiana rupes, vulgò la roche Douue. Nouiſsimè verò conſpicuum ſe præbet monaſticum Franciſcanæ nuper familiæ templum Chauſeium, vulgo Chauſei, non multis antè diebus à ſchiſmaticis piratis funditus direptum & expilatum, qui nuper ab obedientia eccleſiæ ſe ſubtraxerũt. Det illis dominus ſaniorem mentẽ in corpore ſano, vt ſcilicet ab errore longius abſint, aut certè dent locum ſanctis.

Præter Conſtantinienſe capitale tribunal, habet diœceſis illa præſides (Balliuos vocant) beue multos, iura populis ex æquo reddentes, ſub vnius Rothomagenſis cenſura ſenatus. Qui magiſtratus ſi venales non forent, plurimum ad ferenda iudicia authoritatis haberet venetanda ſenectus. Pluris enim æſtimaretur vmbra ſenis, quàm enſis iuuenis. Et hinc exiit in prouerbium:

Roma vetus, veteres cum te rexere quirites,
  Nec bonus immunis, nec malus vllus erat.
Defunctis patribus ſucceſsit praua iuuẽtus:
  Cuius conſilio præcipitata ruis.

Vnde & qui hodie donatarius iudex ſeu Balliuus appellatur, præſes, ſi non prouinciæ, totius ſaltem agri Conſtantienſis meritò haberetur & eſſet: niſi obſtaret multitudo magiſtratuũ, haud ſcio an dicere debeo, effrenata, propter numerum penè innumerum. Vnde fit, vt per vadabiles illos iuriſdictionum riuulos, erga nocentes diſciplinæ neruus euaneſcat. Habet (vt hinc ordiar) ſuũ ſingulare iudiciarium tribunal dominus Briquebeccianus, vnà cum inferioris gradus iudice vicecomite. Suum præterea tribunal habet præſidiariũ & ſubſidiarium, Balliuariũ dico & vicecomitatenſe, dominus Moyonius, gallicè Moyon. Sedes vtraque iudiciaria ſubiacet duci ac domino Deſtoteuillano. Sunt & alia tribunalia duo ſub nomine Chriſti Saluatoris, vnum cognomento vicecomitis, vul. Sainct Sauueur le viconte, ad regiam maieſtatem pertinens. Aliud titulo Chriſti Saluatoris, cognomento Leudelini, ſub ditione Aurelianẽſis ducis, decem & ſeptem in ſeſe parochias complectens.

Eſt & tribunal quintum ſub domino Magnouillano, ad ſepem puteanam, vulgo La haye du puys. Sextum, Creantianum: vulgo de Creances. Septimum, Theopolitanum, ſub ditione familiæ Rhodiẽ-

ſium militum, vulgo Villedieu. Et inde plerunque fit vt quemadmodum apud Plinium legitur, vera ſit inſignis illa inſcriptio ſepulchri: Turba medicorum perii. ita vt iudicum colluuie reſpublica male habeat, tanquam penitus proſtituta cuiuis auctionatori: iuxta illud Nſonis:

In pretio pretium nunc eſt: dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper vbique iacet

Quos non vulgus tantùm, imò & proceres plerique omnes vtilitate probant. Plura dicenda ſupereſſent, ſi quem adferret querimonia fructum.

DE BRITANNICO TRACTV
Perioche topographica numero ſexta.

POST Conſtantinienſium fines intimè deſignatos & extimè, ſequens eſt Armoricam Britanniã, quæ ſeptentrionē verſus iunctim illis adhæret, chorographico penetrare luctu. Quod vt liquidius euadat, reddenda prius ſunt vetuſta recentioribus nomina quã certiſsima fide fieri poterit, quandò in hoc negocio non pauci qui ſibi primas cenſuræ partes vendicarũt, aliquantiſper hallucinati ſunt. Eſto igitur hoc initium.

Marlianus, qui ſibi id deſumpſit oneris, Iunianũ Maium equitem ſequutus, multis in locis hos in Armorica, ſeu in Armoricæ vicinia incolas accolaſque conſtituit,

Ambiliates, Ambibarros, Lexobios, Nãnetes, Diablintres, Rhedones, Lenouices (quos rectius dicendos crediderim Leonices) Curioſolites, Vnellos, Eſſuos, aliàs Seſſuuios, Bellocaſsios, Cadetes, Eburouices, Aulercos. Quos omnes, vel Armoricæ limitibus concluſos, vel ab Armorica non admodum procul diſsitos coniectat.

Quæ nomina, noſtræ ætatis nomenclaturis, ſi non ex certo & liquido, prope tamen verum quantum fieri poterit enucleare tentabimus: ſuper quo conſtituetur alphabeticus ordo.

Ambibarros Æmylius coniectat in Biturigibus ſitos, refragante multis in locis commentariis Cæſare, qui eos libro 7. Armoricis admiſcet. Quamobrem illius voluminis in linguam vernaculam traductor, Conſtantinienſes exiſtimat, non quidem Eremoricę incolas, ſed accolas Oceanũ attingentes: Marlianus diſsimulanter præterit. Ambruaretos vero Gallicus ille proxeneta Belnenſes auguratur Aruernis proximos, cum tamē Ambiaretos Ambianos eſſe putet Marlianus. Quo minus huic ſententiæ accedam, Cæſaris inuitat auctoritas, qui quoties ſermo incidit, Ambianos ſpeciatim vocat, ab Ambiaretis diſtinguens. Potius itaque crediderim Ambiaretos, ſeu (modica literarum verſura) Ambriaretos eos cenſeri, qui oppidum incolunt in confinio Normaniæ & Cænomaniæ poſitum, Gallicè Ambrieres. Fuit aliquando expugnatu difficile, cum Normanus Cænomanum hoſtiliter inſectaretur: vti ex Normanica hiſtoria conſtat. Ideoque olim poterãt fuiſſe clari inter Gallos nominis. Eò ſiquidem loci Gulielmus nothus occupato oppido, aduerſus Gofredum Martellum propugnaculi vice caſtrum non ignobile conſtituit.

Illud nolim præterire ex proxeneta Ptolemæi Villanouano, non eandem eſſe pronũciationem in his quorum ſuprà meminimus Aulercis. Nam Cænomanos vocat ille Auliorcos, Eburouices verius Augienſes Aulercos, Heduanos verò Aulertios, immutatis quibuſ-

dam clementis nuncupat. Id an conſilio, an temere repoſuerit, non eſt meum definire.

Ambiliates magno authorum conſenſu tradũtur Abrincatenſes: quos rectius Arboricos Arboretanóſve appellauerim (Arbrenches) ex loci genio, vti aliàs diſſeruimus. Ego pro meo captu eos dixerim qui vulgo appellantur l'Amballois, non admodum diſſentiente Ptolemæi textura. Hi enim Armorici ſunt: illi verò externi.

Aulerci variè intelliguntur. quidam enim ſunt Cænomani ex Ptolemæo & Cæſare: alii Neuſtrii: quos Augienſes non vno loco aſſerit Cæſaris proxeneta Gallicus. Nam quina millia militũ Aulercis Cænomanis Cæſar deſignat. Qui & ipſe non niſi terna Aulercis & Eburonibus adnumerat. Idemque ſupra Aulercis Brennouicibus Seguſianis proximis adſcribit, vnà cum Eduorum clientela, triginta quinque millia. Marlianus auguratur eos eſſe Aurelianenſes: & alio loco Rohannos. Eſt autem Rohannus tractus non procul à Lugduno, Eduum agnoſcens præſulem, vulgo Rouenne: fortè à rufo telluris illius colore.

Bellocaſsii: haud dubium quin Baiocenſes.

Cadetes, Raimundo dicuntur Kypercorẽtini: quod ſignificat palatium Corentini. qua de re fuſius infra.

Curioſolitæ, qui & Coroſopitenſes: cenſentur Cornubiani Armorici (Cornouaille) quo etiam nomine cenſetur pars Angliæ, authore Vrbinate: cuius verba hæc ſunt: Terra admodum ſterilis, fructũ magis ex cultorũ induſtria, quàm ex ſua bonitate præbet: ſed fert vbertim plumbum nigrum & album: hoc eſt ſtannum, in quo effodiendo maximè conſiſtit vita incolarum. In ſola hac inſulæ parte etiam ad hoc tempus perdurat natio Britannorum, quæ à principio ex Galliis aduecta inſulam occuparat: ſi illis credamus, qui vt infrà oſtendetur, memoriæ prodiderunt ex Armoricis ciuitatibus primos Britanniæ habitatores eſſe oriundos. Huius rei argumentum eſt, quòd qui Cornubiam incolunt, eandem habent linguam, atque vtuntur etiam nũc in Galliis illi inter Britannos quos Britones Britonantes vocitant. Facit etiam fidem antiquiſsimus annalium codex: in quo inueni ſcriptum Non Cornubia, ſed Cornugallia, vt inde confitum ſit nomen à cornu, cuius vti demonſtrauimus, hæc regio formam habet, & à Gallia, à qua primos accepiſſet incolas. Cuius quidẽ nominis ratio neutiquam diſplicet. Lingua autem ipſa longe alia eſt ab Anglica: cum VVallica vero nonnihil affinitatis habet, quoniam multa ſunt rerum vocabula in vtraque lingua communia. Hæc Polydorus.

Diabilintres, Dolenſes eſſe crediderim: non vt repoſuit Villanouanus, Leon Doul. differunt enim Leonices à Dolenſibus. huius etymi alio loco reddita eſt ratio.

Eburouices, Neuſtrii ſunt non Armorici, Eureulx.

Eſſui, aliàs Seſſuuii: ſunt qui Saiienſes dicuntur.

Gobeum promontoriũ: hodie appellatur Le four, aliàs finis terræ.

Leonices: non itẽ Lemouices, ſed neque Lenonices (Leon) apud quos ædes epiſcopalis.

Lexobii: non procul ab Armoricis, Liſieux.

Morini: Terrauanenſes.

Neruii: Tornacenſes.

Nannetes: Armorici Ligerani, Nantes.

Oſiſini: Landriguer.

Rhedones: Renes, ſedes epiſcopalis.

Turones, Tours, ſedes hierarchæ antiſtitis: qui etiam Armoricis præeſt. vetuſta appellatione Turogies.

Veneti ſeu Venetenſes, Vennes.

Vuelli, Perchérons.

Hæc de vetuſtis nominibus: cætera ſuis deſignabuntur locis. Nec prorſus ſtandū arbitror ſententiæ Villanouani Ptolemaicæ coſmographiæ interpretis. quædam enim reticet: quædam vero nec ad veritatis amuſsim recenſet. neque enim omnia aſſequi potuit, vir alioqui in reſtituendis Ptolemæi locis detortis aut deprauatis accuratiſsimus. Neque enim audiendus eſt vbi de Iuliobona facit Honflurum: nam Caleſio veteri euerſo, Iuliobonam ſucceſsiſſe, aliàs verò Inſulambonam, quæ nunc appellatur L'iſle bône, conſtans fama eſt.

Biducēſes, aliàs Biduceſii, qui ſint, ne vno quidem verbulo docet: cum tamen ſint Vnellis proximi, quos vocamus Perticēſes. Nec procul admodum ab Oſiſmis diſtant, quos conſtat eſſe Trecorēſes. hos igitur coniectura eſt eſſe, qui hodie ſancti Brioci diœceſim inhabitāt, gallicè Sainct Brieu. Cæſar cum cæteros enumeret Armoricos, nullum eis locum relinquit, niſi de quo ad præſens agitur. Quod autem Dariorigum in Venetis præcipuam ciuitatem pronunciet, rectè illud quidem, hodie Vennes. Vbi verò Leonenſes (qui verè ſunt Leonices) Dolenſibus aggregat, id non ſatis ex fide agit. Sunt enim Dolenſes Diabilintres mari prominentes: ac proinde (vt multæ ciuitates Armoticorum) promontoriales.

Leonices vero, potius mediterranei, quàm Hermiones. Porrò iidem eſſe videntur Diabilintres, qui & Diauolitæ, quorum pręcipua olim ciuitas Neodunum, noſtra vero ætate Dolis caſtrum appellanda venit: vt poſtea apertius declarabitur.

De Arubiis, præcipuaque eorum ciuitate Dariorigo, ne verbulum quidem vnum. Sunt tamen ex verbis Ptolemæi ad Argennam fluuiū ſiti: & hi vulgo dicuntur Argences. vbi & hos ſeu riuos ſeu fluuios reponit, Leſonium & Moëtam, qui mediam perluit Argentiam.

Meduanos, qui partem Cænomanorum faciunt, vocat le Meine: cum Cænomania tota appelletur Le Mās. Hos dicit Aulιorcos, Aulercios vero Eburacos. Sunt tamen Aulerci, de quibus Cæſar, non tam Eburici quàm Augienſes. Hos tamen comminiſcitur eſſe Aurelianenſes extra omnem fidem.

Vbi verò Abrincatuos, aduſque Sequanæ fluuium protogat Ptolemæus, id prorſus nullam meretur fidem. Nā alio loco reponit Ambiliates Cæſar teſtis Ptolemæo certior: cum iſte auritus tantum ſit, ille vero oculatus. Rhedones ſeu vt vult Riedones prope Ligerim collocat falſo prorſus indicio.

De Condatæ ciuitatis obſoleto nomine nolim cum quouis contendere: vbi neque de Senonum Agendico, neque de Carnurum Antrico: in quibus eſt Genabum ſeu Aureliæ, lōgè diſtans ab Aulerciis, quos paulo ante Aurelianenſes facit Villanouanus.

Ad cætera conniueo, ſuis ſingula diſcutienda locis. Proximum eſt, vt de vocabuli Britannici etymo, partiumque delectu diſcutiatur.

Quod ergo ad Britannicæ vocis rationem attinet, palam ex aliàs dictis conſtate fecimus principum in ea re authorum certiſsimo indicio, Albionem inſulam nomen cepiſſe Britanniæ à continentis terræ Britānicæ cultoribus, id teſtāte Volaterrano lib. 3. geographiæ: idque ex Bedæ ſententia, dum ait: Primum Beda Britanniam appellaram dicit ſimul & habitatam à Britonibus colonis ex proximò Aqui-

raniç littore:quæ gens Armoricarum eſt.Nam & Plinius Armoricam appellatam fuiſſe Aquitaniam dicit.

Verùm iſtud nouiſsimum cum cautione legēdum eſt : illud enim ſatis conſtat,eam quæ in Vaſconibus eſt regionem, à Lacunarum copia(quæ vaſtitatem inducit)Aquitaniam dictam, & vernaculo etiam vocabulo Guienne,quaſi dixeris Aquienne.q mutata in g.

Cæterum vaſtitas illa huius quam Armoricam vocant regionis aridior eſt,nec admodū frugifera:mihi poti⁹ ferax quàm farris. Agros landas vocant incolæ, rectius Eremorica dicenda videtur quàm Armorica.Nam & grandioribus leucis ſua oppida diſterminant,nempe trimilliaribus:quod quidem ſterilitatis non leue præbet indiciū.Hinc & Brutanniam dictam fuiſſe à brutis alendis coniectura eſt non prorſus abiicienda.Sic enim multa eorum oppida à gregibus & armentis nomen accepere.Eſto huius rei exemplum,Pulliniacū, à pullis equinis.Filiceriæ(hodie Fulgeriæ)à filicetis(Foulgeres.)

Quin & Rhedones à rhedis ad res per longa vaſtaque itinera con uehendas dictos tradit antiquitas,& id potius crediderim, quā quòd à Bruto primum nomen acceperint.Nam & longo antè tempore & Eremorica & Brutānica regio dicta eſt.Vſus pro v vocali facilè y græcam literam vſurpauit:quæ deinde in iota tranſiit.

Vtcunque ſit,nemo inficiari poterit,Britannicum terræ continentis littus cultores prius habuiſſe quàm Albionem inſulam. Neque enim inſulæ primum inhabitari potuerunt,niſi ab his qui ex continente terra prodiiſſent,vti & aliàs diſſeruiſſe meminimus.Non tamen ne gauerim longo pòſt temporis tractu, Albionis inſulæ cultores, qui & Britanni dicerentur,ab inſulæ ſedibus pulſos,in hanc Britanniam Eremoricam,vnde originem patres habuerant, quodam veluti poſtliminio rediiſſe:vnde minoris Britanniæ nomen accepit, idque circiter annum à Chriſto nato nonum ac quadrageſimum plus quadringenteſimo.

Crediderim inſuper(niſi me coniectura fallit) Hermioniam dictā. Sunt enim Hermiones ripenſes,atque adeò littorales:ita vt apud eos inualuerit vernaculum nomen hermine, ſigno tamen aliunde tracto, nempe ex cauda candidæ muſtelæ, per vnicam vocabuli alluſionem. Eſt autem Oceano vndique vallata Britannia:& ea parte ripenſis ſeu Hermionica merito appellata.

His accedere faciamus ex Scotica hiſtoria ſelectum teſtimonium domini inquam Ioannis cognomento Maioris, mei quondam in philoſophia præceptoris humaniſsimi iuxtà ac doctiſsimi. Primumque mythologicam Monemutenſis Galfredi narrationem apertiſsime eleuat, poſt recitata non tam fatidica quàm falſidica carmina riſu potius exſibilanda,quàm oraculi reponenda loco: quç ſic habent:

Brute ſub occaſu ſolis trans Gallica regna
Inſula in oceano eſt vndique clauſa mari.
Inſula in oceano eſt habitata gigantibus olim.
Nunc deſerta quidem gentibus apta tuis.
Hanc pete,nanque tibi ſedes erit illa perennis.
Hæc fiet natis altera Troia tuis.
Hic de prole tua reges naſcentur,& ipſis
Totius terræ ſubditus orbis erit.

Hoc commentitium eſſe nemo eſt qui non nouerit. Non enim talis generis carmine aut tali lingua vſa leguntur oracula. Deinde de futuris contingentibus ſtygia Diana nihil determinate ſapit,nec etiam

in ſimulacrorum penetralibus dæmones incluſi. Solius eſt proprium ſcire futura Dei. In hiſtoria eccleſiæ gentis Anglorum apud venerabilem Bedam lectorem latiſsimum, inuenimus quòd ab Aremorica Galliarum gente inſulæ meridionales partes primò inhabitante nomen Britanniæ inſulæ inditum eſt, quare à gente illa Gallica inſula Britanniæ dicta eſt, & non è contrario. Sed à quibuſcunque nomen accepit, iam à multis ſeculis inſula Britannia dicta eſt.

Demumque ita concludit:

Hæc de inſulæ nomine dixiſſe ſufficiat. Venerabilis Bedæ ſententiam inter Britannicos coſmographos præcipuè ſequor.

Nec multo poſt, alio argumento idipſum confirmat cap. 4.

In Britannia (inquit) vnum regnum primò inuenio, ſcilicet Brironum, & iam à multis diebus Valliam ſolum hi occupant, & primitiuam linguam tenent, & hanc Brirones de Aremorica Galliæ intelligunt, quod eſt argumentum quòd ab Aremoricis Britanni primum deſcenderunt. hoc enim dicere oportet, vel è conuerſo.

Hactenus rei Scoticæ Polyhiſtor.

Quocirca ridiculum apparet eſſe figmẽtum Armoricæ hiſtoriæ quo refertur ab aduenis ex inſula in continentem Britanniam cultoribus Gallicas mulieres ſuſcepto ex eis fœtu ſtatim interemptas, aut certe (vt alii ſomniant) linguis fuiſſe mutilatas: ne ſcilicet ſermo Gallicus ad ſuſceptam ex vtero prolem tranſiret. Nam præter incredibilem tanti facinoris immanitatem in proprias vxores, prolemque antea ab eis ſuſceptam, accedere oportuiſſet perpetuam cum mutis vxoribus conuictus moleſtiã, quas niſi affectu maritali cognouiſſent, oportebat ſuſceptos inde liberos fore degeneres, ſpurioſque ac nothos. Sicque dum extinctum voluiſſent linguæ vſum vernaculæ, perpetuã ſuæ poſteritati comparaſſent adulterinæ prolis infamiam. Sed quid pluribus opus eſt? res ipſa perſpicuam huius narrationis vanitatem declarat, cum bona totius pars Armoricæ Gallico vtatur idiotiſmo. Secus ergo eis accidiſſet ac putaſſent: aut certè paucis admodum fuerunt linguæ reciſæ Gallicis matronis. Eiuſdem farinæ ſunt figmenta illa de Arthuro, quibus nulla rerum quæ de eo narrantur, ne apud vnum quidem externum authorem referuntur indicia. Alioqui latere non potuiſſet lucerna ſuper candelabrum, aut ciuitas ſupra montem poſita. Quin & res ipſa, temporum ratio, ætatiſque Arthuri breuitas reclamat: vt qui florenti adhuc & necdum prouecta ætate perierit. Nec enim fieri potuit, vt tam breui annorum curriculo, præter inſularia regna Galliã totam, atque adeò Italiam ipſam aduſque vrbem Romam domare quiuerit, ſuoque ſubiugare imperio. Sed nec vllum in tam vaſto imperio inuenitur habuiſſe ſucceſſorem.

Vt illud interim omitrã, de duodecim Galliæ effictis regibus: cum conſtet paſsim ex authoribus, nuſquam in tota Gallia auditam fuiſſe aut viſam pluſquam regii potentatus tetrarchiã: in Anglia vero multis diebus & annis heptarchiam perduraſſe. Sed nec ex Britãnorum præſulum à vertice ad calcem perluſtrato catalogo conſtare poteſt quiſnam fuerit commentitius ille præſul Dubritius: aut cui inter Britannos præſederit eccleſiæ: quandò ne minima quidem de nomine Dubritii ex Vrbinare mentio colligitur, qui tamen ſtudioſiſsimè pontificum omnium qui eccleſiis Britannicis præfuerunt, nomenclaturam collegit. Quid quòd tres in Britannia inſulari author iſte comminiſcitur metropolitanas hierarchias, vniuſq; præſulem fuiſſe Dubritium audenter aſſerit, cum duæ tantum archiepiſcopales comme-

morentur ab authoribus, Cantuarienſis videlicet, & Eboracenſis, nec inter alterutrius claſsis præſules vlla de Dubritio fiat mentio? lege Vrbinatem.

Nec facile fuit communi omnium, eorum præcipuè qui legitimi forent hæredes, cõſenſu in Arthuri ex adulterino toro procreati perſonam conueniſſe, ætate præſertim immatura conſiderata, vtpote annorum non amplius quindecim.

Iam vero quis non rideat perſpicuum illud fictitiũ commentum, quo aſſeritur Arthurum Chriſtiferæ virgini ædem ſacram primum omnium in inſula Lutetiana conſtruxiſſe, idque ſub annum nihilominus quàm quinquageſimum à quadringenteſimo: cum ſatis conſtet à diuo Dionyſio ad id ætatis in eccleſia Pariſienſi ſediſſe multos magno numero pontifices non minus quàm quatuordecim, nempe vſque ad Vrſicinum diuæ Genoueſæ contemporaneum: inter quos excelluit diuus Marcellus, & ante eum Prudentius. Qui tamen omnes eccleſiæ Pariſienſi Chriſtiferæ virgini dicatæ præfuerũt. Quod dicimus, liquet ex Pariſienſium præſulum edito à nobis catalogo.

Quis præterea (vt & illud perſequar) enumeret omnia quæ de Merlini genitura feruntur, quem agenealogitũ fuiſſe impudẽtiſsimè proferunt, & ex cacodæmone procreatũ? id quod nunquã fando auditum eſt. abſit enim vt quæ de ſuccubis dæmonibus circunferuntur & incubis, veritatem habeant, refragante natura, nec ad talia portẽta ſuffragante maieſtate diuina: vtcunque anſam rapuerint nonnulli ex eo verbo quod ſcriptum legitur: *Genesis 6.* Videntes filii Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ &c. Nam aliò ſcriptura reſpexit: id quod pura litera docet.

Porrò de denſiſsima eius obſoletorum vocabulorum nube adumbratis fatidicis oraculis quid attinet dicere? His ſiquidem laruis adũbrari ſolent verſutorum ſeu dæmonum ſeu hominum fictitia commenta, ita vt neſcias quo teneas nodo mutantem Protea vultum: ne ſcilicet in ipſiſsimo mendaciorũ latebroſo nido deprehendi poſsint. Quis verò tam ſtupidus eſt & inſipiens, vt eius fidem ſequatur, qui ne ſe quidem ipſum vellet intelligi? cum ſcriptũ ſit: Doctrina ſapiẽtum facilis: impoſtorum autem ambigua, anxia, obſcura, latebroſa, difficilis. Neque id mirum. ſcriptũ enim eſt per eum qui nec fallere, nec falli poteſt: Omnis qui malè agit, odit lucem: ne ſcilicet videantur opera eius. Valeat itaque cum ſuis fatidicis, imò verius falſidicis oraculis malè ingeniatus Merlinus, veluti ex patre diabolo natus, qui mendax erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Imitentur autem illũ ſi qui ſint de parte illius. Nec deeſt in eius cuius ſuprà meminimus ætate Dubritii, quod ad chonographiam attinet, vehemens hæſitãdi occaſio, ſi varias conſulis hiſtorias.

Petrus à Natalibus, in diui Samſonis Dolenſis antiſtitis apotheoſi reiicit hunc Dubritium in diui Samſonis ætatem: vt qui ex anachoreta antiſtes delectus à Dubritio ſacris põtificalibus inauguratus fuerit. Conſtat autem ex Sigiſberti chronico Samſonem hunc Dolenſem, ſuccedente illi Maglorio vnà cum Maclouio conſanguineo & Colunbano Scoticæ gentis alumnis, floruiſſe ſub annum Chriſtianæ ſalutis 565.

Cõtrà verò, authore eo qui Eremoricam conflauit hiſtoriam, Arthurus ille magna ex parte commentitius, ab eo quẽ ſupra retulimus Dubritio, accedẽte ſuorum coæraneorum præſulum conſenſu, regno Britanniæ inſulatúmque omnium adiacentium inauguratur.

Quod

Quod ſi verum eſt, floruiſſet Dubritius iſte ſub annum ab orbe redempto 470. Interſunt anni medii centũ paulò minus annis tribus. Quæ duo ſibi inuicẽ fidem derogant. Propter quod meritò Sigiſberti auctuarius in ea ſalebra plurimum hæſitans, negat ſe velle dubia pro veris affirmare, id quoque adiungens: Mortuo Vterpendragon rege, ſublimatur filius Arthurus, cuius mirabiles actus linguæ perſonãt populorum, licet fabuloſa multa eſſe videãtur. Illud adiũgens, plurimã inter hiſtoricos agitari diuerſitatẽ nõ ſolũ in annis, verũetiã in geſtis, perſonarũque nominibus, dum vnius geſta tribuũtur alteri. In modo quoque ac rerũ geſtarũ tẽpore ingenuè profitetur variare ſcriptores. Quodq; rem totã reddit ambiguã, iſtud eſt. recẽſet Vrbinas, ſuperbæ ſtructuræ monumentũ quod hodie viſitur, recens fuiſſe conſtructum multo poſt Arthuri ætatẽ tempore, & in eo quidẽ loco, nempe Glaſcouienſi cœnobio, non ad multos abhinc annos: cum tamen nondũ foret conditũ huiuſcemodi cœnobiũ, ea ætate qua Arthurus floruiſſe recenſetur. Ex his cætera diſce. Mirũ vtique eſt vnde tam profundus ſtupor irrepſerit mentibus humanis, quòd etiãnum audiãtur aliqui ſtolidiſsimè hærere, fideique nõnihil adhibere tam ſtupidis támque rudibus ac malè tornatis Merlini oraculis. Qui certè eo ipſo merentur decipi, quòd ſeſe in hoc ſtupiditatis piſtrinũ vltro cõiecerint. Scire illi debuerant, non poſſe arborem hãc malam bonos fructus facere, nec ex hac carioſa nugaciſsimaque radice, certitudinis aliquid emergere. Auguratur, fama atteſtante publica, Hector Boëtius rei Scoticę polyhiſtor, ex hac quam vocãt cyclicã ſeu coronariã mẽſam (vulgo table ronde) morẽ apud Britannos inualuiſſe, quo à natalitio die adusque Epiphaniæ ſolennitatẽ primates penè omnes mediique & infimi comeſſationibus & ebrietatibus perpetuò vacãtes, nil aliud quàm Saturnalia celebrãt: ita vt hunc corruptiſsimũ morẽ innumera penè ſequãtur incõmoda. Nã & id infœliciſsimè accidit, vt genialib' illis dieb' diu' ille Thomas Cãtuariẽſis occideretur. nã cũ ĩter epulas conquereretur Thomicida Hẽricus, q̃ eum puderet ſuæ ſuorúmque ſocordiæ, quòd ſcilicet nullũ haberet qui ſuã indoleret vicẽ, finẽque imponeret concertationi quæ inter riualẽ ſuũ Thomã ſuámque maieſtatem vſque ad nauſeã exercuerat: ad hanc vocem coniurati nonnulli carnifices aulici (vt mos eſt aſſentatorum) in antiſtitis necem ita conſpirarunt, vt non multò pòſt per ſummũ nefas cerebrum è cranio vitáque è corpore excuſſerint. Et hæc fuit crapulæ illius natalitiæ infœliciſsima ſeges, Herodianæ nõ prorſus diſsimilis, qua ſcilicet inter medias epulas truncũ diui Ioannis caput, veluti ſingulare quoddam ferculum adpoſitum eſt. Ideóque huiuſmodi Bacchanaliũ vſum multis conuiciis onuſtũ, meritò cupit eſſe à ſua gente extinctũ: quem ex Arthuri illius magna ex parte fictitii menſa (vt dixi) coronaria prodiiſſe fama referente coniectat, cætera in circularũ fabularũ ordinẽ reiiciens. Simúlque Monumetenſem ſugillat, vt qui nullo teſte mera paradoxa obtrudat: quæ tam multa ſunt, vt nec ipſa Arthuri ætas his obeundis muneribus etiam triplicata ſufficere potuiſſet, nec ipſe vel Giganteæ vel Herculeæ vires.

Sed hactenus digreſſum ſit, non tamẽ citra alicuius frugis occaſionem: vt ne etiã illud omittã, de teretis illius famigeratæ mẽſæ (vulgo La table ronde) proceribus, quotum nomina & inſignia ita proſtant, vt nec vllũ cognationis cognomẽtive eorũ apud poſteros extet indicium. Quis enim hodie extat, qui ſaluo frõtis pudore aut audeat aut poſsit originariũ locũ mõſtrare paretis vnius ex his qui in huiuſmodi fabuloſa tabula enumerãtur? Quis fando aliquãdo audiuit Aguiſan-

tum, Iamburgum, Iambegue͂, Dalide͂, Araynum de pinu, Clamoratu͂, Brumerum, Candeliſum, Girfletu͂, Bamertiu͂ furioſum, Abaudamum, aliaque id genus innumera portẽtosè efficta, nec vnquã prius poſteriúſve vel de ſomnio cogitata nomina? Aut quis hodie viſitur aut auditur, qui cribrata (vt illic depicta cernuntur) pectinatáve adiecta capillatura inſignia ſibi aſſcribere auſit? aut quis integras ſyluas, capitatáſve hydras, ſcintillantes deintegro flãmas, nodoſos truncos, ſolidas rupes, ſolaria, præter vnũ Ioſue, inſignia, centaurea mõſtra ſuis impudenter audeat adpingere inſignibus? Quid quòd diuerſæ ex diametro familiæ eadẽ nihilque immutata inſignia geſtãt? Quod apud huius ſeculi nobiles nephas exiſtimatur. Satius enim vnaquæq; familia mortẽ oppetere velit, q̃ ſua alteri cedere armigerata ſcutatáve ſigna. Atqui Caſſerdinus & Bolinahynus huius fictitiæ menſæ ꝓceres, apud hunc commentitium authorem ne vno quidẽ pilo diſtincta inſignia geſtant. Omitto Carodos, Pelinoros, Lacos, Bodemagos, Claretióſque reges: quæ omnia ita ſunt nugarũ plena, vt ne vllam quidẽ apud viros cordatos fidem inuenire queant. Hæc ad retundendas, quæ paſsim vagãtur vaniſsimorũ hominum nugas dixiſſe ſufficiat. Nunc cœptum proſequamur iter. Britannicæ vocis nomenclatura variè diſſecatur ab authoribus. Primùque in maiorẽ diuiditur & minorem. hæc continens citerior, minor: inſularis vero maior à ſoli tractu longiore paſsim appellatur. Quantũ vero minor ceẽſenda ſit Eremorica, ex graduũ numero cœleſtiũ, certo calculo deprehenditur. Qui enim plurimũ Eremoricæ tribuunt, quatuor illam gradibus metiuntur: qui vero minimũ, tres illi cum ſemiſſe tantũ adſcribũt. Qua ratione ſexaginta milliaribus Italicis gradum vnũ metiendo, pateret in longum ducentis quadraginta milliaribus: leucis vero communibus centum viginti. Sunt enim bimilliares. Cum autem Britãniæ citerioris leucæ trimilliares ſint: ſequẽs eſt vt in longum pateat Eremorica peculiaribus ſuis leucis octoginta, idque à Dolenſi agro: hoc eſt Diabilintrum ſeu Diaplintũ. qui Ptolemæo teſte Venetenſi orientalior eſt, hoc eſt à Cœſnone fluuio aduſque Gobeũ promontoriũ: & id quidẽ ad rationem graduũ quatuor. Alioqui ſi minimũ ſequaris, numerabis milliaria Italica ducenta decem, leucas ad ſubduplũ communes centenas quinas, trimilliares vero quinq; ac ſeptuaginta. Quantũ autẽ pateat in longũ inſularis Britãnia, ob oculos exhibet recèns edita regnorum Angliæ & Scotiæ chorographia, ſub annũ domini 1546. Romæ typis excuſa: quæ à Vecte inſula, in qua eſt Albroc, ad Cataneſiã vltimum Scotiæ limitẽ ſexcenta enumerat milliaria, & id quidem à meridie in Boreã. A Douero autẽ vltima Cãtiæ parte, aduſque extremũ Cornubiæ promontoriũ, quod Eremoricã reſpicit, trecẽta viginti. Hinc habes quãto ſit inſula contінẽte longior & porrectior. Deprehẽſum eſt inſulam hãc toto ſuo ambitu milliaribus non amplius q̃ mille ſeptingentis viginti circũſcribi, mẽſura calculo Cæſaris minore ad ducenta octoginta milliaria, vt qui falſo auxerit Angliæ ambitum duobus milliariũ millibus, ſi vera recẽſet author recẽs editæ chorographiæ. Qui & ipſe Angliæ ſuæ tribuit ſedes epiſcopales duas ac viginti: Metropolitanas duas, Cantii ſcilicet & Eboraci: è quibus duodeuiginti Cantuarienſi parent Angliæ primati: reliquæ, Eboracenſi archipræſuli. Nobilia gymnaſia duo, Oxonienſe & Cantabrigienſe. In Scotia ſedes pontificias tredecim numerat, comprehenſis archiepiſcopalibus geminis ſancti Andreæ & Glaſcuenſi. Ex his nouem parent primati diui Andreæ: reliquæ verò ex vndecim, Glaſcuenſi antiſtiti. Conuentuales comitatus profani nouem.

Quòd ſi ea, quã ex tabulæ præſcripto ſtatuimus, mẽſura non ſatis ad ſolidã amuſsim deſignata videbitur: ecce tibi aliam ex Polydoro Vrbinate in omnem penè cœli cardinem ſtudioſè ſimul ac operoſè dinumeratam. Sic enim ille habet libro Britannicæ hiſtoriæ.1. Inter Cantianum & Cornubiẽſem angulos, omnem inſulæ longitudinem recta linea metiuntur, dicúntque eſſe D. C C C. milliariorum, ſicut latitudo ex Meneua, ſiue Fano Dauid, vſque ad pagum quem Hyermuthum vocant, qui eſt in extrema parte inſulæ, quæ ad Orientẽ Solem ſpectat, conficitur ſpacio millium paſſuum C C. Nam inſula (vt demonſtratũ eſt) lata ac patens eſt in latere meridionali, quod poſuimus pro eius fronte, hoc eſt initio, & definit in anguſtũ. Ita circuitus omnis inſulæ cõſtat non amplius octies decies centenis millibus paſſuum, atque ſic minus ducentis milliariis quàm Cæſar ſupputarat. Hæc ille. Vt ergo vltro concedamus citeriorẽ hanc Britãniam ſoli extẽſione minorẽ, nunquã tamẽ efficies vt inficiari poſsis eam ipſam aut antiquitate, aut dignitate cenſeri potiorem. Ab hac enim, primi Albionis inſulæ prodiere cultores, dicti & ipſi à ſua radice Britanni. Qui poſtmodũ tanquã oleaſtri inſiti ſunt oliuæ. Nec ſupra eam gloriari poſſunt, niſi id audire malint vel inuiti: Non tu radicẽ portas, ſed radix te. Nec tanti apud nos eſſe debet Maximini in principes ſuos Gordianũ & Valentinianũ coniuratoris auctoritas, inque ſuũ dominum pduellionis rei, vt à ſolo eius nutu pendẽte debeat minoris Britanniæ cognomẽtum. Quin maior dicenda venit ea nimirũ ratione, qua & patres & veteres, maiores appellare ſolemus. Qui enim primùm Albionem incoluerint inſulam, plus ſatis & auctoritate & ineluctabili ratione ex his quæ ſuperius dicta ſunt, euicimus.

Eſt præterea alia citerioris huius Britanniæ obſeruanda partitio. Sunt enim quidã ex eis Vigeuones, magnaque ex parte littorales. Alluitur enim Armorica partim Boreali, vti Dolenſes, & qui medii interſunt aduſque Oſiſinos ac Leonenſes, ſeu verius Leonices, nempe Aletẽſes, Briocenſes, Trecorẽſes, ac Sãpaulini. Quos omnes qui mari imminent, crediderim dictos vno vocabulo Diabilintres, ꝗ ſcilicet lintribus ſua commercia tractẽt maris accolæ à Dolenſibus vſque ad Leonices. In quam ſentẽtiam trahor non prorſus inuitus ex vulgata chorographorũ ſentẽtia: qui rectius fortè ꝙ putent, aut ſaltẽ in tabulis deſignent, pro Diabilintribus reponunt Leon Dol: hoc ſcilicet inſinuantes, quòd à Dolenſi caſtro, ad Leonenſem diœceſim, quotquot intermedii ſunt, ſua commercia lintribus ac nauigiis omnia tractent. Etiã ſi aliud ãtea dixerim, ea tamẽ velim ad hãc referri temperaturã.

Sunt nihilominus in Armorica aliæ ſeu ciuitates, ſeu oppida quorum incolæ Hermiones ſeu Herminones dici poſſunt: hoc eſt mediterranei. Super qua re latiſsimè differentẽ conſulere poteris beatum Rhenanum in rebus Germanicis.

Illud interim obiter admonuiſſe non pigebit (non tamen tam per apodoxin, quàm duce coniectura) ex Ptolemæi tabula deprehendi poſſe, Aulercos, Diaulitas eſſe in Armorica, medios inter Hermiones & Vigeuones, hoc eſt ex Rhenani ſententia Iſteuones. Sunt enim inter mediterraneos littoraleſque medii, ita vt currere ac recurrere poſsint ab his ad illos, viciſsimque ab illis ad iſtos. Porrò ex vſu authorum, diaulus curſus eſt reciprocus ex motu gemino conſtitutus, obeundi ſcilicet ſtadium, moxque redeundi. Sunt itaque Diaulitæ in terra fixa, veluti æſtuarium maris, quod ex fluxu conſtituitur ac refluxu. Ac proinde Diabilintres (niſi vehemẽter fallor) ſic dictos intelligo, quaſi vtrinque Bilintres, qui ita nauigio ſua commercia tra-

ctant, vt vna naui merces conuehant, altera vero reuehāt, Laconico more ſemper onuſti, nunquam vacui euntes aut redeuntes. Quod de more obſeruare ſolebant Dolenſes cum Leonenſibus, ſeu de re bellica ageretur, ſiue de quouis commercio.

Atque anſa nobis inde oblata vlterius progrediendi, coniectura ducor Aulercos illos triplices à Ptolemæo deſignatos, videlicet Armoricos, Cænomanos & Eboraicos ita dictos fuiſſe, quòd cum medii ſint inter inſignioris notæ oppida, occaſionē haberent in vtrā vellent partem eundi ac redeūdi. Sic enim Eboraci medii ſunt inter Rothomageos & Lexobios, Cænomani vero īter Andegauos & Neuſtrios: & hi de quibus ad præſens agitur Aulerci, Iſteuones medii cenſentur inter Vigeuones pelagi accolas ac Hermiones, nēpe Rhedones mediterraneos. Eſt enim Rhedonenſis ciuitas veluti Armoricæ vmbilicus, ac ciuile quoddā centrū, ſeu regia, in qua principes olim ſceptro inaugurabātur: quæ & dicebatur Erythra ſeu Rubravilla: id atteſtāte Polyhiſtore Britonico. Et hinc etiā amplius contendo Armoricos ex nominis occaſione, qua ſcilicet Hermiones dicuntur, per alluſionem quandam ſibi deſumpſiſſe ea quæ nunc geſtant inſignia vulgo dicta Hermines, caudis muſtelarū à natura inſita coloris atri in area candida, alludendo, ſcilicet ad Hermionū nomēclaturam. Nam quæ de fictitio Arthuro, atque eius cum gigante in Lutetiana inſula conficto duello, deque cœlitus emiſsis inſignibus, vnius tantū authoris Monumetēſis ſingulari teſtimonio circūſcribūtur, ab omnibus paſsim authoribus pro commentitiis habentur. Lege Vrbinatē Anglicæ, Ioannem Maiorem Scoticæ, Gaguinum Gallicæ enarratores hiſtoriæ, addo & in annalibus *Sigibertum*: qui omnes in huius enarrationis fide prorſus vacillant. Iam ſi quis cōtra ſeuerius obſtrepere velit, cedo arena: ille ſuo, nos noſtro interim fruemur iudicio.

Armorica, ſeu verius Eremorica (quod mox dicendum ſequitur) tribus idiotiſmi claſsibus diſtinguitur. Sunt enim linguæ peculiari vſu Britonizantes: ſub his continentur hierarchiæ tres, Cornubiana ſcilicet, Sampaulina, & Trecorenſis. Gallicano autem eloquio vtuntur Dolenſes, Rhedones, atque etiam Aletenſes, nūc Sainct Malo: quos Gallicanos Britones appellare ſolemus, Bretons Gallotz. Tertia vero claſsis, pro animi ſui libertate vſuque peculiari vtra velit lingua vtitur: hi ſunt Nanetenſes, Veneti, & Sambriocani (gal. ſainct Brieu.)

Vti autem hierarcharum enneade illuſtratur Armorica, ita & Baronum principatu. Cœnobia vero, quæ ſuis ſingula ſubiacent archimandritis, in ſuo numerat ære quatuor ſuper triginta, partim Benedictinæ, partim Auguſtinianæ, addo etiam & Bernardinæ familiarum. Veſtaliū verò ſororū conuentus, vti & mendicantium, in nullo hic habentur numero, vti nec in re militari hi quos anteſignanos ſigniferóſve appellāt, vulgo Bāneretz. Reſtat vt de hierarchiarū inſignioribus locis ſingulatim diſſeramus, à Dolenſi epiſcopali potius quàm metropolitana ſede ſumpto exordio. Primumque elidenda eſt controuerſia ſuper iure metropolico à Dolenſibus longo prius tempore vſurpato, poſtmodum vero obſoleto.

Præeſt Turonēſis antiſtes epiſcopalibus ſedibus vndecim, nempe Cænomanicæ & Andegauēſi, præter diœceſum quæ in Britānia ſunt enneadē: quæ ſunt, Rhedonenſis, Venetenſis, quæ & Ciantum, Cornubiana, alias Coroſopitana ſeu Cornugallia: Leonēſis, quæ & Sampaulina ad Saliuncanum portum: Trecorenſis, aliàs Landruſcius ſeu Kypercorentina. Sambriocenſis, Nanetenſis, Sammaclouiana, quæ & Aletenſis: & quæ olim ꝑ archiepiſcopali habita eſt, Dolenſis: quod

quò minus procederet, itum eſt obuiam ab Athardo Nãnetenſi: qui cum ſciret ſurreptitiè magis ac per vim & intruſionẽ paritum ad tempus fuiſſe Dolenſi, accepta tandem occaſione ſe ſubtraxit à conuenticulis prophanis potius quàm legitimis, ſolum Turonenſem præſulem agnoſcens:& ob id extorris factus ad tempus nõ modicũ, Nicolai primi decreto, Caroli demum Calui auctoritate regia ſuæ ſedi reſtituitur, aliique nõnulli, qui per iniuriam è ſuis ſedibus ab Armoricæ principe exacti fuerant. Sicque conuerſa eſt procella in aurã, & ſiluerunt fluctus, ex principis ira atque aſſentatorum impoſtura prodeuntes. Dixerit forſan quiſpiã, Ergóne dicemus viros ſanctos atque etiã apotheoſi donatos, archiepiſcopalis muneris functionẽ & honorem per ambitũ vſurpaſſe? Nemo ſanæ mentis id admiſerit, cum ex hiſtoria Britonica conſtet ab ipſis etiam pontificibus ſummis Dolenſes præſules pallio fuiſſe donatos: id quod nullam prorſus vſurpationis ſuſpicionem admittit. Liquet enim ex Eremoricana hiſtoria diuum Sanſonem apud Dolim ſedem tenuiſſe archiepiſcopalem, idque (vt illic habetur) iuſſu & plus quàm conniuentia Pelagii pontificis Romani, qui poſtulante Giquello ſeu Indualo Britonum principe, vltro etiam ſeſe dedentibus reliquis Eremoricæ præſulibus, receptoque à pontifice pallio metropolitanæ auctoritatis indice, antiſtitẽ egit non paucis & diebus & annis. Cui pari teſſera inſigniti ſucceſſere diuus Maglorius, diuus item Budocus Goeulanus, à diuo Gregorio magno eiſdem ſacris inauguratus. Poſtmodúmque acceſſere Gueueneus & Roſtoaldus annuẽte papa Seuerino, palliumq; tribuẽte. Quid plura? Poſt Harmahelum ac Iumahelum antiſtites diuus prodiit Turianus aduſque tẽpora Caroli Calui in Galliis, in Eremorica vero Salomonis, ſceptrum ſuum retinentis. Tum enim & pontificis interueniente edicto, & Calui litem quæ oborta fuerat componẽtis auctoritate ſuppreſſus eſt metropolitani titulus. Neque id abs re. Nam Turonenſis archiepiſcopalis auctoritas ea in re grauiſsimè lædebatur, qui cum ab omni æuo atque adeò à primæua naſcẽtis eccleſiæ origine vndecim imperaret ſuffraganeis, duo tantum illi reſeruarentur, Cænomanenſis & Andegauenſis.

Non igitur potuerunt neque Eremoricarum rex, neque ſurreptitius præſulum quorũdam conuentus legitimo ſubtrahere colla iugo, ſuo præſertim antiſtite neque audito, neque ſuper hoc conſulto. Sed cur (inquies) non renitebatur quiſquis erat ille præſulum, tam longi præſertim temporis interuallo: ita vt illius temporis ſilentiũ pro conſenſu habeatur? Ad hoc prompta eſt reſponſio: Multa tolerari, quæ ſi in iudicium venirent, minimè tolerarẽtur: nec pro conſenſu haberi taciturnitatẽ, vbi expreſſo conſenſu opus ſit. Quid autem ſi pro tranquillitate tuenda, vitandoque ſcandalo, ſedandóque tumultu, tanto tempore dilatum ſit, Chriſti domini exemplo? qui cum à Petro audiſſet, liberos à tributo filios: veruntamen ne ſcandalizaret eos, imperatum tributi nomine nummũ præſtari iuſsit alioqui indebitum, communi etiam vtriuſque nomine. Id enim exigit Chriſtiana modeſtia, vt nonnunquam priuatam vtilitatem cedere oporteat tranquillitati publicæ. Idque eſt quod aiunt: minus conſultum eſſe eum, qui torrẽti ſeſe velit opponere. Et hoc eſt quod dici ſolet: Procul à Ioue & fulmine. Et illud: Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori: Grata enim expectanda eſt, quæ non ſperabitur hora. Et ea accidit tandem Nicolao primo ſedem Petri tenẽte, vt liquet ex decreto, hæc quippe. *iii. quæſt. vi.* aliàs recenſito. Qui autem inter longi temporis moras metropoli-

tani titulo fruebãtur, abſit vt illis id vitio detur, qui bona fide & pontificia auctoritate eo honore fungebantur. Eſt enim (vti ex ſacrorum conciliorum oraculis liquet) primatiæ ratio duplex: quædam honoraria potius quàm iuridica. Cautum enim eſt, honorarium quemuis metropolitanum nihil detrahere poſſe de vetuſti præſulis iuridica legitimaque auctoritate: vti de Niceno antiſtite erga Nicomedienſem legitur in Chalcedonenſi concilio: quæcunque ciuitates literis imperialibus metropolitani nominis honore ſubnixæ ſunt, eo inquam honore tantummodo perfruantur, ſaluis ſcilicet veræ metropoli priuilegiis ſuis.

Aliud ergo eſt eſſe metropolitanum honorarium, aliud ipſa etiam poteſtate præeſſe. Non ergo detrahi potuit Turonenſi ſua poteſtas per honorarium quemuis antiſtitem. Potuit itaque Dolenſis cæteros pro tempore illo honore præcedere, non item poteſtate: vti de Niceno ſupra diximus. Quin contrà legitur eodem (quem ſupra citauimus) authore, diuum Martinum Turonicum antiſtitẽ ea auctoritate vſum, petentibus Cornubianis vnũ aliquem ex tribus viris piis iuxtà ac religioſis epiſcopum deſignaſſe, ſacriſque imbuiſſe pontificalibus. Erant autem hi, Corentinus, Guennolaus & Tudinus, viri omnes ſanctitate conſpicui. Duo tamen ceſſere Corẽtino in præſulatu Cornubienſi, Guennolaus & Tudinus, ambo poſtmodũ archimandritæ facti, vno Corentino ſacris à diuo Martino pontificalibus inaugurato. Iure itaque declarata eſt integra Turonenſis erga reliquos Eremoricæ Britanniæ præſules poteſtas & auctoritas.

Solum (quod dicẽdum ſupereſt) Britannicum qua parte vergit ad Orientem, fluminibus aliquot concluſum limitatur. Nam à Septentrione Cœſnonius fluuius (de quo mox diſſeretur) Armoricæ partem diſſecat à Neuſtria: quæ proximè ſequitur Cenomania, partim Sarta, partim Meduana ſcinditur ac limitatur. Andegauiam autem ab Armorica Loirius fluuius quadãtenus, partim verò Ligeris oſtia Armoricæ fines conſtituũt. Quin & reliquus Ligeris alueus, qui ab ortu defluit, magna ex parte Celticã Galliam ab Aquitanica diſtinguit. Progreditur (ſi quis fortè requirat) Meduana ex deſerto Cenomanico, Meduanamque Iuhelli alluit (vulgo Maine la Iuhel) Sarta verò per ſabuloſum decurrit oppidum (vulgò Sable) Cenomaniæ regionem irrigans. Loirius autem ex Vindocinenſi agro originem ſumit. Alluitur præterea tota penè Britannia Oceano mari, idque ad tres orbis cardines, nempe à Maclouienſi ad Veneticum ſinum vſque ad Gobeum promontorium vulgò appellatum Le four, quòd illic tanquam in clibano æſtuarium quoddã concluſum cernatur: quem etiã finem terræ vocant. Cæterũ ab ortu tribus (vti ſuprà attigimus) limitatur fluminibus, Cœſnone fluuio, qui à Filicenis (Fulgerias vocant) paulóve altius originẽ accipiens, in montis Sammichaëlitani æſtuarium ſeſe exonerat, caſtrum Pontis Vrſonis ſua alluuione cõtingens. Et hoc amne ſecernitur à Normania Neuſtriáve, aut certè verius Marchia Neuſtriæ. Ad auſtrum verò Ligeri fluuio ab ea quæ Aquitanica eſt Gallia diſcriminatur. Eſt nihilominus medius inter vtrũque Sartæ fluuius, Britanniam in latum protenſam à Cenomanis Andibuſque ſeu Andegauis ſecernens. Et hi ſunt Britanniæ limites Armoricæ continentis. Quæ ad eam rem pertinent reliqua, diſtinctè minurimque relata videbis in cœli ſolique Gallici chorographia. Ab his prudens abſtineo enarrandis, ne cramben recoctam videar apponere menſis.

Nunc ad ſingulas progrediendum erit hierarchias,initio à Dolenſi pontificia ſede ſuſcepto:de qua ita lego apud Sigebertum, ſub annum ab orbe redempto 566.

Sanſon(ait ille) Dolenſis archiepiſcopus, conſanguineus ſancti Maclouii:& ſucceſſor Sanſonis Maglorius:qui de tranſmarina Britãnia ad ciſmarinam tranſierant Britanniam : clarent ſanctitate & doctrina.

Id quoque ad Dolenſis ſoli gloriam pertinet, quod de diuo Sanſone ſilentio tectum prætererat. Præfuerat enim aliquandiu Eboracenſi eccleſię diuus Sanſon antiſtes,qui tandem hoſtili furore ſiniſtrè de fide catholica ſentiẽtium extruſus,vnà cum paucis vitæ ſuę comitibus Armoricam appulit:vbi à Priuato quodam maris Britannici accola hoſpitio benignè ſuſcipitur. Quod beneficium rependens diuus Sãſon,à lepra Priuati vxorem,eiuſque filiam à dæmone vexatam,optatæ ſanitati continuò reſtituit. Nec paſſus eſt tam grãde munus Priuatus irremuneratum abire. Nam viciſsim beneficium beneficio rependens, agrum anachoreſi exercendæ, cœnobióque conſtituendo quantum res ipſa exigebat accommodum, diuo Sanſoni lubẽs ac volens conceſsit.Sicque ex archipræſule Eboracenſi cœnobiarcha, nec multo poſt Dolenſis antiſtes euaſit:demum verò anachoreſi poſt pręſulatum repetita,ex mortali immortalis factus,non tam viuendi finẽ quàm initium inuenit. Cui conſanguineus, addo etiam & conterraneũs, diuus Maglorius in pontificali cathedra & viuenti acceſsit, & ſucceſsit defuncto. Qui & ipſe vtriuſque vitæ ſtatum ſibi adoptauit, monaſticum inquam, & põtificalem. Nam à Iudicaële Armoricarum principe agrum in vſus cœnobii conuertendum acceperat.Quò etiam loci virginitatis gloria decoratus continentiſsimè vixit, cilicio ad carnem toto vitæ decurſu contectus,hordeacei panis victu contẽtus,quarta ſextaque feriis ab omni cibo abſtinens, vſque dum vitam cum morte commutaret,idque imperante iuniore Iuſtino, regnante in Gallia magna ex parte Sigeberto,ſęuitiemque per omnia iniuriarũ exempla exercente Brunichilde:ſedem dirigente Romanam Ioãne huius nominis tertio : nec minꝰ vita & religione inſigniter conſpicuis diuo Columbano Scotico, Vedaſto in Belgica, apud Turonios Gregorio Turonenſi:& apud Pictauos Fortunato poeta hagiographo:atque in Cænomanis diuo Mauro,diui Benedicti monaſticæ diſciplinæ patriarchæ diſcipulo vnicè dilecto : cum ſub id etiam tempus vita & miraculis clareſceret diuus Germanus Pariſiorum pontifex. Qui ſui ab hac vita trãſitus pręſcius,parieti dũ ægrotaret,inſcribi iuſsit,Quinto kalendas Iunii.

Porro quod de Sanſone in catalogo ſanctorum legitur, quòd ſcilicet ex cœnobiarcha anachoreſim exercuerit,demumque ex anachoreta Dolẽſis põtifex à Dubritio epiſcopo fuerit cõſecratꝰ,illud in dubio relíquo,refragãte tẽporũ ratione.Nã(vti ſupra dictũ eſt)Dubritiũ nõnulli in Arthuri Britãni ętatẽ referunt: cũ ea ſit multis annis poſterior iſta.Vtcunque tamen ſit,huic de Dubritio quę nuper reputata eſt ſententię,nonnihil roboris adferre videtur Monumetẽſis,qui coætaneum ei Arthurum ſuis verbis inſinuat:

Sanctus (inquiens) Dubritius vrbis Legionum archiepiſcopus, aſcenſo cuiuſdam montis cacumine in hunc modum celſa voce exclamauit. Viri Chriſtiana profeſsione inſigniti, maneat in nobis cõciuiũ noſtrorũ pietas & patrię:qui proditione paganorũ exterminati,vobis ſempiternũ erunt opprobriũ,niſi ipſos defendere inſtiteritis.Pugnate

pro patria veſtra,& mortē,ſi ſupuenerit vltio, ꝑ ea patimini. Ipſa enī victoria eſt & animę remediū. Quicūq; eteni ꝑ cōfratrib⁹ ſuis mortē inierit,viuā hoſtiā ſe præſtat deo,Chriſtúmq; inſequi non ambigitur, qui pro fratribus ſuis animā ſuā dignatus eſt ponere. Si aliquis igitur veſtrum in hoc bello mortem ſubierit,ſit ei mors illa omnium delictorum ſuorum pœnitentia & abſolutio, dum eā hoc modo recipere non diffugerit. Nec mora,tali benedictione hilarati, feſtinant omnes armare ſe, & præceptis eius parēre. Ipſe vero Arthurus lorica tanto rege digna indutus,auream galeam ſimulacro draconis inſculptam capiti adaptat, humeris quoque ſuis clypeum vocabulo priduuen, in quo imago ſanctæ Mariæ dei genitricis erat impicta, ipſamq; in memoriam ipſius ſæpiſsime reuocabat.

Quod & alio loco his verbis fulcire videtur:
Trium etiam metropolitanarum ſedium archipræſules,Lundonenſis videlicet,atque Eboracenſis,necnon ex vrbe Legionū. Dubritius hic Britannicæ primus & apoſtolicæ ſedis legatus tanta religione clarebat,vt quenque languore grauatum, orationibus ſuis ſanaret.

Ex quo vno ac etiam iterato teſtimonio vnam eandemque ætatē Dubritio & Arthuro vult fuiſſe communem. Eademque opera ſedes in Anglia archiflaminum tres numero ſtatuit,cum tamen hodie non amplius quàm geminæ numerentur:Cantuarienſis videlicet,& Eboracenſis.Ipſe vero tres enumerat archiflaminum ſedes, Lundonienſem videlicet,Eboracenſem,& vrbem Legionum.

Vnum hoc tamen bona omniū venia dictum velim,hanc in commendando Arthuro prodigioſam licentiam parum fidei apud poſteros habituram. Quid? quòd nulla in Arthuro de Dubritii præſulatu apud Vrbinatem,ſed nec in vniuerſa anthropologia ſit mentio: nec de eius apud Monumetem ſucceſſore Dauide, quem tamen vult in eius locum ſuffectum,cum abiecta pōtificali cura,reliquum vitę tempus anachoreſi perpetuæ deuouiſſet. Re itaque in medio relicta, ex Bernardo Guidonio ad verbum referam nonnulla quæ ad Dolenſis caſtri celebrem memoriam nō parum facere videntur,ſed longo poſt hanc ætatem tempore, nempe ſub annum à virgineo partu 917. Petrī ſedem obtinente Ioanne appellatione ſeptimo.ſic ille habēt ad verbum: Per idem tempus in Britannia in caſtro Dolenſi fundatum eſt nobile cœnobiū, quod Dolis vocatur, ab Eblone viro illuſtri prædicti domino caſtri.hic vir admodum deuotus primò paululum à Britannia plures monachos metu Normanorum fugientes ſuſcepit. Hi caput beati Gildiſii abbatis detulerunt ad Caſtrum Dolenſe, cui etiā idem Eblo proprium cœnobium iuxta caſtrum ſuum ex alia parte aquæ conſtruxit,vbi eiuſdem ſancti venerabile corpus cum multorum ſanctorum reliquiis honorabiliter requieſcit.In quo loco monachi ſe aſſerunt corpus beati Albani martyis quondam in Britannia paſsi, & beatæ Brigidæ virginis poſsidere. Præfatus vero Eblo poſt hæc cōtra Hūgaros pergens,apud vrbem Aurelianorum ab eis occiditur, vbi & ſepultus honorabiliter requieſcit. Hæc ille.

Quæ certè narratio nonnihil offendiculi ſecum adfert,cum cōſtet multo antè tempore extructum fuiſſe à diuo Sanſone cœnobiū: niſi dicas tum inchoatum, nunc verò mirificè auctum ſacrorum præſentia pignorum,& Eblonis huius cura & impenſis.

Quod autem de diui Albani martyris, déque beatæ Brigidæ virginis ſacris pignoribus hoc loco refertur, ex hiſtoria partim Anglica, partim Scotica collectū huc aſſuere minime pigebit. Refert Hector

Boetius beatam Brigidam Scotici generis, vno cum Patricio monumento fuiſſe conditam. Nihil tamen obeſt quo minus longo temporis tractu ſæuiente Barbarorum tyrannide iſtuc tranſlata fuerit.

Sic ergo ait Hector Boetius lib.9. Beda Columbam in Heu vita functum aſſeuerat: Hybernicarum rerum ſcriptores, in Duno oppido Hyberniæ: ibique magna veneratione eius extare monumẽtum, huiuſmodi ſupraſcriptione inſigne:

Hi tres in Duno tumulo tumulantur in vno:
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

Porro illud de diua Brigida alio loco recenſitum huc adferre libet:

Inter noſtrates Brigida ſanctiſsima virgo. Hæc decimoquarto anno vix ſuperaro, ad Sodorenſem epiſcopum in Monam inſulam (huius autem viri ſicuti aliorum complurium nominis memoria vetuſtate periit) paternis fortunis, quæ ampliſsimæ erant, contemptis, aufugit: precibus non ſine lachrymis petens, vt perpetuæ virginitati pontificia auctoritate addiceretur. Pontifex acceptam mira benignitate Brigidam, virginem deo ſacrauit: deditque vt alba tunica ſcortea intercincta zona vteretur: tegumento capitis lino candenti quadrato, à ceruice ad humeros deiecto. Effecta eſt eiuſdem virginis ad poſteritatem ob pietatem inſignem celebris adeo memoria, vt Scoti, Picti, Hybernici, & qui illis gentibus vicinas habẽt ſedes Angli, eam inter fœminas quas Chriſtiana eccleſia in ſanctorum numerum retulit, ſecundum deiparam virginẽ præcipua ſemper habuerint veneratione. Templa Brigidæ nomini inter hos populos ſacra, quot vix alicui⁹ diuorum, huius rei certa ſunt indicia. Defungitur tandem vita poſt plurima miræ ſanctitatis opera duodeuiceſimo Conradi regis anno. Cuius corpus ab Hebridibus, in Dunum (oppido eſt nomẽ in Hybernia) ferunt delatum: ac eodem loco cum Patricio Hybernicorũ Apoſtolo ſepultum. Noſtrates (nam & hi eundem honorem ſibi vendicant) diuæ Brigidę funus Abirnetho (aliud tum loco nomen fuit) in templũ ornatiſsimum, canonicis & presbyteris ad diuina exequenda inſtitutis, eius nomini dicatum, elatum conſtanter aſſeuerant.

Rem itaque (quantum ad præſens negocium attinet) in medio relinquo. De diuo autem Albano huc proferam quod ex ſententia Polydori Vrbinatis lib.2. colligitur:

Per idem (inquit ille) tempus (is autem erat annus humanæ ſalutis 300.) Britannia quoq; ſenſit ſæuitiam Diocletiani atrociſsimè Chriſtianos affligentis. nam templa euerſa, permultique pietatis cultores variis ſuppliciis excruciati, martyrij palmam tulerunt. In his (debacchãte impii principis per annos viginti quibus imperauit iniquitate) Albanus vir ſanctus ad municipium ſuum Verulanium detruncatus eſt, è regione eius loci. hodie pagus martyrio ſanctiſsimi viri nobilis, Phanum Albani nuncupatur, à fano quod ipſi diuo dedicatũ eſt, cum monachorũ cœnobio ordinis diui Benedicti multo celeberrimo. Ea autẽ labes, teſte Gilda, ita mortales generatim corrupit, ita Chriſtianam religionem exinaniuit, vt illa admodum in paucis integra remanſerit. Hæc ille.

Habuit Albanus Amphibalum virum pietate inſignem, & ab eccleſia apotheoſi donatum: de quo ad hunc modum Boëtius lib.6.

Crathlintus rex, ad ſe confugientes beneuolo affectu ſuſcepit, & vt in Mona inſula conſiderent, ſacra ibidem æde ipſius opera ſeruatoris nomine erecta, euerſis gentiliũ templis, Druidibúſque & eorum ritibus exterminatis, qui ad id tempus illic, vt Vetemundus memorię

prodidit,perdutauerant,conceſsit. Amphibalus Brito vir inſigni pietate primus antiſtes ibi creatus, Chriſti dogma per Scotorum Pictorúmque regiones propalando,multa contra gentilium religionem dicendo ſcribendóque, glorioſum & Chriſtiano viro planè dignum, multa ſenectute viuendo feſſus,fœlicémque ſortitus eſt finem. Sed & Crathlintus rex ſacram antiſtitis ædem muneribus ornauit amplisſimis,calicibus,patenis,candelabris, aliíſque ſimilibus ad ſacrorum vſum commodis ex argẽto auróque fabrefactis. Altaríque cupro & ære clauſo,prouentus ad ea ex agris in ſacræ ædis vicinia cõſtituit. Fuit id templum omnium primum Chriſtiano ritu,vbi pontifex ſacérque magiſtratus ſedem haberet primatiam,inter Scotos(cuius noſtri meminere ſcriptores) dedicatum. Nunc vocant Sodorenſe phanum,cuius nominis rationem ſicut aliorum complurium rerum & locorum vetuſtas ad poſteros obfuſcauit.

De Amphibalo autem aliud quidẽ refert Vrbinas, vt quem martyrio ad cœlum euolaſſe tradat, contrà quàm Polyhiſtor cenſet.ait enim,nõ violenta,imò verò annorum copia onuſta morte deceſsiſſe. Sic autem Vrbinas ait:

Eodem anno corpus diui Amphibali martyris, qui præceptor fuerat diui Albani,non procul phano ipſius Albani repertum, multa ceremonia in cœnobio diui eiuſdem collocatur. At hic de anno agitur Chriſtianæ ſalutis 1178.

Cæterum aliud quidẽ ſuper ea re differens Monumetẽſis ſic habet: Inter cæteros vtriúſque ſexus ſumma magnanimitate in acie Chriſti perſtantes paſſus eſt Albanus, Verolanus Iuliusque & Aaron vrbis Legionum ciues. Quorum Albanus charitatis gratia feruens,confeſſorem ſuum Amphibalum à perſecutoribus inſectatũ, & iam iámque comprehendendum,primũ in domo ſua occuluit, & deinde mutatis veſtibus ſeſe diſcrimini mortis obtulit, imitans in hoc Chriſtum animam ſuam pro ouibus ponentem. Cæteri autẽ duo inaudita membrorum diſcerptione lacerati,ad egregias Hieruſalem portas abſque cunctamine eum martyrii trophæo conuolauerunt.

Hæc idcirco retuli, vt ſuum cuique aut ſuſpenſum aut liberum maneat iudiciũ.indicis enim vice fungor potius q̃ aut teſtis aut iudicis.

De Gildaſio diuorum numero aggregato,id mihi dixiſſe ſufficiat, quòd Gildas alio nomine dicatur per quandam literarum affinitatẽ. Fuit ille inuector acerrimus in ſuorum temporum mores corruptisſimos, ideoque præſentem ſuis minabatur ruinam. Id quod eis accidit,quando de Albionenſibus in Anglosaxonum gentilitium nomen tranſierunt:adeò vt ſolum vertere, ínque continentis Britanniæ (vnde priſca eorum ætas emerſerat) remigrare compulſi ſint. Vnde & Monumetenſi authore ex Britannis Gallenſes dicti ſunt, non tam à Gallo hui⁹ nominis rege,Gallàve regina, (vt ille ſomniat) quàm à repetito Galliç ſolo. Sic ſolent res longo temporis decurſu in priſtinam redire naturam. Eſt enim Armorica in Gallia Celtica,nemine diſſentiente,conſtituta. Vt autem amplius aliquid dicam, Inſulares qui hodie extant Britanni, poſt adeptam à Gulielmo notho Galloneuſtrio victoriam, non iam deinceps tam Angloſaxones (gente ſcilicet exciſa)quàm aut Gallenſes, aut certè Gallobritanni ceu Galloneuſtrii dicendi ſunt à Gulielmi Nothi continua ſobole quæ in hunc vſque diẽ perdurat.

Vt autem cœptũ repetamus iter,quanti æſtimanda ſit diui Gildæ apud poſteros auctoritas,ex Polydoro Vrbinate diligẽter perluſtrato colligere promptum erit.

Tanti autem (quod ſatis conſtat) apud Anglicam gentem habita eſt Gildę auctoritas, vt Gulielmi Neuburgi (qui ſub Richardo primo ſuorum temporum hiſtoriam texuit) narratione illuſtretur.

Integritatis (inquit) ſitus (nempe Gildæ) non leue documētum eſt, quia in veritate promenda propriæ genti non parcit: & cum admodū parce bona de ſuis loquatur, multa in eis mala deplorat, nec veretur, vt verum nō taceat, Brito de Britonibus ſcribere, eos nec in bello fortes fuiſſe, nec in pace fideles. At contrà quidam noſtris temporibus, pro expiandis iſtis Britonum maculis ſcriptor emerſit, ridicula de eiſdem figmenta contexens, eoſque longè ſupra virtutem Macedonum & Romanorum, impudenti vanitate attollens. Gaufredus hic eſt dictus, cognomine Arthurus, pro eo quòd multa de Arthuro ex priſcis Britonum pigmētis ſumpta, & ab ſe aucta per ſuperductum latini ſermonis colorem honeſto hiſtoriæ nomine obtexit. Quinetiam maiore auſu, cuiuſdam Merlini diuinationes falſiſsimas, quibus vtique de ſuo plurimum addidit, dum eas in latinū tranſferret, tanquā approbatas & immobili veritate ſubnixas prophetias vulgauit.

Quod ad loci huius chorographiam attinet: id pro comperto habent omnes, inter Dolenſe olim caſtrum, nunc vero ciuitatenſe oppidum, & colliculum quem Dolenſem vocant, ad duo circiter milliaria diſsitum, & figura quadam bicornem (vulgus appellat Le mont Dol) medias intereſſe paludes: in cuius faſtigio viſitur ædicula, ea forſan quam Bernardus aſſeuerat per aquæ interſtitium fuiſſe conſtructam: quę non tam cœnobii figuram quàm veſtigium quoddam retinet.

Eſt etiam diœceſis illa (ſi ſoli quantitatem attendas) admodum anguſtis clauſa limitibus, variis tamen nec prorſus cōtemnendis, per varios Britanniæ tractus locupletata prouentibus. habet enim in ſuo ære ex Cornubia quinque parœchias, ex Rhedonibus duas: agros itē non paucos in Neuſtria non procul à ponte Audomari: è quibus cōiunctin pinguis prouentus colligitur.

Dolenſem (quod dicendum ſupereſt) pontifex Baldricus eccleſiā eruditione & auctoritate illuſtrauit. Is inquam Baldricus, qui Hieroſolymitanæ ſub Godofredo Buillionenſi duce expeditionis hiſtoriam texuit, ſtilo, quantū ętas illa ferebat, nō prorſus aſpernādo. Cuius etiā teſtimonium in Gallica ſua rapſodia Paulus citat Æmylius.

Eſt apud nos codex in eam rem editus typis nondum æneis excuſus. Qui & ipſe ſuę hiſtoriæ lib. 2. illud memoratu dignū in literas retulit: quod huc inſerere operæprecium duxi:

Turcæ (inquit ille) ſe de Francorum ſtirpe duxiſſe genealogiam gloriantur, eorumque proauos à Chriſtianitate deſciiſſe. Dicunt etiā nullos naturaliter debere militare, niſi ſe & Frācos. Si tamen ad Chriſtianiſmum vltronei redirent, tunc demum de Francorum proſapia exortos ſeſe rectè gloriarentur. Hoc ad præſens ſufficiat, quòd viri ſunt ingenioſi, callidi & bellicoſi: ſed proh dolor à deo alienati. Obfuſcatur ingenuitas illa, qua (ſicuti dicunt) oriundi emanauerunt, quia veræ oliuæ, quę Chriſtus eſt, neutiquam inſerti ſunt. Hæc ille.

Hæc ad rem Dolenſem pertinentia dixiſſe ſufficiat, ſi tamen de nominis etymo nonnihil attigerimus. Paſsim in templis legitur locū illū à dolore Dolum fuiſſe appellatum, dolore inquā concepto ex ea ægritudine quam loci domini coniux contraxerat. Sic enim lectio habet ad verbum:

Nomen autē illius beatus Sanſon Dolor vocari voluit, propter dolorem videlicet quem Priuatus pro infirmitate coniugis & filiæ diu-

mines nudi ſine verecundia incedebant,ſine religione & timore dei, ſed ſucceſſu temporum ad Chriſtũ ſunt teducti, maximè quatuot inſulæ. Aiunt ſingulas propriam habere linguam. Teneriſſa & Grancanaria,id eſt grandis Canaria, ſunt cæteris maiores. Teneriſſa videri poteſt à longe quinquaginta milliariorum Germanicorum interuallo,quaudo cœlum eſt ſerenum, idque ob hanc cauſam. Conſurgit in medio inſulæ petra quædam fortiſsima & maxima, quæ quindecim leucis putatur in altum erigi, expuitque perpetuò ignem haud ſecus quàm Aetna in Sicilia. Viuuntincolæ pane hordeaceo,carnibus & lacte. Abundant autẽ capris,onagris & ficubus. Carent vino & tritico.

Iam ex Canariẽſi digreſsione redeundum nobis eſt in Aletenſem portum,in quem diuum Maclouium ſeſe recepiſſe, ex Sigiberti ſententia ſuprà docuimus. Eſt autem(id quod nemo non nouit) mari imminens promontorium,vt ſi quod aliud in tota Armorica munitiſsimum emporium:vndecunque illuc aduentantibus ex longinquo nauigiis redundans, totóque ſuo penè ambitu marinis fluctibus cinctum, diurna pariter ac nocturna militari cuſtodia tutum,armato intus milite. Foris etiã canum immitium, ad numerum quinquaginta, aut latratu,aut morſu,ne quis accere audeat, mira vigilantia nocturno tempore vallatum,atque ita vallatum,vt anguſtiſsimus pateat aut in vrbem ingreſſus,aut egreſſus ab vrbe. Dicas nihilominus illic eſſe Copiæ quoddam cornu, omniúmque apothecam aromatum, atque adeò rerum omne genus venalium expeditiſsimum promptuarium, vnde non ipſa tantũ Armorica, verumetiã Neuſtria,quin & pro bona ſui parte Gallia, aduectis illuc mercibus commodiſsimè foueri poſsit.

Illud interim memoria dignum occurrit hoc loco minime prætereundum,quòd cum per Armoricam Oceano imminentem furiosè graſſaretur Normanica rabies,viſum eſt pelagi accolis,vt diuorum ſacræ reliquiæ,quò ab omni iniuria tutæ remanerent,in Galliam veluti quoddam aſylum transferrentur. Hinc ſecutum eſt, vt ex Rhedonenſi ſacro promptuario diui Melanii, ex Nãnetenſi verò diui Clari eius loci quondam præſulis, ad Bituriges aſſeruandæ reliquiæ tranſueherentur. Paríque opera curarunt Armorici ex Venetenſi templo diui Paterni, loci illius quondam præſulis,diui quoque Corentini Cornubiani pontificis,apud Maiuſmonaſterium oſſa traduci.

Neque his contenti, diuos Paulum, Florentinum & Tudigallum in Armorica olim paſtores, apud Carnutenſe templum condiderunt: apud Aurelios Sanſonem Dolenſem, inque ſubmœniis Pariſienſibus D. Turianum, diuum præterea Maglorium, extructo in eius memoriam nominis ac numinis templo, ita rem texentibus ſuperis, repoſuerunt.

Manſit nihilominus apud Aletenſes diui Maclouii nomen nulla obliuione delendum,quod in hunc vſque diem manet, æternúmque manebit. vulgus appellat Sainct Malo. Quinetiam apud Rothomageos in templo ſuo nomini dicato paſsim appellatur ſainct Maclou, de quo ſupra fuſius. Subit & illud hoc loco ex Sigisberto cõmemorare ſub annum domini 1181. Obiit vir venerabilis Albertus Aletenſis, quem moderni de ſancto Maclouio vocant: quæ olim ciuitas Aleta dicebatur.

Succeſsit elapſo quadriennio Petrus Gerardus, ſua ætate Rogerio Saiienſi præſuli coætaneus.

Eſt (quod nolim prætetire ſilentio)in Dolenſi agro cœnobiũ diuo

Machuto (quem Maclouium diximus) perenni memoria dicatum.

Habet inſuper Sammaclouiana diœceſis monaſtica templa quatuor: Bellolocenſe vnum (gal. Beaulieu) Auguſtinianæ familiæ eiuſq; profeſsionis Montfortenſe aliud: tertium Panipontanum: Vt ne etiam omittam Benedictinæ profeſsionis Pratenſem conuentum, diui Ioannis nomini ac numini dicatū. Patiūtur ſeu fontanæ ſeu putealis aquæ penuriā. abſunt enī à ſuauioris hauſtu ad milliaris ſemiſſem.

Hinc ad reliqua: Illud ſcitu dignum, quòd cum marinis gurgitibus ciuitas illa redundet, ne illi depereat hauſtus aquæ dulcioris, ſurfoſsis ſibi ſubterraneis canalibus à diui phano Seruatij fonte ſcaturiente ad ſemiſſem milliaris ab vrbe ſennoto, penuriæ ſuæ ita conſuluere ciues, vt illis ad neceſſarios vſus aqua dulcis ſuppetat abunde.

Quòd ſi diœceſeos totius ſeu in longum ſiue in latum menſuram ſcire delectat, experietur quiſquis ab Abrincatibus profectionem parat, à primo diœceſis illius exordio vbi Blanchum Eſſeum ſitum eſt Dolim verſus, ad ciuitatis mœnia trium ſpacium intereſſe leucarum: quæ vt plurimum apud Armoricas ſolent eſſe trimilliares. In quam etiam partem inclinat Aletenſe ſeu Sammaclouianum caſtrum ad leucas duas ab vrbe diſsitum: quæ domus eſt epiſcopalis.

Pari diſtantia ſemotum eſt caſtrum Sepimentum, aliàs Pleſſeium Bertrandi vulgo nuncupatum: quod nec multum quidē diſtat à Cancallio eius regionis vico, qui ſinuoſus eſt portus, nauigiis recipiendis admodum opportunus: & oſtreorum piſcaturæ vſu perpetuo commodus: vnde & prouerbium exiit: Faceſſe Cancallium, illic ad ſatietatem oſtrea deuoraturus.

Ab ea autē vrbe Rhēdonicos fines petiturus, conficere habet leucarum in vniuerſum enneadem, nempe aduſque Comburgum. Qui autem Sambriocenſem limitem attingere volet, ſecundum littus maris trium ad ſummum leucarum iter conficiet, vſque dum perueniat ad locum vernæ piſcaturæ, quem Sambriardum vocant: quo ſcilicet tempore maccareorum piſcium copia retibus intercipitur: idque ſub menſem Maium.

Habet & ipſa regio nobile emporium Dinantum, ampliſsima in ſuo meditullio dotatum area: quò ſcilicet per maris æſtuatium merces aduehuntur in tanta copia, vt vicinis quibuſque oppidis ſufficere poſsit. Alluitur enim Dinantum Rauſio flumine. Quod dum marino tumeſcit æſtuario, vndecunque aduectis mercibus iuſta recipit nauigia. Signat autem Alete nomen ſeu Alethes (ſi Græcam phraſim conſulas) minimè obliuioſum tenacique prǫditum memoria, fœlici quidem titulo, dum ſuo res ipſa nomini reſpondeat. Eſt autem mœnibus egregiè vallatum oppidum multis cœnobiorum titulis memorabile: vt Minoritanæ, Carmelitanæ, Dominicanæ inſufamiliæ ex profeſſo cultoribus.

His accedit redemptioni captiuorum addictum domicilium, nomini ac numini ſemper & ſup omnia benedictæ Triadis culturæ deuotum. Nec deeſt illi oppido Veſtalium virginum gynæcium: quibus omnibus eò loci quantum ſatis eſt alimenta præſtantur. Diſtátque ab Aleta ciuitate leucis propemodū quinque, medio circiter inter Sambricenſem regionem Rhedonicámque interſtitio.

Vt ne etiam omittam tegulariæ lapidicinæ inſulam Rauſio cinctam fluuio, non procul à Iouantę riuulo, vulgus appellat Iouāte. Dominum herumque ſuum agnoſcit à caſtro Brienneo ſeu (ſi mauis) ca-

ſtro tumultuante, Gallicè Chaſteaubriant: cuius cenſuræ paret & dirioni. Egregium ſanè & multa commendatione dignum hæc ciuitas nomen & omen habet, ſi græcam phraſin conſulas. Signat enim hoc vocabulum Alethia (ſi Latinè exprimas) veritatem. Et inde nonnulli Alethenæum vulgò dictum Athenæum, deduxerunt; locum ſcilicet ad inueſtigandam veritatem deſignatum, ad confluentiam Araris & Rhodani: nunc Athenatenſe cœnobium vocant. Quomodo ſimiliter dicuntur Conuenæ illuc confluentium hominum domicilium apud Nouampopulaniam, & Celtiberi, Gallorum Celtæ iungẽtes nomen Iberis. Dicebatur itaque Lugdunenſis ara, ad quam oraturi rhetores omni ex parte confluebant: quod attigit Satyricus, dum ait:

Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.

Hierarchiæ huic Sammaclouianæ proximè accedit Lãbalius ager, cuius incolæ priſco nomine (vt alias dictum eſt) vocantur Ambiliates, vulgò Lambalois: ſecundum littus Britannici pelagi: præſulémque agnoſcit Sambriocenſi eccleſiæ præfectum: cuius templum vallem occupat mediam: Quæ cæteris circuniacentibus ab Anglo aliquando occupatis locis, dũ inter Montfortenſem Bleſenſémque Carolum diuturno bello miſerè agitaretur Armorica, nunquam paſſa eſt hoſtile iugum, neque Angli vlla aut vi aut arte legibus ſubiacuit vnquam.

Lego Tudualum ex monacho apud Ambiliates poſtea Trecorenſem præſulem factum, ſub primum in Britanniam aduentũ, locum impetraſſe à Derocho Armoricorum principe, duobus ac ſeptuaginta collegis monaſticam religionem profeſsionis accommodum. Parochiæ illi nomen erat Magoer, in agro (vti dictum eſt) Lambalio.

Complectitur (quod ſatis conſtat) ſedes cathedralis Sambriocenſis, clauſtra monaſtica gemina, Præmonſtratẽſis familiæ vnum à Bello porto cognomentum habẽs: Benedictinæ alterum, diuæ virgini dicatum, cognomento Lantenac.

Quod ad hierarchicam pertinet dignitatem, vna eſt ex ſupernumerariis in pontificiam dignitatem erectis ſedibus: quandoquidem naſcentis ab initio in Britannia Chriſtianiſmi ſex numerabantur tantum pontificiæ ſedes, ſi vera refert Armoricæ enarrator hiſtoriæ, Iudualo ſceptra regiminis dirigente: Cuius cura & opera ex cœnobiticis oratoriis cathedrales eccleſiæ tres prodierunt: Trecorẽſis ſcilicet, Kaerfeutenſis, quæ paulò mox in ius noménque ac dirionem Dolenſis eccleſiæ demigrauit: & hæc (de qua ad præſens ſermo eſt) cœnobitica prius, poſtmodum vero ad põtificalc faſtigium erecta eccleſia. Sedem per id tempus Romanã moderabatur Pelagius pontifex vrbis & orbis, ídque ſub annũ ab orbe redempto plus minus 552. ſi creditur Sigisberto. Nam in chronologia variãt ſcriptores. Is eſt Pelagius, ſub cuius pontificatu (vt refert Bernardus Guidonius Britonicam hiſtoriam ſequutus) fama vitáque clareſcebat vnà cum Maclouio diuus Mainus (vulgus appellat ſaint Main, vel ſaint Meen.) Cuius, diuino aſpirante fauore & gratia rantũ valuit apud eximium in Britannia principẽ nomine Gohelum ſeu Iudicahelum penetrabilior omni gladio ancipiti exhortatio, vt abiecto mũdanę celſitudinis faſtu, princeps ille Gohelus ſeſe in arctum diui Maini cœnobium intruſerit, illic quod reliquum erat vitæ, arctiſsimis ſeueríſque diſciplinæ auſterioris

legibus religioſiſsimè peracturus. Et hic eſt diuus ille Mainus, cuius auxilium ad depellendos è corpore furfures plebs omnis implorat, ea quidem lege & omine, vt qui templi ſui limina petituri proficiſcuntur: non tam propriis quàm mendicato quæſitis & obtentis vitæ compendiis viam capiant, etiamſi ſint alioqui ditiſsimi qui ſeſe huic itineri conficiendo deuouerunt, non tam neceſsitatis ſubleuandæ quàm deprimendæ elationis animi & tetundẽdæ ſuperbiæ gratia. Qua tamen in re hac vna cautione opus eſſe dixerim, quòd quibus alias bona ſuppetunt vnde peregrinationi ſuæ ſatisfacere poſsint: ea, quæ alioqui pauperi ſubminiſtranda foret eleemoſyna ex ære proprio, occurrentis ex itinere pauperis & egeui inopiam ſubleuare teneantur. Sed id (quanuis non protſus ocioſè dictum) parergon ſit: quod qui legit intelligat. Video enim complures in hac temere hæſitare ſalebra, atque à recta plerunque deflectere.

Priuſquam Goheli principis commemoratio finem inueniat, non defuere viro huic ſanctiſsimo (quem Iudicaildim Meierus appellat in Flandrenſi ſuo chronico) non tam ampliſsimæ ſuæ ditionis quàm heroicæ ſanctimoniæ hæredes, VVinnocus ſcilicet & Iodocus vſque ad miraculum religione illuſtres. Quorum meminit ſub annum domini 687. Eodẽ (inquit ille) tẽpore quatuor religioſi viri, Quadanocus, Iudenocus, Madocus & VVinnocus venerunt ex Britannia ad diuum Bertinum abbam in Sithiu: quos poſtea cellam conſtruere iuſſit apud VVoromholt in cõfinio Flandrorum & Menipiſcorũ. Vvinnocus filius erat Iudicaildis regis Britanniæ minoris, idem frater Iudoci Pontiuenſis.

Iudocus itaque apud Pontiuum (Gallicè Pontieu, nõ vt falſo quidam referunt, Pontigni) ab Haimone comite Pontiuenſi beneuolè ſuſceptus, ſenticoſum ſolum obtinuit: in quo perpetuò anachoreſim exerceret. Extat hodie oppidum, quod ſancti Iodoci appellant, vulgo ſainct Ioce: quem ſuo carmine celebrat Rodolphus Agricola: cuius verba referam:

Regia progenies, veterum ſtirps clara Britannûm,
Ecce nitet rutila Iudocus luce per orbem.
Ingens quale micat ſydus, quo ſæpe viator
Nocte regens iter: & montis prærupta, vel vndas
Sragnantis fluuii, nigræve paludis hiatum
Effugit, & multo mercatur lumina voto.
Magna ſalus hominum: dubiis ſpes magnáque rebus,
Luctu magna ferens animis ſolatia preſsis.
Sydera qui meritis, qui terras nomine complet.
Hunc res nulla poteſt, non purpura murice tincta,
Non aurum, aut gemmæ, non aula tenere parentum.
Nec retinere poteſt miſeris mortalibus omni
Arte, labore omni per fáſque nefáſque petita
Imperii laus, & violentis gloria regni:
Quin ſpernax tumido calcet pede cuncta, petátque
Te pater ò ſuperûm: ſtudiis ingentibus illi
Quæreris: & ſolum te pectore concipit imo.

Et reliqua quæ ſequuntur elegantiſsima, quæ ex archetypo requirantur.

Senſit Rodolphus ille numinis in ſe fauorẽ: cuius non immemor

accepti, euchariſtico carmine gratiam retulit, ita inquiens:

Maxime confeſſor tibi nos debere fatemur
Quodcunque hoc vitæ eſt, quas cœli carpimus auras.
Tu varios inter iactatum frigora & æſtus,
Febribus & lacerum præſtas reualeſcere corpus.
Salue, iterum ſalue, & votiuas optime laudes
Accipias placidus, maioráque ferre volentes
Pauperis ingenii tenues ne deſpice riuos.

Et hoc quidem parergon.

Nunc quando quacunque opera data, mihi nō licuit cōpleto ordine, hierarchiarum Britanniæ diu ac multùm deſideratos catalogos recuperare: ſupereſt vt quæ ad nos peruenerunt fragmenta, in ordinem redigamus. Excutiendum itaque primum ſe offert Trecorenſe ſolum, de cuius nomenclatura ſuprà diſſeruimus. Reſtat de hierarchico eius ornatu nonnulla ſubtexere: ſi tamen hoc etiam præludii vice præmiſero. Trecorēſis, aliàs Laudruſciana, ſeu Kypercorentina ciuitas, & quantum augurari poſſum ex ſitu, Interaquenſis, vulgò Lantreiguet, hoc eſt, inter vndoſas aquas iure appellata, quantum vndecunque quæſitis ſuffragiis didiciſſe potui, diuum Tudualum peculiarem patrem & patronum agnoſcit: cuius memoria ſolenniter celebratur proxime feſtum diui Ioannis magno peregrinantium applauſu, vnà cum acceſsione indulgentiarum ampliſsima his qui confeſsionis ſacramento ſua crimina diluenda curant. Maris autem refluxu alluitur aduſque duo in altum milliaria, ad rupem ſcilicet Derianam, ad quam æſtu maris nauigia non ſine grandi prouentu perueniunt. Primus itaque apud Trecorenſes (quantum ex annalibus ciſmarinæ Britanniæ colligi poteſt) diſciplinæ eccleſiaſticæ inſtituendæ hierarcha præfuit diuus Tudualus. Is cùm foret Rumulonij ex Pompeia ſorore nepos, & Derocho in Armorica principi proxima cognatione iunctus: ex Britannia nauigans duorum ac ſeptuaginta diſcipulorum ſatellitio cinctus, Derochi cognati ſeſe fidei commiſit. A quo veluti beneficiarius fundum ampliſsimum recepit, in quo vnà cum ſuis cœnobium conſtrueret. nomen illi hodie eſt Lambabu, in Magoëra parœcia. Illic aliquantiſper commoratus, monaſticam vitam profeſſus, ſuæ profeſsioni reſpondens continentiſsimè vixit. Nec ea re contentus, beneficio vltroneo Derochus aliā illi ædi conſtituendæ aream in Trecorenſi ciuitate obtulit, pontificali eò loci ſede conſtituta, cui magna cum laude præfuit Tudualus.

Verùm Trecorenſium fines admirabili potius quàm imitabili & ſupra communem cæterorum aleam ſplendore illuſtrauit diui Iuonis heroica vita & doctrina. Hic Hoërello patre, Azora verò genitrice in Martiniana villa non procul à Trecorenſi ciuitate in lucem editus, vixdum puerilem egreſſus ætatem, iuris diuini ſimul ac humani peritiam adeptus eſt, Pariſiis primùm, dein verò apud Aurelios. Quo factum eſt, vt apud Rhedones cauſas forenſes agens, non niſi egenis, grauitérque oppreſsis, alienáque ope indigentibus perſonis præſidio foret. Illud primùm ſumma ope curans, vt ſi quos diſcordes offenderet, dirigere curaret in viam pacis. Cuius induſtriæ fama eò prouectus eſt, vt Rhedonenſi archidiacono primùm adiunctus, amanuēſis chirographarii ac ſigillatoris officio fungeretur. Subinde verò

à Trecorenſi præſule ad maiora vocatus, iuris dicundi officio imponitur. Demum controuerſiarum vndecunque occurrentium cenſurā pertæſus, theologi perſonam induens, ſacro decurionatu apud parœciam de Iohenec donatus, paſsim per pagos & villas quantumuiſque humiles caſas diuini verbi ſemina diſpergere aſsidua opera ſtuduit, pedeſtri itinere huc illúcque diſcurrens, forenſis ſtrepitus cura prorſus abiecta. Humili contentus pallio, nihil aliud quàm vel hoſpitalitatis, vel adminiſtrandi verbi diuini, aut certè diurnæ pariter ac nocturnæ orationis aſsiduo miniſterio ſe præſtabat adſcriptū. Trecorenſe templum, quod nihil aliud quàm ruinam minabatur, reſtaurandum curauit: quod quidem opus ad finem optatum perduxit, regnante apud Francos Philippo pulchro, Romanæ ſedis faſtigium tenente Clemente ſexto: cuius opera ac induſtria ſtatim poſt fata extrema apotheoſi donatus eſt. Sicque vti dum viueret, verbum eius quaſi facula ardebat: ita & poſteaquam ſeculo vale dixit, numeroſis effulſit miraculis, in vtroque ſic excellens, vt in vtro magis, non facilè diſcernere poſsis. Viſitur hodie apud Trecorenſem ædem tumulo conditus, eo poſt mortem illuſtrior, quo dum viueret, in ſpeciem abiectior videbatur: ex paupere diues, ex obſcuro illuſtris, ex deſpecto glorioſus effect°. Hic mihi quæſo videto diui Iuonis dotes ac titulos inſignes, quótque gemmis niteat eius honorata corona. Ex diſcipulo penè puero adoleſcens euaſit didaſcalus, non vnius tantum, verùm diuini iuxtà ac humani iuris peritus: ac ſubinde amanuenſium chirographariorū & orthographorum ſphragidophorus, ſigilliferum vocāt: pſeudographorum vero cenſuræ in Rhedonibus præfectus. Inde ad Trecorenſes euolans, controuerſiarum omnium forenſium in toto illo diſtrictu compoſitor ac dicæarcha & dici & eſſe meruit. Quod tandem pertæſus officium, praxi à tergo relicta, non iam iuris humani, verùm diuini potius verbi declamator efficitur. Sic enim erat in diuinæ ſapientiæ faris: vt qui in iure humano dicundo fuerat de rhetore conſul, is tandem fieret de conſule rhetor, ſatórque verbi diuini. Quid plura? cùm in reliquis cæteros, hac certè in re vicit ſeipſum, quòd præter cæterorum morem non tam alienis quàm propriis ſtipendiis in hac ſua arena certauerit: quódque magis mireris, iis à quibus iure precium recipere poterat, ſtipem numerauerit minimè contemnendam. Nulla in re, hac ſaltem parte diuo Paulo aſymbolus, qui in hoc vno gloriabatur, quòd nullo ſtipendio ab his quos catechizabat, recepto, ſibi ſuíſque alimenta comparare curaret, ex grammatophoro bibliophorus factus, hoc vno contētus codice, cui & indormiret & inuigilaret: reliqua omnia ſecum portabat, clathro pro ſtragulis contentus.

Nec pudor in ſtipula modicam cœpiſſe quietem,
Nec petram (aut codicem) capiti ſuppoſuiſſe ſuo.

Quin & tu quoque preſsius conſidera Iuonianæ nomenclaturæ ſecretius arcanum. Eſt enim Iuo triliterum nomen, ex iota minima vocali, quæ humilitatis faciem præfert. o mega verò maxima, qua eius magnanimitas deſignatur & ſanctimonia: u verò media, quæ per ſe quidem, vocalis eſt: cæteris adiuncta, conſonans. Vtrunque teſſeram huius præconis Euangelici, qui ſic veritatem docet, vt ne ad latum quidem vnguem ab orthodoxa veritate diſcordet. Dicas eum fuiſſe vocem clamantis in deſerto, quandò & illi mundus crucifixus erat, & ipſe mundo. Sicque factus eſt ex Iuone diuus in diuorū numerum relatus: Trecorenſibus ſuis factus tanquam ſtella in medio nebulæ,

Sed neque id omiſerim, quod ad huius loci hiſtoriam à Sigiſberto, eiúſve ſupplemẽtario relatum eſt, ſub annum domini 1175. quod ſic habet. Gulielmus epiſcopus de Triguer viuendi finem facit. Iuo Brito archipreſbyter Turonenſis ei ſucceſsit. Mox ſequitnr. In loco etiam Hamonis epiſcopi Leonenſis electus eſt quidam archidiaconus eiuſdem eccleſiæ non canonicè ſed ſimoniacè etiam cum gratia tam cleri quàm populi: ſed prohibente Iocio Turonenſi archiepiſcopo, ſucceſsit Barptolomæus eiuſdem eccleſiæ decanus, iuuenis ſtrenuus, genere nobilis.

Habuit ſibi contemporaneos Trecorenſes præſules: quos verbo erudiebat & exemplo, Alanum & Gofredum: qui per id tempus ſucceſsiuis temporibus eccleſiam rexere cathedralem. Seculo vale dixit in domo propria Kaermartina: quod nomen ſi interpreteris, non aliud ſignat quàm palatium Martini. Idque ad annum 1303. Apotheoſi donatus eſt decimo poſteaquam deceſſerat anno, poſt ſcrutinium duorum & quinquaginta teſtium approbatũ ſuper vita & moribus. Miraculorum autem veritatem & certitudinem approbarunt teſtes ſupra centuriam vnus ac nonaginta. Initium viuendi acceperat ſub Trecorenſi præſule, finem verò habuit ſub Iuone ſibi cognomine. Poſt omnia pontifex Romanus hoc eum decorauit elogio: Gaude & lætare habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus.

Proximum eſt vt Veneticum aggrediamur territoriũ, multis nominibus etiam apud priſcos authores celebratiſsimum: hinc Ligeri, inde verò pelagi alluuione locupletatum.

Venetica ciuitas, quin & Venetenſium regio vniuerſa, non tam priuatis ſuorum heroum à ſuſcepta fide Chriſtiana ſplẽdidiſsimis radiis illuſtratur, quàm etiam veterum ſcriptorum monumẽtis elegantiſsima apud poſteros memoria adornatur, idque potiſsimũ authore in ſuis de bello Gallico commentariis dictatore Cæſare. Erat enim per id tempus ad terra marique bella gerenda ſitu aptiſsima, in Ligeris fluuii partim, partim verò in maris Oceani conſtituta limitibus. Neque enim erat in tota Armoricorũ regione gens vlla aut ad bella gerenda promptior, aut ad nauigia exercenda munitior, terreſtri iuxtà ac nauali bello ſeu inferendo ſeu etiam ſuſtinendo præpotens. Vt ne etiam illud omittam, quòd Cherſoneſus illa Venetorum ciuitas ab his Venetenſibus nauigio illuc euectis priſcam partim traxit originem, partim verò à Paphlagonibus Græciæ incolis. Sicque cum ex vtraque gente conflata fuerit Venetorum latiſsimè patens ditio, Græco ſuppreſſo nomine ſuam ab Armorica gente nempe Venetica ſortita eſt appellationem. Quanti autem Venetenſium gentem Cæſar dictator æſtimauerit, ex ſuis ipſius non vno loco commentariis elicere promptum eſt: P. inquit, Craſſus adoleſcens cum legione ſeptima proximis Oceano in Andibus hyemabat. Is, quòd in his locis inopia frumenti erat, præfectos tribunóſque militum complures in finitimas ciuitates frumenti commeatuſque petendi cauſa dimiſit. Quo in numero erat T. Terraſidius miſſus in Vnellos. M. Trebius Gallus in Curioſolitas. Q. Velanius cum T. Sillio in Venetos. Huius ciuitatis eſt longe ampliſsima authoritas omnis oræ maritimæ regionum earum, quòd & naues habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare conſueuerunt, & ſciẽtia atque vſu nauticarum rerum cæteros antecedunt, & in magno impetu maris, atque aperto, paucis portibus interiectis, quos tenent ipſi, omnes ferè qui eodem mari vti conſueuerunt, habent vectigales. Ab iis fuit initiũ retinendi

Sillii,atque Velanii, quòd per eos,ſuos ſe obſides, quos Craſſo dediſſent,recuperaturos exiſtimabant. Horum authoritate finitimi adducti (vt ſunt Gallorum ſubita & repentina conſilia) eadem de cauſa Trebium Terraſidiúmque retinēt, & celeriter miſsis legatis per ſuos principes inter ſe coniurant,nihil niſi communi conſilio acturos,eundemque omnis fortunæ exitum eſſe laturos:reliquaſque ciuitates ſolicitant,vt in ea libertate quam à maioribus acceperant, permanere, quàm Romanorum ſeruitutem perferre, mallent. Omni ora maritima celeriter ad ſuam ſententiam adducta, communem legationem ad P. Craſſum mittūt: Si velit ſuos recuperare, obſides ſibi remittat. Quibus de rebus Cæſar à Craſſo certior factus, quòd ille aberat longius, naues interim longas ædificari in flumine Ligeri, quod influit in Oceanum,remiges ex prouincia inſtituit,nautas gubernatoreſque comparari iubet. His rebus celeriter adminiſtratis,ipſe cum primum per anni tempus potuit,ad exercitum contendit. Veneti reliquæque ciuitates cognito Cæſaris aduentu,ſimul quòd quantum in ſe facinus admiſiſſent intelligebant, legatos, quod nomen apud omnes nationes ſanctum inuiolatumque fuiſſet, retentos ab ſe, & in vincula coniectos, pro magnitudine periculi bellum parare, & maxime ea quæ ad vſum nauium pertinerent, prouidere inſtituunt, hoc maiore ſpe, quòd multum natura loci confidebant, pedeſtria eſſe itinera conciſa æſtuariis, nauigationem impeditam propter inſcitiam locorum paucitatemque portuum ſciebant. Neque noſtros exercitus propter frumenti inopiam diutius apud ſe morari poſſe confidebant. Ac iam vt omnia contra opinionem acciderent, tamen ſe plurimum nauibus poſſe:Romanos neque vllam facultatem habere nauium, neque eorum locorum vbi bellum geſturi eſſent, vada, portus, inſuláſque nouiſſe: ac longè aliam eſſe nauigationem in concluſo mari, atque in vaſtiſsimo atque apertiſsimo Oceano perſpiciebant. His initis conſiliis,oppida muniunt,frumenta ex agris in oppida comportant.Naues in Venetiam, vbi primùm Cæſarem bellum geſturum eſſe conſtabat, quamplurimas poſſunt cogunt. Socios ſibi ad id bellum Oſſiſmos,Lexobios,Nannetes, Ambiliates, Morinos, Diablintres, Menapios adſciſcunt. Auxilia ex Britannia,quæ contra eas regiones poſita eſt, accerſunt. Erant hæ difficultates belli gerendi,quas ſuprà oſtendimus. Sed multa Cæſarem ad id bellum incitabant, iniuriæ retentorum equitum Romanorum,rebellio facta poſt deditionem,defectio datis obſidibus,tot ciuitatū coniuratio:in primis, ne hac parte neglecta,reliquæ nationes idem ſibi licere arbitrarentur. Itaque cum intelligeret omnes ferè Gallos nouis rebus ſtudere,& ad bellum mobiliter celeritérque excitari, omnes autē homines libertati ſtudere, & conditionem ſeruitutis odiſſe, prius quàm ciuitates plures conſpirarent, partiendum ſibi ac latius diſtribuendum exercitum putauit.

Vides,his perlectis, quantum momenti haberet hæc Venetia non per vniuerſam ſolùm Galliam, verùm etiam ad tuēdam inſulam Britannicam, ne Cæſarianis facilis ad eam pateret trāſitus. Ea ſiquidem vna ciuitas terra marique potens, reliquis erat vice propugnaculi. Quod nec ipſe Cæſar tacuit, dum ait, vno aduerſus eos prælio ex malacia pelagi caſu ſuperueniente, bellum Venetorum totiúſque oræ maritimæ fuiſſe confectum.

Ad rei Veneticæ ſplendorem memorabilem pertinet arx illa Hereminica, quam vocant Le chaſteau d'Hermine, ex qua veluti ex equo Troiano, fortuitorum euētuum caſus innumeri prodiere,creta

quandoque, quandoque verò carbone notandi. Nondum enim arce conſummata Oliuerius Cliſſonus ad loci illius anguſtias fraude allectus, illic concluſus eſt, arctiſsimiſque vinculis conſtrictus: vnde malorum ilias per multa ſecula ſubſequuta eſt. Eſt autem arx illa totius Britannicæ ditionis munitiſsimum iuxtà & ineluctabile propugnaculum, inter æſtus oceani ac Ligeris extremum gurgitem ad hoſtes vtrinque arcendos ſummopere opportunum, ita vt Britonici tractus aduerſus externos impetus pro puppi & prora habeatur. Nec procul à Venetenſi ciuitate Siāpenſis comitis generoſa proles ſtatim à prænatura morte in Carmelitanæ familiæ templo non procul ab ea ciuitate ſepulchro conditur. Eſt etiam non procul à Venetenſibus domus quædam amœnitatis, in qua illuſtris domina Pollentia regis Siciliæ proles ſeculo vale dixit. funus inde delatū in Franciſcanæ familiæ templum intra mœnia vrbis Veneticæ. Fuit & locus ille inſignis vinculis ad mortem vſque perdurantibus principis Ægidii fratris Franciſci ducis Britonici, ob ſuſpicionem latentis fœderis cum hoſte Anglo aduerſus fratrem ſuum Franciſcum clandeſtinè (vt videri poterat) initi. Accedit ad Veneticæ vrbis notatu dignam memoriā, Franciſci ducis mors inſperata in eo quem amœnitatis locum vocāt domicilio, non ſine graui anxietate animi ob extinctum ſuo ductu & auſpiciis fratrem Gillium. Corpus frequēti pompa, cum celebrarentur generalia Minoritanorum comitia, delatum eſt in Rhedonenſe monaſteriū. Sed & eò loci capitali pœna damnati ſunt qui in necem Gillii principis conſpirauerant, Raſardus, Rouſellus, Cheſeios, & reliqui cōiurati. Diuus præterea Vincētius familiæ Dominicanæ apud Veneticos venerabili funere ſepultus, quo ſcilicet loco diem clauſerat extremum: apotheoſi donatus eſt, eiuſque corpus ſolenni pompa in theca ſacratiore reconditum fuit ſub annum domini 1456. Acceſsit ad ea omnia quæ prædicta ſunt, dira calamitas Gulielmi Caſuini apud arcem Herminicam in vincula coniecti ad extremam vſque inediam redacti, & nocturno poſtmodum ſilētio ad ſepulchrum delati apud Franciſcanos à quatuor veſpillonibus omnium quos ætas illa aluit ſordidiſsimis, odio & inuidia quæſtoris Landenſis, vulgo Le Landoys, qui non multo pòſt elapſus ab hoſtium manibus, ægrè mortem euadere potuit, principū & populi vrgente querela. Hanc inſuper vrbem Veneticam memorabilem reddidit funeralis pompa Arthuri Britoniæ ducis: cuius corpus extinctum magno relicto ſui deſiderio ibi monumento conditum eſt ſub annū domini 1312. Nec multò pòſt multis agitata fuit ciuitas illa in vtramuis partem fortunæ inclinantis fluctibus, cum ſcilicet dubiis victoria pennis incerta volaret inter Bleſenſem Pontiberæ Comitem, ac Montfortenſem, eiúſve vxorē. Primúmque ſtetit victoria apud Montfortenſem poſt acrem inſultum, qui perdurauit ab ortu Solis ad occaſum. Non ita multò pòſt Cliſſonus à parte altera ſtans, pertinaciſsimè vrbem oppugnans, eam tandem expugnauit, & Bleſenſem Comitem imperata facere compulit. Reſtiteruntque Venetici Odoardo Anglo ingredi volenti, ita vt ſpe ſua fruſtratus, Rhedonenſibus & Nannetenſibus à tergo relictis, Dinantum inuaſerit, oppugnatumque tādem expugnauerit. Continuò verò eò deuentum eſt, vt Gallus & Anglus in agro ipſo Venetico caſtra ſua figerent, proximè alter in alterum moturi ad extrema vſque pericula, niſi interueniſſet Clementis ſexti Romani pontificis auctoritas: qui ſpe ineundæ pacis inter vtranque aciem penitus abiecta, triennalium ſaltem pacta obtinuit induciarum, ſub an-

num domini 1343.

Meminit Ptolemæus coſmographus Viduani portus: quã in re hal lucinatus Villanouanus, tanquam vacillans extra legitimum locum, reponit pro portu ciuitatem Virelene: non ſatis intelligens quid diceret. Etenim Vigelania fluuius gallicè Vigeleine, corruptè Villaine: in quem fluuium mari proximum delabitur Oud' fluuius pone Loudeacum ſupra Ioſſelinum ad quinque leucas deſuper alluens Rhohanum caſtrum: deinde vero Maleſtrictum, vulgo Maleſtroict: idemque prætériens Rhodonium oppidum, à Vigelania fluuio abſorptus ripã maris ingreditur. Et hunc crediderim Vigelanium portum, non Viduanum: cuius meminit Ptolemæus, quem appellare oportuit Vigelanium. authorem habeo Nicolaum Reger, qui nobis ſuo marte editas Ptolemæi tabulas gemino ſchemate, veteri ſcilicet ac recentiori reddidit. Ille in veteri ſub Veneticis Viduanum portum reponit: cuius ſuprà meminimus. Nec procul ab ea ciuitate ſtatuit Ferium fluuium in vtraque & recenti tabula & vetuſta.

Prędictis attexere libet eam quam de ripenſi Britannia in tabulari ſua deſcriptione ſequi viſus eſt Ptolemæus chorographicam rationem, ab occaſu in ortum. is inquam Ptolemæus à Gobeo promontorio hodie vocato le fourc, à furca vel fornace, vbi mare æſtuare ſolet veluti in fornace ignis, Oſsiſinos prorogat vſque ad Titi fluminis oſtia: inqúe eo tractu Britanniæ ripenſis ad littus Oceani ſitę, Saliuncanum portum deſignat: qui hodie Sancti Pauli diœceſi comprehenditur, ſecum accumulans æſtum maris diui Matthęi, vulgo appellatum Les vades ſainct Mahe: vnà cum propugnaculo de Morlaye. Ponè ſequitur Landruſcus, vulgo Lantreguet. Quem deinde ſequitur ora maritima diui Brioci. Iũctimque ſequitur Aletenſis diœceſis titulo diui Maclouii: cui adhæret Dolenſis epiſcopatus vſque ad Titi tium ſeu Titum fluuium, quem hodie vocant Cœſnum, non leuis eſt coniectura: inter quem & Argennam fluuium interſerit Ptolemæus Biducenſes. Sub quibus comprehenduntur Cæſarisburgum, Abtincates, Conſtantia maritima, Vallones, & alia nonnulla circunſtãtia oppida. Deinde ab Argenna, quæ & Arigenis appellatur Ptolemæo, quæ nomen priſcum etiamnum retinet, ad Oleram Bienellos reponit, quos hodie Bellocaſsinos, Virenſes, Eſtrehamos, Carentanos, non abſurde æſtimaueris, vulgo Baieux, Vire, Eſtreham, Carentan. qui omnes dicuntur Hermiones ripenſes, ſeu littorales, in partem vergentes Septentrionalem. Pars alia continentis Britanniæ (ſi Ptolemæum audimus) ad auſtrum vergens, Guiberi promontorii & Ligerini fluminis oſtiis circunſcribitur: illicque ſiti ſunt vna ex parte Veneti, parte altera Coroſopitenſes Cornubiani, vulgo Vennes & Cornoaille. Eſt autem duplex Galliæ ſeu VVallię cornu: inſulare vnum in Anglia: aliud verò in continente Britannia. Eſt autem Britannia continens, inſularis Britãniæ altrix & aſylum. Quod ex eo conſtat, quòd ab ea ad inſulam primi tranſmigrarũt incolę: qui deinde à barbaris exploſi & fugati, in cõtinentem tanquam in aſylum redierunt: vti alio dictum eſt loco. Hæc dicta ſint ex Ptolemæi deſcriptione vetuſta. Porrò ſecundum hoc Vigelaniæ flumen ac inſulæ caſtrum pone Bernardi rupem diem clauſit extremum Arthurus Britannus.

Sequitur tandem nouiſsima tabula Britãniæ Ripenſis ab hac deſcriptione non parum diſcrepans: nec mirũ. edita enim eſt poſt multos longæui temporis annos. quælibet enim ætas ſuam ſecum adfert

locorum iuxtà ac nominum altetationem diuerſam. neque id mirũ: quandò vt ille ait,

Tempus edax rerum,tuque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus æui
Intempeſtiua conſumitis omnia morte.
Singula ſic exorta cadunt,atque aucta ſeneſcunt.

Hactenus in ethnicis teſtimoniis progreſſum ſit. Illuſtratur nihilominus multo fœlicius ac glorioſius gens iſta Venetica ſuorũ qui non ſine fœlici memoria in fata conceſſerunt, heroum, quod ad religionem Chriſtianam pertinet, numeroſis geſtorum præconiis.

Ex quo primùm tempore Venetica magna ex parte regio legem Euangelicam in ſeſe recipere aggreſſa eſt, non paucos ſortita eſt ſeu municipes,ſeu etiam præſules, quorum illuſtri memoria meritò gaudere poſsit & gloriari. Primus omnium ſtatim à fide ſuſcepta Venetenſium neduin pontifex, imò verò Apoſtolus, natu etiam Veneticus,ex Hibernia ad quam rransfretauerat, reuerſus,protopræſul Veneticæ ciuitatis efficitur,Paternus nomine: qui ad differentiam alterius Paterni,vulgò appellatur Saict Pater: cùm noſter familiari idiomate apud nos vocetur Sainct Poix. Qui nihil moratus,ſtatim à fundamentis erexit matricem eccleſiam Deo,Deiparæ virgini,diuiſque Petro & Paulo Apoſtolis ex profeſſo dicatam.Cui mox ſucceſsit Gobrianus alter à primo pontifex,genere clarus,vita clarior, miraculorum copia clariſsimus. Paſsim enim igne ſacro laborantes obuios quoſque nullo negotio curabat. Inde ſequutum eſt, vt cùm ad eum vndecunque eo ægritudinis genere laborantes turmatim affluerent, compulſus ſit diuus ille pontifex ab vrbe ſecedere, ne ſcilicet ægrotantium contagione vrbs ipſa inficeretur. Volens itaque manſuetus ille pontifex tumultuantium cedere furori,ne torrenti ſe opponeret, ſeceſsit in locum ſolitarium,anachoreſin exercens pone flumẽ quod Oudum gens illa appellat. Illicque vitæ ſuæ decurſum poſt multos algoris inediæ & vigilantiarum exantlatos labores fine concluſit optato,diúque deſiderato, cupiẽs ipſe cum Paulo,diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Neque fruſtrãda eſt Venetica ciuitas ſuo honore ex Melanii (cuius aliàs meminimus) Rhedonẽſis præſulis progenitura recepto. Fuit enim Venetenſis municeps ſuo ortu Melanius,rametſi prælatura Rhedonenſi præfuerit eccleſiæ. Suis itaque natalibus Veneticam, Rhedonicam verò pontificatu ciuitates decoratas reliquit.

Ad gloriæ cumulum facit diui origo Albini: cuius ad calendas Martias annua memoria ſolenni celebratur officio. Suo ille ortu Venetinam perpetuò ciuitatem memorabilem reddidit. Qui ſtatim à primæua ætate deliciarum ſeculi ponte à tergo fracto, monachiſmũ profeſſus eſt. Subinde vero annum ætatis adeptus quintum ac trigeſimum,ad cœnobii regimẽ aſſumitur,id muneris accuratiſsimè & vigilanter exercens annos totos quinque & viginti,vſque dum ſexagenarius factus Andegauorum cathedræ præficeretur: in qua ad annos viginti nunquam non clauum rectum tenens, miraculis coruſcus, octogenarius gratia ſanitatum etiam poſt obitum inſignis,hinc fœliciter migrauit ad Chriſtum. His itaque viris veluti precioſis gemmis Veneticus ager perpetuò dicetur illuſtris: vt interim omittam quãta rerum in eo geſtarum copia exuberet.Quæ omnia aſſequi poterit lector ex controuerſia orta inter Bleſenſem ac Montfortenſem principes, ex Anglicæ hiſtoriæ libro nono apud Vrbinatem Polydorum. Quod ſupereſt ad rem Veneticam pertinens, lego apud Sigibertum

Venetenſium præſulem nomine Ruandum ex Ciſtercienſium familia,rem eccleſiaſticam ſumma cum laude rexiſſe, aliquanto pòſt tempore archidiaconum Rhedonenſem nomine Guienochum ad huiuſce eccleſiæ moderamina regenda aſſumptum ſub annum domini 1181. A cæteris abſtineo ob catalogi penuriam, quem, tametſi diu deſideratum, obtinere non potui. Illud adieciſſe, tametſi aliqua ex parte ominoſum,malum tamen pro occaſione oblata neceſſarium: quòd ſub annum à natali Chriſtiano 1427. Almaricus Venetenſis epiſcopus, cæterorū Britanniæ præſulum accedente conſenſu,Ioannis ſcilicet Nannetici, Stephani Dolenſis, Sammaclouienſis Guliel-mi,Ioannis item Trecorenſis,ſeu volens,ſeu nolens neceſsitate quadam adactus, vrgente Anglorū prorege Betfortenſi principe, in verba regis Anglorum iuraſſe legitur. Sed id parergon.

Nunc ad Sambriocanæ hierarchiæ contextum ſtylum cōuertere liber. Qui hodie Sambriocani vocantur, gallicè Sainct Brieu, aliàs Sainct Brieu des Vaulx: hi (niſi vehemēter fallor) ex deſignata Ptolemæi locorum affinitate, dicendi veniunt Biducenſes primaria appellatione. Nam ſancti Brioci nomen neotericum eſt,ac (vt ſic dicā) penè heſternum. Atqui Biducenſes Ptolemæus conſtituit ad oram maris non procul à Trecorenſibus ac Dolenſibus,qui aliàs Diabilintres appellantur.Habuere itaque multis ante diuum Briocum & diebus & annis,à primo aſſumptæ religionis exordio templum diui Stephani protomartyris nomini ac numini dicatum, antequam illic inſtitueretur cathedralis eccleſia. Ea enim eſt vna de ſupernumerariis, quæ ad cathedralem poſtea labētibus annis authoritatem peruenit. Cuius ſodalitium præter ſummum decurionem (decanum vocant) Archidiaconos geminos, Theſaurarium, Scholaſticū, & Cantorem, adiecto etiam Succentore, viginti canonicos complectitur. Præſules autem in huiuſmodi eccleſia eminentiſsimi fuere, diuus, qui in manibus eſt,Briocus. Diuus item Gulielmus, ambo apotheoſi donati: de quibus ſigillatim ſermo habēdus eſt. Fuit in primis diuus Briocus ſolo natali Hybernus,patria Coricianus,quos (niſi fallor) Coriundos Ptolemæus vocat, eoſque conſtituit ſupra Brigantes. Niſi quis malit tractum illum oræ maritimæ ad Ambiliates referre, qui tamen nunc ſubiacent Sambriocanæ ſpirituali cenſuræ.Hi enim Ambiliates cenſentur, quos hodie appellamus Lambalois: quorum oppidum ſex tantum milliaribus, non quidem Italicis, ſed Britonicis, hoc eſt miliaribus duodeuiginti, diſtat à ciuitate Sambriocana: cuius pontifici parent in his quæ ad religionem ſpectant, latius extenſo nomine ab oppido ad circunſtantem regionem: quemadmodū Pariſiorum nomine non ſolum Lutetia intelligitur, imò & ea quæ in gyrum longè lateque extenditur ad certos vſque limites ſoli portio. Ceſsit tamen ethnica nominis ratio Chriſtianæ in rebus ſacris authoritati, ita vt Tros Tyriuſque ſimul nullo diſcrimine habeantur, ſi vocabuli rationem attendas. Contrà verò Lambalius ſubiacet Sambriocano in his quæ ad religionem pertinent. Verùm de Lambaliis mox dicetur, ſi prius expediuerimus hierarchiæ illius de qua agitur, hiſtoricam texturam. Quod autem ad Coriciorum rationem pertinet,extra ſolum Hybernicum ex Ptolemæo in Vnellis non procul ab Ambiliatū ſitu diſtantibus, ſed neque à Biducenſibus, vt vtrum velis eligas, inuenio locum appellatum Crociatonum, haud ſcio an aliquid ſymboli habeat cum Coriciorum vocabulo,aliquantiſper immutatis elementis, id quod frequenter vſuuenit in coſmographia, vt dictio vna in alte-

tius co-

rius coloniam tranſmuretur. Quod ſi verum eſt, diui Brioci proſapiam non tam ad Hybernos, quàm ad propinquiores Vnellos referemus. Suo tamen cuique ſeruato iudicio. Nihil enim iſthic præter coniecturam habeo. Iam (vt cætera proſequamur) diuum Briocum coætaneum fuiſſe lego diuo Germano Pariſienſi præſuli. Sub eius enim diſciplina multo tempore, obnixè ad id laborantibus ac demiſsè ſupplicantibus parentibus, alitus eſt atque educatus. Habuit igitur diuus Germanus huius curam educationis, vita & moribus clariſsimus ſub annũ domini (multis annis ſuccedentibus antequã octogenarius ſeculo vale dixiſſet) quingẽteſimum plus minus qudrageſimum. Qui obuia quæque bonarũ literarum primordia mira ingenii celeritate cõplectebatur memoriæ theſauro fideliter recondens: nihil interim omittens eorum quæ ad continentiæ & ſobrietatis rationem pertinerent: quandoquidem vix duodennis, biduanis ſæpenumero ac triduanis ieiuniis corpus macerabat, nihil aliud quàm anachoreſin ſpe deuorans: vna tantum obſiſtebat mollis admodum texturæ complexio. Quid plura? Eò tandem deuentum eſt, vt fama crebreſcẽte de eius vita, moribus, ac perſpicaciſsima literatura ad ſedem quæ nunc Sambriocana, prius autem Sanctovincentiana dicebatur, à primo eccleſiæ patrono volẽs nolens aſſumeretur. Qui nunquam ſui oblitus officii, fœlici tandem fine ad extremum vſque vitæ limitem ſine intermiſsione perdurauit. Multis ſubinde annis à ſua ſepultura apud Andegauos delituit. conditus enim ſepulchro fuerat apud ædem ſacram beatorum Sergii & Bacchi, vſque ad tempora Petri Briocenſis antiſtitis eò loci quieſcens, ad vſque annum ab orbe redempto (vt ne amplius dicam) milleſimum centeſimum decimum. Fides ſit penes authorem. Petrus enim à ſuo clero vehementer inſtigatus eò perrexit vbi ſacra eius pignora aſſeruabantur, nec à cœpto propoſito deſtitit, vſque dum à loci illius cœnobiarcha impetraret ſacrorum pignorum multis votis expetitam receptionem. Tumuli eius inſcriptio hæc erat: Hic iacet corpus beatiſsimi confeſſoris Brioci in Britannia epiſcopi: quod Hyliſpodius rex Britannorum ad ſuam baſilicam deponendum curauit. Delatæ ſunt ſacræ reliquiæ miro odore fragrantes ad eam quam viuens rexerat eccleſiam: illicque in precioſa theca auro gemmiſque ornata, religioſiſsimè reconditæ, magnóque præſulis totiúſque populi applauſu receptæ: quo ſcilicet die diui Lucæ Euangeliſtæ dies agebatur ſolennis, cum apud Britannos ſceptra teneret generoſiſsimus comes Alanus. Quibus ſolenniter peractis, in ſuam quiſque domum cum ingenti animi alacritate ſe recepit, gaudentibus cunctis quòd quem in viuis habuiſſent præſulem, eum tandem mererentur habere patronum ac protectorem: vt cuius ope ac ſubuentione pax eò loci ſtabiliretur, exularet ſterilitas, bonorúmque omnium fœcunditas abundè ſuppeteret, cùm eius quidem patrocinio, tum verò & maximè ſemper & ſuper omnia benedictæ trinitatis præſentiſsimo auxilio: cui laus & gloria nullo ſeculorum interitura volumine.

Hactenus de diuo Brioco: cui ſucceſsit diuus Gulielmus vitæ ac miraculorum candore ac ſplendore nihilo inferior. Ipſe enim fœmineis illecebris ſolicitatus, ac nocte penè circumuentus, è lecto exiliens tanquam à facie colubri procul aufugiens ſuæ conſuluit integritati. Sed & ſpontaneam ita excoluit paupertatem, vt cunctis in

vſus pauperum erogatis, vix vnde teſtamentum faceret, reſeruauerit. Orationibus iugiter vſque adeò intètus, vt præter horarium penſum pſalterij cantiones omnes nullo non die legendo percurreret. Quin & ſpreto grabato humi decubans noctem magna ex parte ducebat inſomnem, tanta cibi potuſque tenuitate contentus, vt abſtemius pene advſque mortem vixerit. Et inde ſequutum eſt, quòd miraculis clarum eum dominus fecerit, nempe puerorum à morte excitatione, atque amputatæ à fœmina mamillæ reſtitutione: mulieris inſuper quæ hydropim patiebatur, ſanatione. Vt cætera taceã quæ vix numeri cuiuſuis protenſione comprehẽdi vllatenus queant. Qui cum talis ac tantus foret, non erubuit tamen populus illius fidei commiſſus, cùm tumultuantem in viam pacis dirigere vellet, eum à ſuo deturbare conſortio. Quo factum eſt, vt dies non paucos apud Pictauos exilium paſſus, longo pòſt tempore ſuum ouile repetens quarto Calendas Auguſti cœleſtia regna inuiſeret. Suæ itaque erga pauperes ampliſsimæ ac redundantis charitatis nulla obliuione obſcuranda veſtigia reliquit: quæ etiamnum in arce epiſcopali, quæ altero ab vrbe abeſt lapide, hodie patent. Eò enim loci (aiunt) ad venerandæ antiquitatis memoriam accuratè ſeruatur ampla quædam olla pulmentaria, vnà cum cochleari præter communem modum capedinis inſolitæ, qua vti ſolebat dum viueret diuus ille Gulielmus ad congiarium viritim diſtribuendum his qui extrema premebantur inedia, cateruatim ſeſe offerentibus egenis: quæ in hoc potiſsimum viſenda aſſeruatur, ne priſcæ illius charitatis memoria in poſterum pereat. Porrò ad tertium quartúmve lapidem ſitum eſt Ambiliatum, hoc eſt Lambaliorum oppidum, cum aliis multis, tum verò hoc vno nomine celebre, quod loci illius indigenæ laboris algoríſque ſint admodum patientes, expeditiſsimæ inſuper ad præſtandas ſuas operas diligentiæ. Hactenus de his quæ ad Diuorum Brioci & Gulielmi commemorationem ſpectare videbantur, dictum ſit.

Nobilitatur ciuitas Sambriocana æde ſacra diuo dicata Michaeli, in montis vertice conſtituta, ad cuius radicem ſinus quidam maritimus non pauca illuc prodeuntia nauigia à ventorum iniuria protegit. Tribus inſuper locupletatur Xenodochiis. primum eſt Chriſtiferæ virgini dicatum, cognomento de Gouedil, ſecus viam qua itur ad Ambiliates. Alterum verò eidem deiparæ virgini dicatum, cognomento ad fontem: vt ſit diſcretionis nota. Diuæ Magdalenæ tertium, quod non procul abeſt à parochia Sammichaelitana. Sinus quem diximus marinus arcem habet Ceſſoniam appellatam, cui publicis ſtipendiis deſignatur caſtrophylax ad nauigiorum illuc affluentium tutelam.

Comprehendit diœceſis illa Saltnarium vnum oppidum appellatum Finac: cui præeſt Baro pontanus. Ambiliatenſi verò caſtro præfectus eſt Pontiberiæ comes. Oppidi illius Lambalii mœnia ſolo proſtrata fuere ob conſpirationem Margaretæ Cliſſoniæ in ducem Britanniæ excogitatam. Subiacet dominio Stampenſis comitis: qui & ipſe præeſt caſtro Montcontorenſi, vulgo Montcontour, non procul à Cœnobio Ciſtertienſis familiæ Bocquiano. Complectitur nihilominus ea diœceſis Quintinium caſtrum, gallicè Quintin: vnà cum adiacenti oppido ſacro ſodalitio locupletato: adiacente etiam Xenodochio diuæ Magdalenæ nomini dicato ac deuoto. Nec procul abeſt cœnobium Ciſtertienſis profeſsionis vulgo dictum Cor-

mornam. Subiacet ditioni domini Lauallii Nigellenſis marchionis. Cui etiam adiacet ſylua grandis, ad milliarium decem ſpacium in longum prorogata: ditior effecta poſt inuentam illic ferri mineram. Eſt aliud inſuper oppidum Iugonium, olim Tricaſtrenſe, nunc verò per bellorum inſultus vaſtæ ſubiacet ruinæ. Nunc illi ſupereſt nomen cameræ Ducalis. Diſtat milliaribus quatuordecim à ciuitate Sambriocana. Illi verò adiacet Hunaudia ſylua, vulgo De la Hunaudaye: in cuius meditullio ſitum viſitur templum diui Albini Nemorenſis (vulgo Des boys) memoriæ dicatum, Ciſtercienſis profeſſionis. Ad ſeptimum ab vrbe lapidem ſitum eſt Corlaium caſtrum ad domini Foii ditionem pertinens: vulgo Monſieur du fou. Caſtrum aliud Mantiguonium, cui mons in mari ſubiacet. Ad ſex verò milliaria oppidum ſitum eſt quod vocant caſtrum Andrenum: quod poſſeſſorem agnoſcit dominum Dauogurtum (Dauogourt.) Qui & ipſe poſsidet Lamenolliam villam, vnà cum Pontiuenſi, gallicè Pontieu. Cæterùm apud Pompolium oppidum ſitum eſt cœnobium Belliportus ſacris diuorum pignoribus abunde locupletatum, patrono Dauogurto Barone. Is in fata concedens teſtamento legauit amplam capedinem citrinam loci illius cœnobitis, quartarii menſuram continentem: ex qua bibunt in die quo celebratur obitus eius, religionem profeſsi. In cuius memoria pronunciare habent monachi loci illius incolæ hæc verba: Requieſcat anima eius in pace. Intra ſepta diœceſis comprehenditur oppidum Guinguempenſe, vulgo de Guingamp, nouacularum conficiendarum artificio illuſtre, nec minus celebri apud eos monumento generoſi principis Ægidii Bleſenſis indigna morte perempti non ſine ingenti apotheoſis opinione. Dominum agnoſcit Stampenſem comitē. Patet in longum præfata diœceſis ad milliaria triginta. Eſtque gens illa polyglottis, partim Gallico, partim verò Britannico idiomate vulgariter vtens.

¶ Quod autem ad gentis illius Lambaleæ elegantem memoriam attinet, fama eſt ad exteras vſque longè lateque ſemotas euulgata nationes, plebis illius nunquam ceſſantis operæ homines improbi ſemper fuiſſe laboris: vtpote præter communem cæterorum aleam texturæ ſolidæ, apprimèque lacettoſos: ob idque gregatim ſedibus ad tempus derelictis vicina loca petentes, ſuas operas locant ciuili admodum precio. Sanè inediæ & vigiliæ patientiſsimi omnium conſenſu probantur: agris fodiendis, vallis conſtituendis, ſepibúſque adornandis (vt ſi quæ gens alia) exercitatiſsimi. Tanta eſt pecoris apud eos fœcunditas, vt ex vitulinis pellibus (quibus vſque ad ſatietatem abundāt) modò membranulas conficiant ad amplos codices deſcribendos accommodatiſsimas: modò verò ſcorteas burſas, atque adeò delicatiſsimas chirothecas ſubtili arte conficiant: & eo commercio cæteras quæ adiacent nationes locupletent. Qua induſtria ſibi ſuiſque victum copioſe ſuppeditant.

Quod ad hierarchicum attinet principatum, floruit apud Briocas Gotho (aliàs Gothelo) ad huiuſce eccleſiæ præſulatū aſſumptus: à qua tandem euolauit ad archipræſulatum Turonicum, anno poſt Chriſti incarnationem circiter 1157. Longo pòſt tempore 1414. Ioannes Maleſtretus epiſcopus Sambriocanus primogenitum ducis Britāniæ Franciſcum lauachro ſalutari initiauit: ſtatimque Nannetenſi præfecit eccleſiæ: qui & ipſe totius Britanniæ dicæarcha declaratus eſt. Ad annum verò 1461. Ioannes Preianus Sambriocanus præſul ſolenniter deſpōſauit vicecomitem Leonenſem, tametſi æta-

tis præmaturæ, Mariæ Franciſci Britanniæ ducis altero partu editæ: numeratis in fauorem matrimonii centum nummorum aureorum millibus, ſub annum domini 1461. octaua Martii. Aderant tum præſentes Rohānenſis vicecomes Albanus, comes autem Haricurianus, vnà cum Tanegillio à caſtello, primario per id tempus rectore Britanniæ.

Illud ſuccurrit dicendum, territorium iſtud ab Anglo fuiſſe occupatum ſub annum Chriſti. 1375.

Superſunt Leonices, de quorum nomenclatura ſuprà diſſeruimus: qui & aliàs Leonenſes, poſtea verò Sampaulini religioſa appellatione dicti ſunt, aſſumpto ſcilicet in peculiarem patronum beato Paulo loci illius pontifice. Is autem diuus Paulus beatum Sanſonem Dolenſem præſulem coætaneum habuit, per id tempus Græcis imperante iuniore Iuſtino: qui adoleſcens ſub Elduco (aliàs Hildulo) præceptore educatus, piam ac probam ſortitus animam, ſtatim vt cum ætate creſcere cœpit indoles, morúmque ac ſcientiarum diſciplina, ex laico factus eſt archimandrita, ac demum ex abbate Leonenſium præſul: nihil interim remittens eius quam profeſſus fuerat ab initio auſteritatis ac parſimoniæ conditionis. Nunquam niſi veſtitus lecto decubuit, abſtemius vixit, ab omni carnis ſementina perpetuò abſtinens. In hac tamen victus ſeueritate annorum propè centuriam attigit: vt inde ſcias plures occidere gulam, quàm gladium. Sui claritudo nominis vniuerſæ regioni appellationem indidit: adeò vt quæ à Ptolemæo Saliocanus olim portus regio dicebatur, eam nunc (ſi Villanouano creditur) Sampaulinam vulgus appellet. Crediderim tamen Saliocanum portum à conficiendo ſale priſcis authoribus ſic appellatum, qui nunc Sampaulina latius extenſa diœceſi comprehenditur. In cuius demortui locum ſuffectus eſt diuus Goluenus, vulgo Sainct Gauuain. Qui & ipſe dum viueret, fuſis ad dominum precibus, barbarorum impetum à finibus ſuis diutina ope depulit. Totóque vitæ ſuæ ſtadio ſupra communem hominum modum pane contentus & aqua, victus parſimoniam perſeueranter excoluit. Demúmque Rhedonum agrum ſuo ſplēdore illuſtrauit, dum ſcilicet febre correptus, iura naturæ exoluens apud diui Melanii cœnobium ſepulchro conditus miraculorum fulgore enituit.

Hi itaque ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra, Paulus & Goluenus, aſsiduè ante deum lucentia. Patrem Paulus habuit nomine Petprohen, ex territorio Penohen eductus: quod idem ſignat quaſi dixeris bouillum caput. Goluenus verò oppidi Deſiderienſis incola fuit: quod nomē fœ..ıx omē habet, nec tam illuſtri habitatore indignum.

Leonenſes verò (vt ne illud omittam) cum apud ſe retinerent ſacra diui Matthæi pignora: quo tempore Salomon Britonicæ regionis iura regebat, ablatis à templo illo reliquiis, diui Pauli nomini ac numini ſuam eccleſiam ad hæc vſque tempora deuouerunt. Extat adhuc vetus memoria apud Ripenſes, qui vulgo appellātur Les ratz ſainct Mahieu. Habuit eccleſia illa quendam Triziguidianum virum militarem aduerſus Carolum Bleſenſem acerrimum hoſtem, cum Britannia tota bellico impetu tumultuaretur. Is erat Iuo Leonenſis an..ſtes. Leonenſem autem vicecomitatum (vt nec illud ſileam) dominus à Rohāno per annos ſeptingentos iampridem ſuo addictum dominio, Ioanni duci Britanniæ huius nominis primo accepta pecunia poſsidendum tradidit, ſub annum domini 1254.

Coroſopitēſes eos eſſe, quos vulgò Cornubianos vocant (gallicè

Cornoaille)ſuprà teſtati ſumus:inter quos poſt hominum memoriã clarus enituit diuus Herueus: cuius nomen apud eius regionis incolas ita vulgatũ paſsim auditur, vt iam videatur ex priuato fuiſſe gentilitium. Vix enim vſquam fando auditum eſt apud exteras quaſcunque nationes nomen frequentius vſurpatum Heruei apud Britonicam gentem appellatione: ſeu tu mihi opponas Atlantis in extrema Aphrica nomen, ſiue in Hiſpanica gente Ferdinandi, Gulielmi in Neuſtria, aut certè in Anglia Henrici, in Germania verò Hermanni, aut apud Flandros Petroquintii, ſeu Ioanquintii, vulgo Ianequin, Petrequin. In Galliæ meditullio, ſeu Ioannis ſiue Petri frequẽns appellatio omnem penè numerum ſuperat. Verùm ea frequentia vix accedit ad Heruei apud gentem Britonicam vulgatiſsimam vſurpationem. Quod genus gloriæ promeruit profundiſsima diui Heruei apud Britannos humilitas. Scriptum enim eſt: Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Eſt autem in ea gente ſicut vnguentum effuſum nomẽ eius: & vt pecori ſua lana decori eſt, ita & apud eos huius frequentia nominis. Denique ſicut thus in igne redolens in immenſum diffunditur, ita & eius nomenclaturæ ſuauis eſt memoria. Lanna Rigerii (haud ſcio an landa dici poſsit) diuo Herueo originem dedit: vulgo La Lande Riger: educationem verò materna ſolicitudo eò loci qui kakerlam vulgo appellatur. Patrem habuit ſibi cognominem Herueum. Is ſub primæuæ ætatis annos cæcitatis nomine aut certè cæcutientiæ apud quoſuis etiam conditionis infimæ homines malè audiebat, ac penè contemptui habebatur. Profunda tamen huius viri religio ſuo ſplendore omnes obſcuritatis tenebras longius propulſabat. Nam qui eum ludibrio quodam caſu habuere paſtores, eò calamitatis addicti ſunt, vt ab ipſo die pumiliones effecti, nunquã iuſtam virilis ſtaturæ menſuram attingere potuerint, deo liberante pauperem à potente, pauperem cui non erat adiutor. Continentiæ verò & auſteritatis legibus ita ſeipſum conſtrinxit, vt nemo qui eum imitaretur, poſſet inueniri.

Proximum eſt huc attexere quarundam diœceſum ex Pontificali codice deprompta Cœnobia. Sunt in Leonenſi territorio religioſa ſodalitia numero tria, videlicet Cœnobium Gerberanum, vulgo Gerbet, ſeu Gelber, aliàs de Relignis. Aliud diui Matthæi in finibus terræ. Tertium ad ædem Marianam Carleriã, Sainctemarie de Catler, familiæ Ciſtertianæ.

Coroſopitenſis ſeu Cornubiẽſis diœceſis clauſtra hæc monaſtica comprehendit: Primum eſt diuæ virginis de Douglas, Auguſtinianæ familiæ. Alterum vulgo appellatum Gingibon Delando. Tertium Camperle in honorem ſalutiferæ crucis domini. Quartum vulgo appellatum Vouigelar. Quintum beatæ Mariæ Cordormaloen. Multò plura Cœnobia complectitur Nannetenſis diœceſis: pauca autem Rhedonenſis, nempe duo tantum, diuorum ſcilicet Melanii in ſubmœniis, & diui Petri de Rilleyo. At verò primum in Nannetenſibus Cœnobium dicitur Villanouanum, ſecundum beatæ Mariæ Anglenarium (aliàs de Piremilleio, vulgo Piremil.) Tertium beatæ Magdalenæ de Geneſtario. Quartum diui Gildaſii Ripenſis. Quintum de Alba coruua veteri. Sextum diui Gildaſij Nemorenſis. Septimũ templum Marianum Burgenſe, vulgo du bourg. Aliud Marianũ de Porricidio. nouiſsimum de Buſayo. Habet Venetenſis diœceſis quatuor in ſeſe Cœnobia: Saluatoris de Rancono vnum, diui Gildæ aliud, Benedictinæ familiæ ambo: tertium eſt precaria ædes ſanctæ Mariæ de

precibus, in hoc ſcilicet erecta, vt memoria perpetua fieret pro his
qui naufragio perierunt in Britannici Oceani limitibus, ordinis Ci-
ſtertienſis. Cœnobium iſtud precarium à fundamentis erectum eſt
authore Ioanne Britonum duce ſub annum domini 1280. Et eò loci
ſepulta eſt Blanca Nauarra. Cœnobium quartũ dicatum eſt nomini
ac numini diui Gildaſii riuenſis ſeu ripenſis. Cætera ſuis locis deſcri-
pta ſunt. Id quoque deprehenſum eſt, Britonicũ ſolum diœceſes no-
uem comprehendere: parœcias verò mille trecentas quatuor ac tri-
ginta, hoc ſcilicet ordine & numero: Rhedonenſis diœceſis ducentas
cum triade comprehendit parœcias. Nãnetenſis ducentas quinque
& quinquaginta. Venetenſis centum ſexaginta. Diui Brioci in valli-
bus centũ viginti. Coroſopitenſis ducentas. Trecorenſis ſeptuaginta.
Dolenſis octoginta. Leonẽſis totidẽ. Maclouienſis ſeu Aletenſis cen-
tum ſexaginta ſex. Nãnetenſis præterea ſcholam habet vniuerſalem.

APPENDIX.

TRECORENSIS ciuitas mœnibus caret, ſoda-
litiis præter cathedrale templum illuſtrata duobus, ve-
nerãdæ Crucis vno, altero verò vulgo appellato Begar-
do. Diui Iuonis ſacra pignora ex ædicula quadam mil-
liari vno ab vrbe diſtante in ciuitatem delata venerabili
memoria in æde cathedrali ſacra quieſcunt. Guingantium oppidum
duobus ſodalitiis illuſtratur, Franciſcano vno, Dominicano altero.
Apud Franciſcanos monumentum viſitur Caroli Bleſenſis indigna
morte perempti in Auraicenſi conflictu, vulgo Auuray. Nouiſsimè
ſeſe offert Moroleium oppidũ, gallicè Morlaye, munitionis minimè
contemnendæ, in geminas partitum diœceſes, Trecorenſem vnam,
Leonenſem alteram. Sampaulina Leonenſis ciuitas à littore maris
diſtat ſex nec amplius milliarib9, portu medio ad rupem Collinam,
appellato vulgo Rochecourt. Eò loci magna veneratione colitur
pars indicis diui Ioãnis Baptiſtæ. Cæterum ad Moroleium oppidum
qua parte mari imminet, propugnaculum munitiſsimum recens ere-
ctum eſt, Taurinum vulgo appellatum, ad depellendos hoſtiles inſul-
tus. Ad decem abhinc milliaria viſitur ædes Chriſtiferæ virginis co-
gnomento Deſolgouet, frequentia miraculorum clara. Ad quartum
abhinc milliare Breſtum (vulgo Breſt) criſtas erigit, tota celebre Bri-
tannia, portu & munitione (vt ſi quod aliud) excellens. Ad ſextum
vltra milliare cœnobium occurrit diui Matthæi cognomento in fini-
bus terræ. Seſe interim offert oppidũ Cornubiano ſolo ex parte vna,
territorio verò Leonenſi altera attiguũ. Illic à non paucis antea an-
nis venerabile nomen Ieſu in fiſsili ligno lauri inuentum eſt: cuius rei
memoria viget, æternúmque vigebit. Cornubienſe autem oppidum
(aliàs Cornugallicanum, vulgo Cornoaille) duo in ſeſe oppida com-
plectitur, Quimpercorentinum vnum, & id quidem præcipuum: al-
terum verò Quinquemperlaium, iſtud ſitum ad flumẽ Elle, æſtu ma-
ris intumeſcens. Non procul ab eo loco cœnobium ſua antiquitate
venerabile viſitur Benedictinæ familiæ, ducale Poliacum, vulgo ap-
pellatum Poleduc.

Pro chorographiæ huius ſerie complenda vrgemur fluuiorũ ſitus
& nomina (qui mediterranea Britanniæ loca noſtra memoria ſuis al-
ueis alluunt) in vnum colligere aceruum, iuxta recentiorum qui ho-

die ſuperſunt vulgo aſſertam memoriam, ſumpto exordio à fluuio qui Andegauos à Britonibus ſecernit, alluitque vallem Gironiam, vulgo Valgiron, Gõterium oppidũ. Inde verò caſtro immin ẽs Bruiãtio in Ligerim ſe præcipitat à Septentrione ad meridiem apud diui Lazàri oppidum. Contra verò à Fulgeriis quas Filicetum appellam⁹, in oceanum delabitur fluuius Neuſtrios à Britonibus ſeparans, quem Cœſnonem vtraque lingua appellat. qui & ipſe abſorbetur ad montis vada Sammichaelitani: cuius paulo ante meminimus ex Ptolemęo ſub nomine Tititii fluuii. Sunt tamen qui neſcio quo authore illi Atigenæ nomen indiderunt, fluxa tamen fide, cum ſatis conſtet fluuium vulgo appellatum Argennes, non procul à Cadomo longo ab eo de quo ad pręſens ſermo eſt diſtare interuallo. De Titітio vero fluuio nolim præcipitare iudicium: neque enim deſunt qui aſſeuerent Titium defluere in æſtum maris ad Breſtum caſtrum, tandemque abſorberi apud oppidum vulgo appellatum Le Conquet: parte verò altera ad Fontenacium, vulgò Fonteneau. Porro à Victriaco per Redones Vigelanię flumẽ, Gall. Villaine, rectius Vigelaine, ad vſque Guertandam flumen delabitur à mari occiduo abſorbendus: prius tamẽ in alucum cadit Auguſtani fluminis (Aouſt vulgus appellat) Redonium tandem alluens, vulgò Redon, vno cum Vigelania concurſu abſorbetur à pelago parte occidua in meridianã deflectens. Nolim ſilentio pręterire ęſtum maris redundantis per Conquetium oppidum, Gall. le Conquet, ad vſque Breſtum caſtrum ripenſe munitiſsimum.

Eſt pręterea alius inter mediterraneos Britanniæ fluuius nomine Oudus, de quo aliàs. Porro de Cœſnone fluuio illud ſupereſt annotatu dignũ, à paucis animaduerſum, necdũ quòd ſciam ſcriptis commendatum, ſed publica tantum eorũ qui ſuperſunt memoria ex inſpectione locorum probatum, limitane s fluminibus non paucis Cœſnonem intumeſcere: Primum enim altius repetita origine à Cœnula fonticulo ſcaturit fluuius iſte, vulgò appellato Cœnette, non procul à fluento Nauſonio apud ſyluam Filicetanam pago Landeano. Hęc autẽ Cœnula emenſo ſeprem leucarum interſtitio ſecernit Neuſtriam ab Aremorica. Seguna præterea aliqua ſui parte Neuſtriam perluit, prius tamen Cœnomanos partim ab Armoricis, partim verò à Neuſtriis ad Armoricos ſua alluuione ſecernit, ea parte qua à Caſulis Marchianis Louiniacũ Armoricæ paguin interſecat. Eſt & alius riuulus Diergia nomine limitem faciens inter Britannicam regionem & Normanicam, donec peruenias ad Songiacũ Armoricæ oppidum, & eò loci à Cœſnone excipitur. Ex parte verò altera quæ Intranio adiacet, vulgo Entrain, Lœzantia riuus inter Sambricianum phanum & Sellas non procul ab Intranio à Cœſnone abſorbetur, piſcoſus quidẽ fluuius, troctis ſcilicet abundans, quæ à mari retrogradæ recurrunt, & anguillis. At verò Lœzantia Carpionibus, Salmonibus, Luciiſque & brẽnis marinis ſuis finitimis prouentum ſuppeditat minime contemnendum.

Viſitur etiam in confinibus Britannię & Neuſtriæ riuus cognomẽto Francicus, vulgo Ruſſel Frãcoys appellatus, qui pręterquam quòd ſeiungit Louiniacum Britannię à Caſulis Neuſtriæ, vulgo Les loges, procedẽs per alueũ, quod vocant Bellamquercũ, cadit in Lairium fluuiũ, Gall. Lelaer: nouiſsime delabitur in Rotarium pagũ vnà cum Lairio, qui tãdem ad oppidum Landellarum ſecernit Neuſtriam ab Armorico tractu decidens in Segunã ad Hamelinum templũ, vulgo La chapelle Hamelin. Et hęc de fluminib⁹ aut riuis Britannici ſoli partim mediterraneis, partim verò limitaneis, hoc loco referẽda viſa ſunt.

NOMINA INSIGNIORVM GALLIÆ LOCORVM NECNON ET FLVMINVM ex vetuſtis recentiora facta, ordine literario, Iuniano equite, Aqueo, Marliano, Glareano, Huberto Leodio, Iucundo Veronenſi, Caſtillioneo, aliiſq; nonnullis authoribus.

A

ABrincæ, ſeu Arboricæ, Arbrãches. Inde arboretani, ſeu Abrincatenſes, Auranchinois. corruptè Abrincenſes.

Acciacum oppidum, Laarte. Inde Cacciacum, caſtrum Acciaci.

Aciei militaris aliquot gradus ſelecti ſic enumerantur. Velites, qui aciem ſequuntur inermes, in militũ mortuorũ locũ ſubſtituendi. Rorarii, qui præeunt bellum. ſic enim ros pluuiam p̄cedit: quales apud nos ſunt qui dicuntur Orci familiæ deuoti, gallicè, Enfans perduz. Triarii, in acie tertio ordine extremi, qui & ſuccidiarii. Accenſi, in ſubſidium delecti. Haſtati, qui haſtis: Pilati, qui pilis depugnabant. Ferentarii, qui iactandis lapidibus ſeſe exercebant: ſeu etiam qui tela ac potiones militibus ſubminiſtrabant. Manipulus, turba minima quę vnum ſequuntur ſignum: vnde manipulares milites.

Actura, la riuiere de Vre.

Aduatici, ceulx de Boſleduc in Brabãtia Gallica. aliàs Duaci, qui & Catuaſii & Niuellẽſes.

Agatha inſula, Agde: aliàs Bona fortuna.

Agathopolis, Montpellier.

Agaunum, huius accolę Veragri, vulgò ſainct Maurice en Chabloys. Eò loci coronam martyrii adepta eſt legio Thebæa ſub annum ab orbe redempto 300. illícque Sigiſmũdus erexit templum ſub annum domini 500. Auctũ verò fuit templum templíque prouẽtus ductu & auſpiciis Rodulphi Burgundionũ regis inſtinctu præſulum Sedunenſis, Laudunenſis, & Geneuenſis, vnius eiuſdémque nominis Hugoniani, accedente Burcardo Lugdunenſi.

Agendicum, Prouins, fortè à vini copia.

Aginum, Agen.

Agnati, qui per virilis ſexus perſonas cognatione coniuncti ſunt, legis Salicæ capaces, cæteris cognatis excluſis. poſt agnatos ad ſucceſsionẽ lex admittit Salica.

Albamala, Aulmalle. recti' Aulbe Malle.

Albimiuium, aliàs Intimillium, Vingtimille.

Alduaduſius fluuius, le Doulx: olim Dubius appellatus.

Alexia, Lauxois en Bourgõgne, vbi Alſetum.

Albula, fluuius.

Aleta, Sainct Malo.

Allobroges, Daulphinois, & Sauoyſiens: itẽ & Pedemõtani, & reliqua Auſtralis commixtio.

Altiſsiodorum, aliàs Antiſsiodorũ, Auxerre, vbi diui Mamertinus & Marinus presbyteri religioſe coluntur.

Ambaquia, nunc Ambaſia, Amboiſe, ab aquarum ambitu: vti Ambiaquẽſes, nũc Ambiani.

Ambinates, Ambrieres.

Ambarri, ceulx de Semar & Mõtar. aliàs Belnẽſes. Ambarros,

Bituriges auguratur Æmylius.
Ambiani,ceulx d'Amiens, ab aquarũ ambitu.
Ambibari,Conſtantinois.
Ambiliates,Lambalois.
Ambuanti,ceulx d'vne partie de Brabant.
Amœnum caſtrũ, chaſteau Gaillard.
Anchora,Ancre in Belgica.
Andes,Angiers.inde Andegaui, Angeuins.
Anicium ſeu Podium, le Puys en Auuergne.
Antipolis,Antipoul.
Antiſsidiorum.vide Altiſsiodorum.
Antricum,Chartres.
Antvverpia, Anuers.
Andella, Andelle.
Aquæ auguſtæ, Baionne.forte Dax in Vaſconia.
Aquæ Sextiæ, Aix en Prouence.
Aquiſgranum in Gallia Belgica Ciſrhenana,aliàs Veterra, ſeu Vetera caſtra. Aix. Vide Condruſii.
Aquitania, Guyenne: quaſi dicas,Aquienne,ſeu aquoſam,variis ſcatẽtem lacunis.
Arar fluuius,la Sonne.
Arauſio,Aurenge,Secundanorum colonia.aliàs Aura ſicca.
Arboricæ.vide Abrincæ.
Arduenna ſylua,Foreſt Dardaine.
Arelate,Arle, Sextanorũ colonia,duplex vrbs Auſonio.olim ſedes Regum.
Arenę in Põtiuo. Arenes en Pontieu.
Argentiæ.arum.Argences.
Argentaria,ſeu Argentania,vulgo Agentan.
Argentina, Argentoratum, & corruptè Stratzburgum, pro Toratoburgo,corruptis aliquot literis, Germani vſurpant:quaſi dicas,Toratburg, deinde.Stratzburg.Sed verius diceretur Argẽtea Rheienſis.ſita enim eſt ad Alpes Rheticas,& eſt argenti mineralibus fœlix, etiã ſi non redundans. Neque id latuit Nicolaũ papam,vt eſt in ſuperſcriptione ſuę epiſtolę quam ſcripſit ad Ratholdũ loci illius præſulem: & citatur in canone,Latorem. 33. quæſt.2.nõ corruptè,vt quidã volunt,ſed recta potius & verè germana lectione. Ea ipſa eſt Argentina,quæ cum ſub annum domini 330.Ariana peſte laboraret,vnà cũ aliis nõ paucis vrbibus ad littora Rheni ſitis, Metẽſis præſulis(cui in ſpiritualibus ſuberat) opera ac vigilãtia tandẽ orthodoxã fidẽ amplexata, epithetũ ſortita eſt nobiliſsimæ:idque in adagiũ tractũ eſt.Hoc ſchemate, omniũ epiſcopalium in ora Germanica cõſtitutarũ eccleſiarũ curia ſumma, vtpote ad fontẽ Rheni ſita, ampliſsima Conſtantia.Cõplectitur enim parœcias 1800. cœnobia verò 400.Amœniſſima Baſilea, Argẽtina nobiliſsima, religioſiſsima Spira, tenuiſsimi cẽſus VVormacia, Moguntia veneratione & authoritate ſublimior, & ſanctitatis nomine clara:ad id conniuente Gregorio 3. Vetuſtiſsima Treueris, opulentiſsima Colonia. Hæc eſt titulorum cõgeries. Huius ciuitatis Argentinæ baſilicam præcipuam VVernarius pontifex ex coctilibus muris conflatam, funditus euerſam, quadrato lapide à fundamentis reſtaurandam curauit ſub annum à partu virgineo 1019. Hui⁹ eccleſiæ præſules hac inſcriptione vti ſolebant, Indignus dei gratia paſtor Argentinenſis.
Argentolium,Argenteul.
Argentoniũ,ſeu Argentomagus,Gallicè Argenton.
Aria,Aire.aliàs Minoriacum.
Armoricæ ciuitates, Bretaigne. aliàs Eremoricæ.vernaculè partim Landois,partim Hermiones, ſeu ripenſes ac littorales: cui vocabulo alludit idiotiſmus Hermines.
Artonici,Armignacz.
Aruerni,les Auuergnois,Plinio Liberi cognominati.
Attrebates,ceulx d'Arras.
Attrebatum,aliàs Rigiacum.
Atuacutum,Antvverpia,Anuers.
Auaricum,Bourges,aliàs Viarron.
Audomarẽſes,Sithiuenſes, priſco nomine Sithieu.
Auenio,Auignon: in Volgis & Arecmicis.
Auennæ,Auennes.

Augia maior in Belgica, Richenau.
Augia, Auge.
Auguſtodunũ, aliàs Edua, Autun: vbi diui Lazari memoria religioſe colitur: inſuper & diuorum Eluidii ſimul & ſancti Iuſti conditorium venerabile viſitur.
Auguſtonometũ, Neuers in Niueduno, hoc eſt in Niuernia ſitum.
Auguſtoritum, Poictiers.
Aulerci, aliàs Augia, ceulx d'Auge en Normandie. Aulerci triplices: quidam Diabilintres, aliàs Diaulitæ, Leonenſes inquã & Dolenſes: quidam verò Cænomani, Manceaux: tertio loco Eburaici, Eureux.
Auraſicca, alàs Arauſio, Aurenge, Secundanorum colonia.
Aurelia, olim Genabus ſeu Genabũ. Ægidius poëta author hoc carmine:
Obuius aduenient, vrbẽ cui Genabus olim
Nomẽ erat, noto qđ deinde receſsit ab vſu
Diuersúmq; illi nũc Aurelianis habetur.
Athenopolis, Riez. aliqui Maſsiliã interpretantur.
Auſci, aliàs Auguſtani, Aux.
Arx Pontana, Pont de Larche.
Axona, fleuue de Aiſne.
Aychiſtetenſe ſolum, aliàs Aychiſtidianum, ſucceſsit Aureatenſi ciuitati. illa ab auro, iſtud verò à quercu nomẽ obtinuit. Illa fuit per Hũnicam rabiẽ vaſtata, huic verò ſucceſſere longo ſyrmate præſules, dicebatúrque Vveycquercem. In eã rem extat Bruſchii diſtichon.
Vrbs q̃ auri quõdã titulos & nomẽ habebas,
Iam ſacræ quercus nomina ſacra geris.

B

Bacenus, aliã Hercynia ſilua, vulgo foreſt Negre.
Bãdena, aliàs Forum Tiberii, Baden.
Baiona, Baionne. Aquæ auguſtæ Ptolemæo.
Bambergenſis ciuitas ad fluuios Pegneſium & Mœnum ſita in Francia orientali, à diuo Henrico 2. Saxonũ duce vnà cum vxore diua Chunigunde poſita & locupletata, exempta à ſuo præſule. In ea diui Georgii vexillũ conſpicitur. Primũ conſtructa ſub annum domini 1007.
Barbellum monaſterium, olim Saniportus, Gall. Barbeau.
Barnofluctus, aliàs Barbæfluctus. Barfleu.
Baſilea Rauricorum. Baſle.
Baſtuli, nunc Granatenſes.
Batauí, ceulx de Hollande.
Belgium, Bauois apud Hannonios, aliàs Bauacum. Differt à Bellouaco. Inſignis loc⁹ eſt ſtratis Brunechildis, & ſeptem viarum ſubterranearum anfractibus.
Bellicenſes. vide Sebuſiani.
Belinſona, Beliſſone vulgo, olim Inſubris, nunc Heluetica. aliàs Bilitio, aliàs Belliſona, vernaculè Beliſſone
Belliſmus, Belleſme.
Bellocatenſis ager, Beaucaire.
Bellocaſſii, ceulx de Baieulx.
Bellouaci, Beauuoiſins, qui ſunt clauigeri Galliæ Belgicæ, vt oſtendunt eorum inſignia.
Belna, Beaulne.
Belnenſes. vide Ambarri.
Belſia, olim Bualta, ſeu Valdealta, fontibus & fluminibus carens. vulgo Beaulſe.
Bibracte, Beuuray pres Dautun.
Bibrax, Bray en la Conte de Rhetel, aliàs Brenne in agro Sueſsionico.
